BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
Ant. Aug. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

TITUS LIVIUS

PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

ITEM

SUPPLEMENTA FREINSHEMII

CUM

PRÆFATIONIBUS

TABULIS NUMMORUM ET MENSURARUM

TABULIS HISTORICIS

ANTIQUITATIS MONIMENTIS ET NOTITIA LITERARIA

CURANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN DUODECIMUM

PARS PRIOR

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXV

EDITORIS NOVI
AD LECTOREM BENEVOLUM
PRÆMONITIO.

Tandem ad Livianæ editionis finem, lector optime, post lucubrationes assiduas laboremque improbum perveni; et quod tibi in primi voluminis limine promiseram, quodque a me perficiendum jure tuo rogare poteras, nunc absolutum ultimo hoc tomo arbitror.

Sed ante omnia duorum delictorum veniam imploro, in quibus imprudentes hæsere, quamquam admoniti, qui literarum typos in lineis quinta et octava pag. VIII præfationis primi volum. disposuerunt, ubi pro Vossio Gronovius, et pro Morhofio Morhosius præpostere leguntur. Quæ quidem ingenue et aperte confitenti benignus ignoscas velim; neque etiam mihi succenseas, quod non omnem Drakenborchium tuis oculis repræsentaverim, veritus ne jam hæc mea editio in nimiam excrevisse molem tibi videatur. Attamen non insalutatos relinquam doctissimos Livii interpretes, quorum in numero primus eminet Laurentius Valla, unus illorum heroum, ut aiunt, qui sæculi XV barbariem horridam Herculeis ausibus depulere; M. Ant. Coccius, qui vulgo Sabellicus cognominatur; Beat. Rhenanus, et Sigismund. Gelenius, qui medicas manus peritiamque admodum salutarem vulne-

ribus Livianorum librorum curandis admoverunt; Henr. Loritus, nobiliori insignis nomine Glareanus; Carol. Sigonius; Francisc. Modius; Fulvius Ursinus; Marcellus Donatus; Janus Gruterus; denique ambo Gronovii, pater et filius, quorum prior jure ac merito *magnus Livii sospitator* ubique prædicatur. Ex his omnibus multa desumpsi, quæ Rupertianis notis addita editionem hanc locupletiorem et vere meam fecerunt.

De cæteris commentatoribus quorum curæ diligentes nostri historicorum principis reliquias illustravere, non agendum existimo, siquidem clarissimum virum Creverium modo loquentem inducam, cujus præfatio nunquam satis laudanda, ut ait hujus magister, qui et ipse nequit laudari satis, venerabilis Rollinus, omnia, vel ad Livium vere magnum, vel ad ejus interpretes pertinentia in unum fasciculum collegit. Itaque in priori hujus ultimi voluminis parte reperies quidquid utile aut non ingratum legentibus fore speravit; scilicet vitam auctoris; et operum historiam, virtutes ac vitia; honores illius memoriæ habitos; varios editores atque interpretes; quænam laudes his debeantur; quæ leges in interpretationibus servandæ; qua religione suos labores et munera tum in T. Livii libros, tum in Supplementa Freinshemiana adimpleverit. Sequitur de ponderibus, mensuris, pecunia et ære gravi disputatio Creveriana, quam concludunt atque illustrant novæ octo tabulæ, quibus ad hodiernam Galliarum rationem illa æstimatur. Vide, quæ de illarum celeberrimo scriptore admonui, infra pag. 110, paulo ante quam referrem Jo. Fred. Gronovii præfationem

egregiam, quæ Creverio nostro quasi fax prælata certum iter signaverit.

Denique his accedunt, 1° Tabulæ historicæ ac chronologicæ, ad Catonianos calculos (1) confectæ, quæ summam Annalium Romanorum per 1238 annos, a Romulo Urbis conditore usque ad Romulum Augustulum imperatorem ultimum, quem Odoacer solio expulit;

2° Duodecim tabulæ legum decemviralium; senatusconsultum de Bacchanalibus; et alia antiquitatis monimenta, quæ notavit insignia G. Al. Ruperti;

3° Notitia literaria de T. Livio, et ejus manuscriptis, editionibus, atque versionibus in sex ætates divisa, quam e Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Latina desumptam emendaverunt et auxerunt VV. CC. Barbier, avunculus et nepos.

In posteriori autem parte hujus duodecimi ejusdemque ultimi voluminis duos indices absolutissimos invenies, de quibus emendatis et auctis pauca post eorum titulum loquar.

Tu vero, amice lector, ad primi voluminis præfationem meam, si placet, revertere, ut codicum seriem quibus labores adjuverim, recognoscas, et elogia auctorum

(1) Livius ipse in annis ab Urbe condita numerandis non Varronem, sed Catonem sequutus est; quod patet ex frequenti designatione annorum III, 33; IV, 7, 43; V, 54; VII, 18; XXXI, 1; XXXIV, 45. In utraque æra multi adhuc nodi reperiuntur, quos Glareanus, Sigonius, Pighius, aliique frustra expedire conati sunt. Qui vero Varronianam præferent Catonianæ, hanc facillime ad illam, duobus scilicet annis semper adjectis, redigere poterunt.

ac judicia de T. Livio menti tuæ subjecta sint. Poteris etiam ad tertium volumen, pag. 489, redire, si placet scire quid de Supplementis J. Freinshemii sentiam; quo animo illis denuo publicandis invigilaverim; et qua fide seriem variorum collegerim auctorum, quibus tanquam architectis innixus tale ædificium erexerit.

Neque tacebo me Creverii, Drakenborchii aliorumque commentariis recentiores Walchii emendationes et Buttneri observationes passim adjunxisse, ut novo lumine Liviana quædam obscuriora perfunderem; sed in primis splendidas faces duas adducere curavi ad illustranda Alpium et Apennini loca, quibus montes arduos transcenderit Hannibal. Hos excursus et auctorum nomina pag. 474, voluminis quarti, et pag. 557, voluminis octavi reperies.

Nunc mihi nihil superest, nisi ut tot et tantis viris quorum doctrinam in auxilium recepi, atque inprimis celeberrimo Gymnasii Stadiensis Rectori, G. Al. Ruperti, quem laborum meorum ducem sequendo admiratus sum, solemnes ex animo gratias agam habeamque, et palam profitear me, si quid boni et commodi ex hac editione perceperis, illud totum libenter eorum libris acceptum referre. Vive et vale.

Scribebam Parisiis, anno MDCCCXXV, Augustis Kalendis.

N. E. Lemaire.

CREVERII
IN LIVIUM
PRÆFATIO.

Dum huic novæ T. Livii editioni adornandæ damus operam, quædam nobis inter legendum subiere mentem, vel ad Livium ipsum, vel ad ejus interpretes pertinentia, quæ non ingrata, aut omnino inutilia plerisque legentium fore sperabamus. Sed et ii qui ante nos in eadem palæstra multa cum laude sese exercuere doctissimi viri, non pauca annotavere, quibus instructior paratiorque ad Livium lector accederet. Hæc omnia, sive nostra, sive ab aliis mutuata huc conferre visum est. Primo de Livio; tum de ejus editoribus et interpretibus; denique de instituti nostri ratione agemus.

CAPUT PRIMUM.

DE LIVIO.

Artic. I. *De vita Livii.*

De Livii vita juvaret aliquammulta disserere, si quæ via ad eam accuratius cognoscendam inquirentes ferret. Natura enim omnes cupimus illos celeberrimi nominis viros, quorum scripta manibus terimus, penitus pernoscere; et, quibuscum scribentibus amice familiariterque colloquimur, iis quoque adesse domesticas res civilesve, privatas publicasve gerentibus. Sed plerisque scriptorum hoc contigit, ut, dum

cæterorum dicta factaque magna cura colligunt et immortalitati commendant, ipsorum, præter nomen, reliqua fere omnia interire sinerentur: malo sane exemplo, nec satis grata posteritate adversus eos quibus tantum deberet.

Hoc et Livii fatum fuit, ut fama ejus scriptaque toto orbe notissima, vita in obscuro esset. Ex qua hæc paucula ad notitiam nostram pervenerunt: illum Patavii ortum (1), Pisone et Gabinio coss. anno A. C. 58. Romæ magnam egisse ætatis partem, sed in patria denique supremum diem obiisse (2), anno principatus Tiberii quarto, ætatis suæ sexto et septuagesimo; filium ei fuisse (3), cui quadam in epistola hanc legendi brevissimam eamdem sapientissimamque legem scripserat, *legendos Demosthenem atque Ciceronem, tum ita ut quisque esset Demostheni et Ciceroni simillimus;* filiam ei itidem fuisse (4), nuptam L. Magio rhetori, quem declamantem homines aliquamdiu, non in ipsius honorem laudaverint, sed in soceri tulerint; scripsisse eum (5), præter historias, etiam dialogos, quos non magis philosophiæ annumerare possis, quam historiæ, et ex professo philosophiam continentes libros; eo auctore (6), Claudium, qui postea imperavit, ad historiam scribendam animum appulisse; denique ipsi datum esse (7), ut vivus gloria sua perfrueretur, Gaditanumque quemdam, ejus nomine famaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat abiisse (8).

(1) Voss. de Hist. Lat. I. 59.
(2) Euseb. Chron.
(3) Quintil. Instit. X, 1.
(4) Senec. Procem. lib. V Controv.
(5) Senec. epist. 100.
(6) Sueton. in Claud. cap. 41.
(7) Plin. lib. II, epist. 3.
(8) Quæ de æmulatione inter T. Livium et Cornutum habet Suidas in voce Κορνοῦτος, ea nobis non videntur quadrare in hunc nostrum historiarum scriptorem, tum ob alia, tum vel maxime quod Cornutus ibidem dicitur sub Nerone floruisse, quum Livius noster initio principatus Tiberii septuagenario

Artic. II. *Quæ spectant ad historiam operis Liviani.*

Quo tempore historias suas scripserit Livius, ex ipso opere apparet. Testatur ipse lib. I, cap. 19, bis omnino post Numæ regnum, Jani templum clausum fuisse: «semel, « inquit, T. Manlio consule, post Punicum primum perfe« ctum bellum: iterum, quod nostræ ætati dii dederunt ut « videremus, post bellum Actiacum, ab imperatore Cæsare « Augusto, pace terra marique parta». At constat ex Dione (1), quinto post anno iterum ab Augusto clausum esse Jani templum devictis Cantabris. Hinc recte colligetur, ut observavit Vossius (2), medio tempore inter bellum Actiacum perfectum, et Jani ædem iterum ab Augusto clausam, primos Livianæ historiæ libros in lucem prodiisse.

Dubitari non potest, quin multos annos in absolvendo tantæ molis opere consumpserit. Et vero, quum ex epitome ultimi libri appareat memoratam fuisse eo libro Drusi mortem, quæ uno et vicesimo post Actiacum triumphum anno contigit, sequitur Livium ante id tempus ultimam suis historiis manum non imposuisse.

Quot libros dederit Livius, inter doctos ambigitur. Epitomas librorum CXL habemus: sed duas, nempe librorum CXXXVI et CXXXVII deperditas fuisse contendit Sigonius (3). Fuerint ergo vel CXL vel CXLII libri. Ut ut sit, magno literarum damno, soli nunc quinque et triginta supersunt: cæteri omnes interiere, aut certe ignoti adhuc in nocte ac tenebris jacent.

Quin etiam non universæ simul orbi literato innotuere

major obierit. Ratio temporum ad eam nos conjecturam deduceret magis, ut suspiceremur æmulationem Cornuto fuisse cum Livii nostri filio, et illum scriptorem a Suida exscriptum, errore non inusitato, ea de patre narrasse quæ ad filium pertinuerint.

(1) Dio, lib. LIII.

(2) Voss. de Hist. Lat. I, 59.

(3) Sigon. not. ad Epit. lib. CXXXVI.

illæ pulcherrimi operis reliquiæ. Primæ Livii editiones (1) exeunte XV sæculo et ineunte XVI excusæ, exhibent tantummodo primam, tertiam et quartam decades; quartam quidem non integram, sed hiulcam et mutilam, quum abesset totus trigesimus tertius liber, et magna pars quadragesimi, qui finiebatur in his verbis, cap. 37, *per omnia fora conciliabulaque edixerunt.* Anno 1518 Magontiæ ex membranis bibliothecæ in æde ibidem maxima et Metropolitana, D. Martini appellata, addita est pars libri tertii et trigesimi ab his verbis, cap. 17, *arctis faucibus cohærens Acarnaniæ* (etsi illic legitur, *iis partibus cohærens*), et quod deerat libro quadragesimo usque ad finem. Annus ejusdem sæculi primus et trigesimus novo rursum nos proventu beavit. Tum in Helvetiis Simon Grynæus ultimos quinque libros repertos in membranis apud monasterium Laurissenum, vulgo Lorssense, e regione Borbetomagi trans Rhenum, per Joannem Frobenium publici juris fecit. Denique anno 1615 J. Horrion, societatis Jesu sacerdos, Bambergæ dum singulos bibliothecæ publicæ codices excutit, incidit in membranas, quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem tertii et trigesimi adhuc desideratam servabant, quem duobus post annis Paderbornæ vulgavit.

Hæc ad nos ex Liviana historia pervenerunt, vix quarta pars totius operis : quæ animos quidem et fructu honestissimæ voluptatis perfundit, et utilissimorum documentorum bona fruge pascit, sed ita ut desiderium quoque et luctum incendat tot amissorum voluminum, quæ tempus edax absumpsit et præcedentium ætatum incuria. Nam quod aut Livium totum, aut certe magnam eorum quæ desideramus partem, alii Constantinopoli (2), alii apud extremos hominum in Hiona, sive Ionia insula (3) supra Scotiam delitescere jactitarunt, hæc, falsi utinam vates simus! somnia

(1) J. Frid. Gronov. Præf. in Liv.

(2) Dujat. Præf. in Liv.

(3) Morhof. de Patavin. Liv.

esse existimamus optantium. Nec meliore nos spe solatur id quod Colomesius (1) ab homine candidioris pectoris, quam felicioris ingenii Capellano sibi dictum in literas retulit: quemdam Capellani amicum, virum non illiteratum, quum pila luderet, animadvertisse in ea palmula quæ sibi esset ad manum, fragmenta quorumdam Livii librorum qui hodie non exstent; quumque rem sibi ulterius inquirendam putasset, comperisse eas esse reliquias aliquot similium membranarum, quæ a monialibus domus Fontebraldensis pharmacopolæ cuidam donatæ, ab hoc ignaro qualis sibi thesaurus obvenisset venditæ forent operario ignobili, qui iis abusus esset ad tegendas illas palmulas quibus pila luditur. Vanis hujusmodi sine certo auctore rumoribus fidem habeat, cui placuerit sese inani spe lactare.

Partitio operis in decades utrum a Livio sit, dubitavit Petrarcha, qui eam potius ortam esse putat e fastidiosa legentium ignavia. Idem adstruit Sigonius (2) ex perpetuo veterum grammaticorum, Prisciani, Diomedis, Censorini, denique auctoris Epitomarum silentio, qui omnes librorum semper, numquam decadum mentionem faciunt. Frustra quidam, ut contrariam opinionem tueantur, objiciunt Livium ei ipsum videri quodammodo suffragari, dum suas vigesimo primo et trigesimo primo libris præfationes præmittit. Etenim recte observat Dujatius (3) Livium non absimilibus velut prooemiis extra decadum quoque principia identidem usum esse ad renovandam lectoris longo in opere attentionem, vel si quando scribenti major rerum ordo nasceretur, ut patet ex libri sexti ingressu, et cap. 29 lib. VI. Contendit ergo Sigonius germanam operis Liviani inscriptionem hanc fuisse: T. Livii Patavini historiarum ab Urbe condita libri CXLII. Quæ nobis opinio etsi probabilior videtur, tamen non semper abhorruimus ab deca-

(1) *Colomiez, Recueil de Particularités*, p. 320.

(2) Sigon. Proœm. ad scholia in Liv.

(3) Dujat. Præfat. in Liv.

dum appellatione, quæ et usu recepta est, nec sine circuitu verborum vitari interdum poterat.

Epitomarum, quæ singulis libris præfiguntur, auctor ignoratur. Eas enim aut Livio ipsi, aut L. illi Floro, cujus exstant rerum romanarum libri quatuor, adscribi non patitur dispar ab utroque styli color. Quisquis ille fuerit, quem nosse haud sane multum interest, ejus certe breviaria, tamquam exsanguia quædam et leviter adumbrata pulcherrimi corporis simulacra, non omni prorsus cura indigna sunt; eo quidem magis, quod eorum aliqua est ad historiam, ubi Livius deficit, illustrandam utilitas.

Atque hæc sunt, quæ sive ad Livii vitam, sive ad ejus operis formam, descriptionem, casusque pertinentia, non ignorare operæ pretium sit.

Artic. III. *De operis Liviani virtutibus et vitiis.*

Jam de ipso opere agamus, et ejus virtutes quæ sunt eximiæ, tum etiam vitia, si qua fuerint, ita expendamus, ut et quid clarissimi scriptoris famæ, et quid veritati debeatur, pariter meminerimus.

§ I. *Livii eloquentia.*

Ac primo quidem eloquentiam tanti viri laudare supervacuæ operæ sit. Quem enim non statim legentem allicit inaffectata illa narrandi jucunditas, et limpidus nitor, qui et claritati serviat, nec careat, ubi opus est, nervis; non inepto tumidæ orationis fastu inflatus, sed simul simplicitatis, simul munditiarum memor; qui æquabili velut filo deductus, res gestas ita naturali quodam ordine explicet paulatim et aperiat, ita exhibeat omnia locis temporibusque distincta, ita suos allinat rebus et personis colores, ut coram agi cernique, non describi res auribusque accipi videantur? Quid dicere opus est de incredibili illa concionum ejus et orationum eloquentia, in quibus eximius

scriptor nullam non expressit dicendi laudem? In iis sententiæ, tum gravitate, tum acumine commendatæ, egregio vestiuntur optimorum lectissimorumque splendore verborum. Jam pro argumentorum varietate, modo exsultat audacius oratio, et grande aliquid ac sublime sonat, modo submissiore quodam et modestiore cursu, semper tamen cum quadam dignitate, fertur. Nihil vero mirabilius, quam quomodo versatile pariter ad omnia scriptoris ingenium, eorum omnium quos loquentes facit, senum ac juvenum, privatorum magistratuumve, Romanorum et hostium, sensus, animos, habitus ita induit, ut illi ipsi non melius modo aut venustius, sed ne aptius quidem decentiusque dicere potuerint. Itaque jamdiu docti omnes magno consensu iere in Quintiliani (1) sententiam, qui Livium esse judicat, *quum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem.*

Ex illis tamen orationibus crimen in eum oritur, tamquam in iis et fidem historiæ neglexerit, et excesserit modum. Nec levibus sane auctoribus hæc criminatio nititur, a Pompeio Trogo olim conjecta in Livium (2), et hodie quoque a doctissimis ingeniosissimisque viris renovata (3), et, quod majus est, unanimi fere historicorum hujus ævi consensu comprobata, qui omnes ab ejusmodi concionibus, præsertim quas vocant directas, inserendis in narrationem suam abstinuere.

Neque ego receptum hodie morem reprehendere ausim, quem fortasse etiam historicæ gravitati convenientiorem esse non frustra jactatur. Attamen si auctores in utramque partem, si rationum momenta diligenter perpendantur, erit sane cur Livium præpropere damnare vereamur.

Si gravitate auctorum exemplorumque res dijudicetur, tot se patronis tuebitur Livius, quot fere apud Græcos

(1) Lib. X, cap. 1.
(2) Justin. lib. XXXVIII, cap. 3.
(3) P. Daniel, *Préf. Histoire de France.*

Latinosque in historia maxime claruere scriptores, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Sallustio, Tacito, Curtio. Dionysium Halicarnasseum omitto, apud quem non immerito fortasse reprehendi possit nimia orationum prolixitas, quæ et fatigat lectorem, et ingratam interdum narrationi moram injicit. Sed cæterorum quos modo nominavi eadem quæ Livii causa est. Apud omnes et crebræ orationes reperiuntur, et, si quando opus fuerit, longiusculæ, et omnibus dicendi virtutibus, omni cultu expolitæ, si tamen Polybianas excipias, quæ tinctæ sensu comptiorem ornatum neglexere. Omnibus igitur aut laus tribuenda est, aut venia deneganda. Durum sane in tot tam illustres reos ferre gravem sententiam, et in magna illa nomina, quæ omnis per tot retro secula mirata est vetustas, quæ qui carpere ausit, facilius sibi quam illis noceat, censorium stylum exerere.

Et quidem, si res ipsa inspiciatur, quid tandem deliquere summi scriptores, dum præter eam quæ debebatur, narrandarum jucunde, graviter, distincte, dilucideque rerum voluptatem, etiam alteram indebitam nobis ex luculentissimis orationibus paravere? Fides, inquiunt, historiæ violatur, dum ea nobis tamquam dicta obtruduntur, quæ tamen nunquam revera dicta sunt. Quasi vero cuiquam innocens ille dolus imponat, aut periculum sit, ne quis illas Livii tam diligenter elaboratas, tam severe castigatas, tantis verborum sententiarumque munditiis excultas orationes ab horridis illis primorum urbis Romæ temporum aratoribus esse existimet.

Unum excipio. Si scriptori licuit eorum quos dicentes facit referre verba, et orationes, quemadmodum pronuntiatæ sunt, alicunde nancisci, nihil dubium esse potest, quin illæ totidem verbis lectori reddendæ sint, neque in ipsarum locum ludentis ingenii fœtus supponendi. Itaque non negabimus peccasse Tacitum, qui in lib. XI Ann. cap. 24, Claudio imperatori alienam et fictitiam tribuerit

orationem, quum vera exstaret, cujus etiamnum fragmenta habemus (1). Sed si verarum copia non sit, non video sane, cur vetetur is qui historiam scribit, suas et ad excolendum animum, et ad acuendum ingenium sæpe profuturas orationes offerre lectori, quum præsertim et in eas conjici commode possint sapientissima quædam monita ac præcepta ex ipsis factorum visceribus nascentia, quæ tamen inter narrandum attexere minime decuerat; et ingenia, mores, animi ducum ac populorum propius ad naturæ veritatem exprimi; et vero causæ illæ quibus bellorum origo, et celeberrimi quique eventus continentur, atque etiam consilia ex quibus facta fluxere, liberius copiosiusque tractari. Ad hæc tot commoda illud quoque accedit, quod in iisdem velut in amœnis quibusdam diverticulis, perpetua narratione defatigatus interdum lectoris animus suavissime conquiescit.

Id tantum cavendum est lectori, ne ex orationibus facta se sincera et incorrupta haurire posse existimet, quæ in iis in majus aucta, vel extenuata verbis, ad invidiam gratiamve decurtata, depravata plerumque reperiuntur. Orationes non tamquam ex scriptoris persona accipi debent, sed ex ejus, quisquis ille est, quem scriptor loquentem facit. Ipse narrationi fidem, orationibus præstare debet eloquentiam. Si quando tamen hac libertate abuti visus est Livius, id observare in notis non neglexímus.

At enim qui directas conciones operi suo inserunt, *historiæ modum*, id enim secundum erat, *excedunt;* id est, si recte assequimur accusatoris mentem, ultra terminos legibus præfinitos evagantur, nec jam historicos se esse volunt, sed oratores. Id quam convenienter in Sallustio et Livio reprehendat Trogus Pompeius (2), ipse viderit, qui obliquas orationes historiæ suæ non dubitaverat intexere,

(1) Lips. Comment. in Tac.

(2) Trogus apud Justin. lib. XXXVIII, cap. 3.

quarum unam nobis servavit Justinus (1), plerisque Livianis prolixiorem. Quis enim non videat eamdem plane et obliquarum, et directarum concionum esse rationem? Præclarum vero commentum! mirum artificem! qui pro *indicativis modis infinita* subjecerit, et loco *primæ personæ tertiam.* Eos qui nihil omnino, ac ne orationes quidem ipsas in historiam inseri debere contendunt, nisi ex vetustorum monumentorum fide, etsi paulo severiores sunt, aliquid tamen sequutos esse video. Verum iis nos profecto ludibrio habent, qui quum directas conciones reprobent, jus sibi esse existimant obliquas, quantumlibet prolixas, in opus suum includendi. Nihil ergo videtur afferri, cur Livio suas orationes vitio ac culpæ dari debere pronuntiemus.

At circa formam loquendi elegantiamque sermonis litem ei dudum movit vir ingenio et eloquentia clarissimus, Asinius Pollio (2), qui in eo putabat inesse quamdam *Patavinitatem*, sive locutiones quasdam quæ Patavinum, ut ita dicam, solum saperent, nec essent quadam urbanitate coloratæ (3). Hoc crimen hodie, nec dilui, nec comprobari omnino posse facile crediderimus. Fieri sane potuit, ut homo Patavinus patriam plane dediscere non quiverit, et levia quædam retinuerit loquendi vitia, quæ principis inter Romanos viri teretes et religiosas aures offenderent. At nos, quibus latina lingua peregrina est, qui eam ex libris tantummodo cognoscere possumus, quomodo tantum nobis arrogaremus, ut illos nævos, qui plerorumque Romanorum oculos fortasse fallebant, deprehendere et assignare

(1) Justin. lib. XXXVIII, cap. 4 et seq.

(2) Quintil. Instit. lib. I, cap. 5, et lib. VIII, cap. 1.

(3) Aliter multi docti viri interpretati sunt illam *Patavinitatis* criminationem, et intellexere alii studium partium Pompeianarum, alii odium in Gallos, aut similia commenta : quæ quum satis vel ipsis Quintiliani verbis evertantur, in illis refellendis immorari non operæ pretium esse visum est. Si quis tamen eas interpretationes operose excussas et refutatas videre voluerit, adeat Dan. Morhofii libellum densa eruditione refertissimum, *de Patavinitate Liviana.*

auderemus? Id sane tentaverit Dujatius (1), homo non ita a latinitate instructus, ut Livianæ orationis censuram ageret. Nobis consultissimum videtur ea de re silere. Bene profecto nobiscum ageretur, qui latinam linguam balbutire conamur, si Livii orationem cum sua quoque *Patavinitate* daretur effingere.

§ II. *Livii fides.*

Nec vero eloquentia tantum claruit Livii, sed laudatur et fides, quæ prima virtus ab historiarum scriptore requiritur. Ausum esse eum vera etiam cum offensionis periculo dicere, veritatisque studiosiorem fuisse, quam gratiæ imperantis, ex eo patet quod, referente Tacito (2), ita Cn. Pompeium laudibus extulerat, ut Pompeianum eum Augustus appellaret. Sæpe Brutum, Cassium, Scipionem, Afranium, ut insignes viros nominaverat. Neque id, eodem teste Tacito, amicitiæ ipsius cum Augusto offecit: quod quidem dubito utrum patientissimis principis auribus, an scribentis libertati fuerit honorificentius.

Sed et in iis quæ hodie supersunt, nulla apparet assentationis erga eum qui rerum potiretur suspicio. Semel aut iterum in totis quinque et triginta libris Augustum appellat: sed ipsa re poscente, sed breviter et cursim, modicis cum laudibus et veris. Libro primo, cap. 19, templum Jani, occasione data, memorat ab eo clausum fuisse: quo quum Augustus magnopere gloriaretur, ipse tamen rem uno verbo tangit, gratulatus tantum ætati suæ raram felicitatem. Rursus, ubi de spoliis opimis Cossi disserit, lib. IV, cap. 20, testem allegat *Augustum Cæsarem, templorum omnium*, inquit, *conditorem, aut restitutorem:* quod quam vere, quam non ambitiose dictum sit, testimonio est illa ipsius Augusti notissima vox: *marmoream se relinquere* urbem,

(1) Præf. in Liv.
(2) Ann. IV, 34.

quam lateritiam accepisset(1). Jam vero in narranda insigni illa de Hasdrubale victoria quam Livius et Nero reportavere, quam bella sese scriptori nostro (2) materies offerebat demerendæ Liviæ Augusti uxoris, quæ ad alterum e victoribus originem referebat, in alterius domum fuerat adoptata? quam facile ibi sese jactare poterat adulatio? Livius rem quidem ipsam ornate, ut par erat, magnifice describit; in victores ipsos plena manu laudes cumulat: de eorum posteris, de Livia, Tiberio, Druso, ne verbulum quidem.

Verum, quoniam non laudationem Livii quamdam exornamus, sed ipsius imaginem suis expressam lineamentis conamur effingere, fateri cogimur ejus fidem, quæ adversus gratiam potentiorum inconcussa stetit, amore patriæ aliquoties fuisse labefactatam.

Inprimis igitur ubique apud nostrum sese prodidit nimia quædam romanæ magnitudinis admiratio, nec satis cauta semper aut consulta, quæ et ipsi inscio fortasse et imprudenti fucum fecerit. Itaque de Roma tenui adhuc et cum finitimis colluctante magnifice tamen interdum loquitur. *Spes unica*, inquit lib. III, cap. 26, *imperii populi romani L. Quintius*. Emphatice dictum. At tunc *imperii populi romani* fines nondum ad vicesimum fortasse ab Urbe lapidem promoti fuerant. Nec multis annis post Canuleius tribunus plebis (3) *urbem in æternum conditam et in immensum crescentem* jactat. Ubi quis non videt observatum esse scribentis animo superbum illum Romæ rerum dominæ splendorem, et ad obscura Romæ nascentis initia audacius quam verius esse translatum?

Sed et hostibus quoque populi romani Livius eos venerationis in eum admirationisque sensus affingit, quibus ipse imbutus erat. Hannibal ille Romam apud nostrum (4)

(1) Sueton. Aug. cap. 29.
(2) Lib. XXVII, sub finem.
(3) Lib. IV, cap. 4.
(4) Lib. XXI, cap. 30

vocat *orbis terrarum caput*, quum nondum tota Italia plane jugum accepisset, nec quidquam extra eam Romani tenerent, præter Siciliæ partem et Sardiniam; quum staret Carthago, atque etiam Hispaniæ majorem partem imperio amplecteretur. Rursus idem (1), dum milites ad bene pugnandum hortatur, *dempto*, inquit, *hoc uno fulgore nominis romani*. Quasi vero Carthaginem debere Romæ fasces submittere ultro agnovisset acerrimus ille Punicæ magnitudinis vindex, et Romanæ pæne eversor, aut tunc temporis minus Punico nomini *fulgoris* quam Romano circumdari.

Idem impetus nimii amoris in patriam Livium abstulit, quum non dubitavit affirmare Romanos *nunquam ab equite hoste, nunquam a pedite, nunquam aperta acie laborasse*. De peditatu silemus. At nonne *ab equite hoste* laboraverunt Romani, quum adversus Hannibalem bellum gererent, quem equitatu longe superiorem fuisse et ipse Livius (2) passim fatetur, et prudentissimi Romanorum duces sensere (3), atque ob id magnopere cavere ne in campis patentibus ab eo deprehenderentur? Nonne *aperta acie* laboraverunt, quum ad Cannas ab eodem Hannibale prope ad internecionem cæsi, quum ad Alliam ab Gallis fusi sunt?

Sed hæc quidem utcumque condonari possunt, in quæ incogitantem Livium rapuit instinctus quidam studii in romanam laudem vehementioris, ita ut ipsum scribentem falleret pietas in patriam, blanda conciliatrix sui. Illa non video quonam colore defendi possint, quæ sedulo et dedita opera silentio tramisit, propterea quod parum honorifica sive romanæ genti, sive quibusdam celeberrimi nominis viris viderentur. Hujus generis aliquot exempla referre operæ pretium est.

Polybius, acerrimo judicio et incorrupta fide commen-

(1) Lib. XXI, cap. 43.
(2) Lib. XXI, cap. 47.
(3) Lib. XXVI, cap. 38, etc.

datus scriptor, magna cura perpendit initio lib. III quænam causæ belli Punici secundi fuerint, et uter populus violatæ amicitiæ ruptique fœderis culpam sustineat. Postquam multa de hoc argumento disputavit, et hinc atque inde momenta rationum diligenti trutina ponderavit, rem ita concludit, ut statuat, si origo belli a Sagunti tantum excidio repetatur, Pœnos injuste omnino arma movisse; sin ratio habeatur Sardiniæ a Romanis, stipendio etiam superimposito, interceptæ, pia et justa fuisse Hannibalis arma, quum Pœni data occasione eos ultum irent, qui per occasionem temporum ipsis nocuerant.

Quid Livius (1)? Nempe ille ex Polybiana disputatione ea eligit et accurate exponit quæ Romanorum causæ favebant: quæ pro Pœnis dicta ab scriptore græco fuere, de iis omnino silet: malo sane consilio, et cui apud lectorem veritatis studiosum nulla possit esse venia.

Neque enim hoc saltem dici posset, errasse eum, et imprudentem fecisse. Siquidem quisquis Polybium cum eo contulerit, non poterit dubitare quin ea omnia quæ disserit noster de Lutatii et Hasdrubalis fœdere, e scriptore græco exscripserit, et verbum verbo pæne reddiderit. Fugere igitur illum non potuerunt ea quæ ad hujus ejusdem loci calcem a Polybio pro causa Pœnorum adjecta sunt.

Una defensio occurrit, si nempe Livius in lib. XX qui intercidit, ita narraverat ea quæ ad subactam a Romanis Sardiniam pertinent, ut illos interceptæ per fraudem hujus insulæ culpa liberaret: unde sequeretur eum, quæ a Polybio in contrariam partem disputata sunt, non tanquam adversa Romanis, sed tanquam falsa, suppressisse. Verum eo elevaretur fortasse crimen, non plane purgaretur. Magna est enim Polybii auctoritas, qui et propior illis temporibus fuit, et diligentissimus talium rerum indagator, et Romanis sane amicus, quos passim laudibus cumulat. Quum

(1) Lib. XXI, cap. 19.

igitur gravissimus judex, sine ulla cunctatione aut dubitatione, causa cognita, clare certumque pronuntiet Romanos contra jus, contra fœdera fecisse, dum Sardiniam invasere, minime profecto dubium est, quin Livius, si aliter senserat, aut scripserat, cæco in patriam amore præoccupatus a vero aberraverit.

Neque nos quisquam arguat severius agere cum Livio, et sequiore interpretatione ea illi vitio vertere, quæ clementius a benigno lectore accipi possint. Nemini concedimus, ut majore quam nos amore aut admiratione eximium scriptorem prosequatur: sed vincat veritas. Si uno tantum apud eum, aut altero in loco obscura aliqua delitesceret suspicio propensioris in Romanos animi, inhumane faceret, qui crimen urgeret, ac non potius rem mollire interpretando conaretur. At erumpentia undique hujus nimii affectus certissima argumenta nec nobis ipsi dissimulare, nec cæteris, possumus.

Velut in Scipione Africano manifeste tenetur Livius. Hunc inter eos omnes, quorum res gestæ in iis qui supersunt libris memorantur, noster præcipua quadam et admiratione, et effusa velut caritate complexus esse videtur: unde minus mirum est, quod ejus amori plusculum, quam concedit veritas, largitus sit. Fuit sane Scipio non solum victoriis triumphisque clarus, sed et ob egregias animi virtutes plane amabilis, comitatem, munificentiam, moderationem. Quin et negari non potest eum voluptates, ubi usus reipublicæ postularet, aspernari solitum esse, et frenare libidines, ne rebus gerendis essent impedimento. Cujus animi insigne specimen edidit, quum ad eum post Novam Carthaginem captam adducta a militibus est adulta virgo, eximia forma, quam statim parentibus et sponso reddidit. Sed Livius cum stoica quadam continentia libidinum mirabilem efficere voluit, ne quis scilicet nævus egregium corpus deformaret. Itaque ubi agit de illa captiva, cujus modo mentionem fecimus, quædam omittit, quædam

alio detorquet, quæ a Polybio simpliciter et ingenue memorata docent Scipionem non contempsisse plane voluptates, sed eas bono reipublicæ posthabuisse.

Juvenes quidam Romani, inquit Polybius lib. X, virginem ætatis flore et formæ bonitate præstantem ad Scipionem adducunt, quum observassent eum cupidum esse voluptatum, φιλογύνην ὄντα. Hoc supprimit omnino Livius. Respondet illis juvenibus apud Polybium Scipio se, si privatus viveret, nullum aliud gratius accipere potuisse munus; nullum, quum imperator esset, minus gratum. Quod responsum, licet per se haud obscurum, explicat apertius tamen Polybius: et, dum explicat, satis testatur se ipsamet Scipionis verba attulisse. Hoc nimirum dicto, inquit, innuebat Scipio, ejusmodi res per quietis et otii intervalla, suaves interdum juvenibus delectationes præbere, et levamenta curarum; easdem vero, si quis, ubi rem gerere opus est, iis utatur, et corpori, et animo magna afferre impedimenta.

Apud Livium (1) Scipio in oratione ad Allucium hoc modo loquitur: « quia ipse, si frui liceret ludo ætatis, præsertim « recto et legitimo amore, et non respublica animum no- « strum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius « amanti vellem ». Ipsa sese prodit similitudo, sed detorta aliquantum et deflexa: ut dubium esse non possit, quin Livius hæc scribens græcum scriptorem intuitus sit, sed ab eo prudens et sciens recesserit, et quibusdam additis lineamentis, quibusdam, quæ parum decora erant, in melius ac pulchrius mutatis, ei quem omni laude cumulandum susceperat viro mirandæ castimoniæ famam sartam tectamque voluerit asserere. Quæ quidem laus quam non ex vero in Scipionem conferatur, testimonio quoque est Valerius Maximus, qui lib. VI, cap. 7, laudat Æmiliæ ejus uxoris comitatem et patientiam, quod, « quum sciret viro

(1) Lib. XXVI, cap. 50.

« suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulaverit, ne « domitorem orbis (1) Africanum femina impudicitiæ reum « ageret ».

Unum adhuc truncatæ a Livio ad gratificandum romano nomini narrationis exemplum subjungemus: non criminandi prurigine, a qua longe absumus, sed ut nosmet impetiti temere tanti viri crimine absolvamus; simul quod non leve negotium agimus, aut in quo nobis sine plurimis firmissimisque argumentis vel debeat credi, vel possit.

Brachyllæ, Bœotarchæ, sive summi Bœotorum magistratus, mors narratur a Livio, lib. XXXIII, cap. 27 et 28. Eamdem narrationem apud Polybium habemus in Excerpt. Legat. n. 8. Bello Macedonico, Bœoti societatem cum T. Quintio Romanisque metu magis quam voluntate inierant. Itaque plerique veteres socios respectabant, et ne devicto quidem ad Cynoscephalas Philippo, destiterunt Macedonum rebus studere. Tunc temporis Brachyllas electus est Bœotarches, non aliam ob causam magis, quam quod propenso in Philippum animo esse crederetur. Hæc et alia quædam eodem pertinentia quum animadverterent principes eorum qui romanis partibus studebant, Zeuxippus et Pisistratus, metum ceperunt, quum ad portas prope sedente exercitu romano ea fierent, quidnam se futurum esset, profectis in Italiam Romanis. Itaque ut timore injecto adversarios comprimerent, Brachyllam e medio tollere statuerunt. Hucusque perbene inter utrumque scriptorem convenit: seu potius exscribit cum fide Polybium Livius.

At id reticuit quod apud græcum historicum sequitur, Zeuxippum et Pisistratum de suo consilio cum T. Quintio colloquutos esse; illum respondisse sese ad hoc facinus adjutorem quidem esse nolle, cæterum, si quis rem exsequeretur, nihil in se moræ futurum; denique jussisse eos to-

(1) In iis quas vidimus Valerii Max. editionibus legitur *Africani*: mendose. Et, si victoriam de Antiocho respicias, erit unde dicatur orbis domitor Scipio. — Conf. quæ notata sunt in nost. edit. t. I, pag. 461. Ed.

tam rem communicare cum Alexamene Ætolorum prætore, qui quidem revera sex illis sicarios subministraverit, a quibus Brachyllas interfectus est. Hæc, inquam, omnia, præter ipsam Brachyllæ necem, supprimit Livius. Quo consilio, nihil sane argumentari opus est. Ipsa res clamat eum noluisse infamiam Quintio, et per eum romano nomini aspergere, si romanus imperator, cujus facinoris ultor esse debuisset, ejus conscius fuisse nosceretur, atque etiam viam ad id perpetrandum quodammodo aperuisse.

Ab eodem animi affectu eum iniquum fuisse in Romanorum hostes, ac præcipue Gallos, quidam arguunt. Inter quos Dujatius (1) sese passim in notis gallici decoris assertorem ac vindicem jactat: quasi vero quidquam ad splendidissimi hujus Francorum imperii laudem dedecusve pertineant priscorum illorum Gallorum virtutes ac vitia, bene aut secus facta; qui a Romanis primum, deinde a Francis, Burgundionibus, Gothis domiti, jam a multis sæculis nulli sunt, et in victricium gentium nomen simul, et leges, instituta, moresque transierunt. Sed iis quoque Livius (2) nusquam negat Martios animos fuisse, et feroces, et inter pericula impavidos. Eorum vim impetumque terribilem ubique verbis extollit. Quod eosdem parum firmos animis corporibusque, si diutius hostis resisteret, fuisse ait (3), et, quemadmodum prima eorum prælia plusquam virorum essent, ita postrema minus quam feminarum esse, id quidem commune omnium Barbarorum, quales tum Galli fuere, vitium est, qui etiamsi impetu valent, mora certe languescunt. Nec absimilia Cæsar (4), eadem plane non uno loco Polybius (5) de Gallis tradunt: prorsus ut immerito videatur suspicio malevolentiæ in Gallos Livio affingi.

(1) Dujat. in not. ad V, 37 et 49; VII, 11.
(2) Lib. V. cap. 44.
(3) Lib. X, cap. 28.
(4) Cæs. de Bello Gall. lib. III.
(5) Polyb. lib. II et III.

Non negaverimus tamen fieri potuisse, ut interdum ea mallet noster vera esse quæ Romanis laudi, quam quæ Gallis erant. Polybius (1) Gallos capta urbe romana avocatos ad sua tuenda, quod Veneti ipsorum fines cum infesto exercitu ingressi erant, pace cum Romanis quibus conditionibus voluere facta, urbeque reddita abiisse memorat: Livius (2), eos a Camillo victos et ad internecionem cæsos esse. Hoc fictum esse a Livio nemo sanus dixerit. Sed nimirum, quum duplex fama esset, et auctores in utramque partem essent, suspicari sane licet illum maluisse ad illos accedere, qui romani nominis laudi favebant. Quod quidem nec certum plane est, et etiamsi non suspicionibus, sed argumentis teneretur, ejusmodi peccatis esset annumerandum, quæ humana plerumque natura parum cavet. Ex eo sane non recte colligeretur præcipuum aliquod et iniquum in Gallos odium.

Quod legitur in supposititio Antonini Itinerario (3), Fani Volturnæ, sive Voltumnæ, urbis Etruscæ, claris gestis invidisse Livium, ei crimini auctor fidem derogat. Nemo enim est qui ignoret spurium esse hoc opus, in quo illa criminatio reperitur, mendacem audacis nebulonis fetum, qui informi et perituro alioquin partui speciem antiquæ originis circumdare voluerit.

Ex iis quæ diximus satis jam apparere arbitramur, Livium quod difficillimum videtur præstitisse, ut ab indecoro in potentiores obsequio liberum se integrumque servaret; sed non perinde firmum fuisse adversus amorem patriæ, cujus laudibus interdum servierit magis quam veritati. Unde fateri necesse est, cum culpam commeruisse, quæ ab honestissima quidem causa proficisceretur, sed culpam tamen, in eo negotio ac munere, cui hæc prima sit dicta

(1) Lib. I et II.

(2) Lib. V, sub finem.

(3) Voss. de Histor. Lat.

lex, ne quid falsi dicere scriptor audeat, altera, ne quid veri non audeat(1).

Minor est negligentiæ culpa, sed eadem minus habet excusationis. Negligentem autem in historia (2) fuisse Livium, utinam falso Caligula jactasset! furiosus princeps, sed quem non usquequaque spernendi fuisse in literis judicii, documento est Seneca (3), cujus stylum et orationem ille ingeniose et vere descripserat, quum eum diceret arenam esse sine calce.

Nec vero illa leviuscula urgemus, quod in parvis interdum rebus Livium memoria fefellerit: ut quum in Pleminii morte narranda postquam lib. XXIX, cap. 22, duas diversas opiniones exposuit, quarum quidem priorem videtur potiorem habuisse, rursus lib. XXXIV, cap. 44, alteram, tanquam veram et indubitatam, sine ulla prioris mentione refert; quum duobus diversis lib. XXXVI locis, nempe cap. 21 et 38 M. Fulvii Nobilioris triumphum totidem fere utrobique verbis memorat. Hæc et similia multa annotavit et collegit vir eruditione, diligentia, ingenii sagacitate præstantissimus, Jac. Perizonius in Animadversionibus Historicis. Sed hi quidem minuti errores difficillime præcaveri possunt, et in eos recte cadit illa excusatio; *Operi longo fas est obrepere somnum.*

Illa graviora sunt, quod res quoque maximas, quas ab eo operis suscepti ratio, et lectoris utilitas postulabat, aut omnino prætermisit, aut verbo tetigisse satis habuit; quod in iis quæ ex aliis scriptoribus, ac præsertim ex Polybio exscripsit, auctorum illorum aliquoties mentem nec assequutus est, nec proinde accurate repræsentavit. Hæc duo nobis tractanda et probanda sunt.

Ac primo quidem, quis non et miretur, et etiam stomachetur, quum videat leges Romuli et Numæ circa religionem

(1) Cic. lib. II de Orat. n. 62.
(2) Sueton. in Calig. n. 34.
(3) Sueton. in Calig. n. 53.

ac cultum deorum, circa civilem militaremque reipublicæ administrationem, circa regis, senatus, populique jura, ita exiliter et jejune indicatas, ut Dionysium Halicarnasseum postea Plutarchumque in manus sumentibus nova fere omnia et ignota occurrant? Atqui profecto cujuslibet populi historia, non res tantum bello gestas, sed leges institutaque gentis complectitur, quæ et delectationem habent, et pluribus sæpe lectoribus utilitati esse possunt quam præliorum victoriarumque narratio.

Sunt qui Livium eo colore defendant, quod illa omnia quæ in eo nunc requirimus, Romanis quibus scribebat notissima esse sciret : Græcos autem, quum suis ignota scriberent, necesse habuisse cuncta sigillatim recensere.

Sed ex priscis illis institutis multa sane vetustate exoleverant, multa novis legibus abrogata mutatave fuerant : quæ proinde parum nota vulgo Romanis essent. Jam vero Livius in tanto opere non suæ modo ætatis homines, sed et posteros intueri debebat, ad quos illa transmitti non poterant, nisi historicis monimentis consignarentur. Non ægre in eorum sententiam descendimus, qui existimant illum explicandæ eloquentiæ cupidum maluisse in præliis enarrandis tanquam libero campo exsultare, quam legibus exponendis cum angusta et arida materia luctari.

Sunt tamen quæ ille silentio tramiserit, in quibus magna sese aperiebat ostentandi ingenii facultas. Quam fuse, quam luculenter contentiones de Marcii Coriolani judicio, tum apud Plutarchum (1), tum maxime apud Dionysium explicantur? Dionysius (2) quidem etiam modum fortasse justæ narrationis egreditur : sed Livius (3) in alteram partem peccat, dum ea quæ plus satis apud græcum scriptorem dilatata occurrunt, ipse nimis in angustum cogit, et mon-

(1) Plut. in Marcio.

(2) Dion. lib. VII.

(3) Lib. II, cap. 35.

strata potius quam exposita lectori relinquere properat. Discordiæ de Aventino publicando, et anno sequenti de delectu ac de lege Agraria a Dionysio, lib. X, memoratæ turbulentissimas in republica tempestatum moles excitavere. Legem Agrariam suasit, et postea egregiam in bello operam præstitit Siccius Dentatus, vir sane memorabilis, et inter Romanos quoque fortitudinis miraculum; cujus postea mors nefaria maximam Decemviris invidiam conflavit, et una e præcipuis causis fuit, cur illorum tyrannidi finis imponeretur. Tribunorum actiones de Aventino Livius (1) vix uno verbulo dignatur attingere: de lege Agraria, de Siccii oratione ad populum, de ejusdem et egregio in rempublicam animo, et incredibili in bello virtute omnino silet. Quid? nonne in his omnibus sese jactare poterat eloquentia? Nonne multas harum similes discordias actionesque tribunorum pluribus interdum persequutus est Livius, et omnibus dicendi ornamentis excoluit? Non est profecto verisimile, ut ille hæc consulto omiserit. Meram hic agnoscimus oblivionem et incuriam, quæ et ubique fere in primis illis tenuis reipublicæ temporibus apud eum deprehenditur ex collatione græcorum scriptorum qui eamdem historiam scripsere: ut profecto videatur noster ad majora et illustria festinans, origines urbis proximaque originibus, contra quam ipse professus in totius operis procemio fuerat, quam citissime licuerit transcurrisse.

Hinc ille, dum conditam urbem a Romulo narrat (2), ne sustinuit quidem annotare, quot annos ab Romæ primordiis ad suam ætatem lapsos esse crederet: hinc quoque de secessione plebis agens (3), observare neglexit plebem romanam tres menses, et quidem eos in quibus agros conseri opus est, in monte Sacro consedisse; conditiones quibus illa secessio composita est, incuriose admodum, et

(1) Lib. III, cap. 31.
(2) Lib. I, cap. 7.
(3) Lib. II, cap. 32.

indiligenter exposuit (1). Quid multa? Si hinc Livius, inde Plutarchus (2) et Dionysius studiose et cum cura pervolvantur, plura multo per se curiosus lector inveniet, quam nos hoc loco dicere aut volumus, aut possumus.

Quod spectat ad auctorum loca parum a Livio intellecta, primum exemplum afferemus ex lib. IV, cap. 34, ubi sic habet noster: « Classibus ..... ad Fidenas pugnatum cum « Veientibus quidam annales retulere: rem æque difficilem « atque incredibilem, nec nunc satis lato ad hoc amne, et « tum aliquanto, ut a Veteribus accepimus, arctiore. Nisi « in trajectu forte fluminis prohibendo aliquarum navium « concursum in majus, ut fit, celebrantes, navalis victoriæ « vanum titulum appetivere ». Magnæ sane ambages. Difficilis visus est Livio nodus: quem tamen facillime solvere potuerat, si attendisset vocem *classis* antiquitus usurpatam esse pro *multitudine hominum;* immo *vetustius fuisse*, ut ait Festus, *multitudinem hominum*, *quam navium*, classem *appellari*. Id notum Virgilio: unde apud eum (3) *Hortinæ classes* pro *equestribus copiis*, Servio interprete. Sic et *procincta classis* sumitur pro *acie instructa* (4). Hoc semel intellecto, nulla jam remanet difficultas, nec aliud profecto veteres illi annales memorati a Livio voluere, quam, exercitibus instructis, vel, ut maluit Tan. Faber (5), cui debetur hujus nodi dissolutio, equestribus copiis ad Fidenas cum Veientibus pugnatum esse.

Nec minus in Polybio interdum vertendo Livius hallucinatus est. Sic lib. XXXIII, cap. 35, quum reperiret apud Polybium (6), Cornelium legatum romanum venisse ἐπὶ τὴν τῶν Θερμικῶν σύνοδον, id est, ut dubitanter quidem, sed vere

(1) Lib. II, 33.

(2) Plut. in Romulo, Numa, Poplic. Marcio.

(3) Æn. lib. VII.

(4) Festus in hac ipsa voce, et Gell. lib. I, cap. 11.

(5) In nota ad hunc Livii locum.

(6) Legat. 9.

exponit Heur. Valesius (1), ad concilium Ætolorum, quod quotannis in urbe Ætoliæ Thermo agebatur, ipse intellexit Thermopylas, *ubi*, inquit, *frequens Græciæ statis diebus solet esse conventus : Pylaicum vocant*. Quod quantum a vero abhorreat, ex ipsa narratione facile deprehenditur. Ibi enim Ætolos solos alloquitur Cornelius; soli respondent Ætoli : et eorum responso audito Cornelius abit : quæ quidem omnia magis congruunt in concilium Ætolorum gentis, quam in totius Græciæ conventum. Idque optime sensit ipse Livius, qui, ut illi incommodo obviam iret, tradit Romanum cum Ætolis *præcipue* egisse. Sed illud *præcipue* apud Polybium nusquam est : atque adeo errorem Livii detegit, dum velat.

In illustri illa ad Cynoscephalas pugna, qua Philippus debellatus a Quintio est, occurrit apud nostrum (2) aliquid quod lectorem attentum morari debeat. Philippus dum in hostem ducit *Macedonum phalangem*, *hastis positis*, *quarum longitudo impedimento erat*, *gladiis rem gerere jubet*. Norunt omnes præcipuum phalangis Macedonicæ robur positum fuisse in sarissis ante ipsos porrectis, quæ et inexpugnabili velut vallo illos sepirent, et multum valerent ad perrumpendos hostium ordines. Quis igitur crediderit, jussos esse ab rege Macedonas suam ipsos vim solvere et infringere ? Si Polybium adeas, ex quo exscripta est a nostro tota hujus prælii narratio, non modo nihil tale reperies, sed etiam facile agnosces unde error Livii natus sit. Nempe hæc sunt Polybii verba (3) : Τοῖς μὲν φαλαγγίταις ἐδόθη παράγγελμα καταβαλοῦσι τὰς σαρισσὰς ἐπάγειν. Verbum καταβαλοῦσι videtur in fraudem induxisse Livium. Græci καταβάλλειν dicunt, quod latine dicitur *abjicere*, itemque *demittere*. Priore sensu accepit Livius, quum posteriore debuisset,

(1) In nota ad Liv. XXXIII, cap. 35.

(2) Lib. XXXIII, cap. 8.

(3) Lib. XVII.

ut et vertit Casaubonus, qui in illo Thermici concilii loco a Livio deceptus, hic cautior fuit. *Phalangitis data est tessera, ut demissis sarissis,* id est, versis in hostem sarissarum cuspidibus, *hostem invadant.*

Frustra igitur Livius, ut narrationi suæ verisimilitudinem conciliaret aliquam, et quod in ea hiulcum et mancum erat expleret, duplicem ei assuit pannum, dum et *longitudinem* sarissarum *impedimento* ait futuram fuisse pugnantibus, et Macedonas jussos esse *gladiis rem gerere.* Nimirum rationem reddere primo voluit, cur sarissas ponere juberentur: tum, postquam eis sarissas ademerat, ne scilicet inermes eorum dextræ essent, gladiis illas armavit. Sed nihil aliud inde colligi potest, nisi eum ex ingenio corrigere haud sane feliciter tentasse quod in Polybio minus intellexerat.

Sed nusquam se manifestius ejus prodit incuria, quam in decreto senatus de legibus pacis cum Philippo, quod ita deformatum ab eo exhibetur, ut nec decretum ipsum intelligi, nec ea quæ postea narrantur, ullo modo queant: quum tamen apud Polybium plana omnia et liquida sint. Polybii locum primo afferemus (1) ex interpretatione Casauboni, ut negotio semel clare percepto, facilius intelligat lector, quid in eo a Livio peccatum sit. « Senatusconsulti « præcipua capita erant hæc: ut cæteri omnes Græci, et « qui in Asia degunt, et qui in Europa, liberi sint suisque « legibus utantur: ut qui in Philippi ditione sunt, et si « quas ille urbes Græcorum præsidiis tenet, eas ante cele-« brationem ludicri Isthmiorum Romanis Philippus tradat: « Euromum, Pedasa, Bargylia, Jassum, item Abydum, « Thasum, Myrinam, Perinthum, deductis inde præsidiis, « liberas esse sinat ». Cætera hujus decreti nihil huc attinent. Sed ex iis quæ attulimus apparet duplicem græcarum civitatum a Romanis conditionem distingui: unam earum

(1) Polyb. in Excerpt. Legat. 9.

quæ Philippo non parerent; alteram, earum quæ essent in ejus ditione. Prioris generis omnes liberæ jubentur esse. Quæ Philippo parent, ex iis itidem omnibus præsidia deduci jubentur, sed ita ut aliæ, quæ non nominantur, tradantur Romanis; aliæ, quæ nominantur, liberæ sint. Nec vero sine causa decretum suum romani Patres in hunc modum concinnaverant. Nondum enim eis certum erat Corinthum, et Chalcidem, et Demetriadem liberare, quas *compedes Græciæ non contumeliosius, quam verius* Philippus appellare solitus erat (1). Metuebant igitur invidiam, si eas urbes nominatim sibi tradi juberent, dum palam liberatæ Græciæ titulum affectabant.

Livium (2) nunc audiamus. « Pax data Philippo in has « leges est : Omnes Græcorum civitates, quæ in Europa, « quæque in Asia essent, libertatem ac suas leges haberent. « Quæ earum sub ditione Philippi fuissent, præsidia ex his « Philippus deduceret; his, quæ in Asia essent, Euromo, « Pedasisque, et Bargyliis, et Jasso, et Myrina, et Abydo, « et Thaso, et Perintho : eas quoque enim placere liberas « esse ». In paucis his versibus quater peccasse Livium, sive detrahendo, sive addendo quæ opus non esset, facile animadverti potest.

Primo quidem, *omnes Græcorum civitates* in libertatem restitui ait, quum scribere debuisset *cæteras omnes Græcorum civitates*, τοὺς μὲν ἄλλους Ἕλληνας πάντας. Vox enim illa *cæteras* otiosa non est, sed indicat exceptum iri postea quasdam civitates, quarum diversa ab iis quæ priores appellantur conditio futura sit, ac proinde quæ libertatem ac suas leges non sint habituræ.

2° Nullam mentionem facit urbium quæ Romanis tradi jubeantur.

3° Illud additamentum, *eas quoque enim placere liberas*

(1) Liv. XXXII, cap. 37.

(2) Lib. XXXIII, cap. 30.

esse, totius decreti sensum pervertit. Non enim illæ *quoque* urbes, sed solæ illæ ex iis quæ Philippo parerent, nominatim liberæ esse jubentur.

4° Denique in illis urbibus, quas Asiæ Livius attribuit, duæ reperiuntur, quæ ad Europam pertinent, Thasus et Perinthus.

Quod si culpandos esse hoc loco librarios, non Livium, aliquis contenderet, nec nihil fortasse, nec tamen omnia dicere videretur. Fieri potuit, ut, quemadmodum sæpe alias, ita et hic quoque Livio nocuerit exscriptorum negligentia. Suspicemur sane excidisse ea quæ de urbibus tradendis Romano scripserat, quarum mentio occurrit capiti sequenti, quanquam haud profecto quidquam satis firmum est, quo illa suspicio nitatur. Cætera quonam modo in librarios rejici possint, non videmus; quumque nullum in ipsa oratione vulnus, ac ne cicatrix quidem appareat, sed omnia rotunda, integra, sana, si liceat huic loco suspicionem affingere corruptionis, et eo argumento Livium defendere, nihil jam superest, quod non eodem possit colore purgari. Ne dubitemus igitur agnoscere illum hic aliquid humani passum esse, ut et quibusdam aliis in locis, quæ sedulo in notis nostris observata reperientur.

Quod si tanto viro accidisse mirabimur, cogitemus etiam illos celeberrimi nominis scriptores, summos esse; homines tamen (1): Livium vero ad eloquentiam natum, et ad grandia impetu quodam abreptum, haud facile potuisse in iis immorari, quæ horridioris et jejunioris disputationis essent, et in auctore interpretando omnes syllabarum apices religiose dimetiri: denique id illi contigisse, quod omnibus. Semper enim humana aliqua parte claudicant, nec ullum fere in quoquam homine eximium bonum est, quod non aliquo incommodo pensetur. Livius valuit ingenio, curam non semper præstitit: quemadmodum contra raro

(1) Quintil. Instit. lib. X, cap. 1.

assurgunt ii quorum anxia diligentia est, propterea quod vim ingenii frangit caloremque restinguit operosa animi circa res minutas intentio. Sed pergamus ad reliqua.

Perutilis sane et ad gustum eruditi lectoris prorsus accommodatus hoc nostro ævo mos viget, ut qui historias scribunt, magna cura indicent eos fontes unde viridaria sua irrigavere, et acta, monumenta publica, scriptores eos quibus nituntur auctoribus in singula appellandos esse sibi existiment. Eo fit ut facta posteris semper ipsa primorum testium quodammodo voce tradantur, et, si quid a secunda manu interpolatum, additum, detractumve est, id illico, inspecta rei origine, possit deprehendi. Id a Livio factum non esse, mirari fortasse aut magnopere queri non debemus, quum hic mos a nullo fortasse Veterum accurate servatus sit.

Verum ubi quis scriptor alium quemlibet auctorem non modo intuetur animo, sed plane vestigiis premit, nec paucula quædam excerpit ex eo, sed totas rerum maxime memorabilium narrationes et ingentes operis partes exscribit; tum vero eum cui tantum debeatur cum honore appellare, non moris cujusdam est, sed juris prope naturalis, quo jubemur suum cuique reddere. Hic quoque Livii diligentiam desiderari, negare omnino non licet. Multa ille in III^a^, IV^a^ et V^a^ decadibus e Polybio ita mutuatus est, ut verbum pæne verbo fidus interpres reddat; transitum Alpium, Carthaginis Novæ expugnationem, Scipionis in Africa de Syphace, de Hasdrubale, de Hannibale victorias, ejusdem Scipionis et Hannibalis alternas orationes, pugnam ad Cynoscephalas, et innumerabilia alia, quæ sigillatim persequi longum esset, et præterea supervacuum, quum unusquisque nullo negotio possit ex utriusque scriptis rem per se ipse inspicere. Nec dubium est, quin plurima a Livio indidem desumpta nos ideo fallant, quod Polybiani operis longe minima pars ad nos pervenerit. Adeo ut vere dici possit Livius eam operis sui partem quæ in eodem cum

Polybii historia argumento versabatur, totam pæne ex solo illo auctore contexuisse. Ejus tamen raro admodum mentionem facit, nec usquam fere, nisi in minutis rebus, et ubi variant auctorum sententiæ. Nusquam profitetur se ei permulta debere, se libros ejus integros vertere, iisque pro suis uti.

Addunt quidam, ut Livii causam onerent, id omnium minime ferendum esse, quod ubi Polybius ab eo honorificentissime appellatur, vocetur tantummodo (1) *haudquaquam spernendus auctor;* et alibi (2), *non incertus auctor, quum omnium romanarum rerum, tum præcipue in Græcia gestarum.* Sed optime a doctissimis viris (3) repositum est has locutiones *haudquaquam spernendus auctor, non incertus auctor,* intelligendas esse κατὰ λιτότητα, id est, ita ut plus multo valeant sensu, quam quantum ipsa per se verba sonant; ut proinde *non spernendus auctor* idem sit ac *gravissimus auctor, non incertus* idem ac *certissimus.* Id quidem frequentissimo optimorum scriptorum usu comprobatum est: et perfacile consimilium exemplorum ingens multitudo ad legentis fastidium hic congeri posset. Hanc ergo defensionem libenter amplectimur, et cupimus ingrati animi suspicionem a Livio nostro amoliri.

Verum enimvero pertinax illud ejusdem de mutuatis a Polybio opibus silentium, non videmus quam excusationem habere possit. Atque ut id planum faciamus, fingamus non maximam Polybianæ historiæ partem, sed totam eam, quanta quanta fuit, intercidisse. Cui nostrum Livii scripta pervolventi veniret in mentem suspicari, eum tot ac tanta ex Polybio in suam rem vertisse, nec fere quidquam alicujus momenti in bello Hannibalico, ac præcipue in bellis adversus reges Philippum, Antiochum, Persen, habere,

(1) Lib. XXX, cap. 45.

(2) Lib. XXXIII, cap. 10.

(3) Casaubon. ad Fragmenta Polyb. et Voss. de Hist. Lat.

quod non inde haustum sit? Per illum ergo non stetit, quominus Polybii in eum merita longa nocte urgerentur: atque adeo, etiamsi fraus abfuerit, nec eo consilio tacuerit Livius ut sese furtivis coloribus ornaret, videtur tamen non satis liberali in Polybium animo fuisse, nec obtemperasse illi quam omnes boni in cordibus insculptam gerunt beneficiorum legi, ut qui beneficium accepit, palam illud et ubique prædicet, et in ejus notitiam cupiat omnium mortalium, si fieri possit, et detur occasio, conscientiam advocare.

Erunt tamen fortasse qui potius quam Livium damnare hoc nomine sustineant, malint suspicari, eum, ubi primum Polybio uti duce potuerat, id est, circa tempora Punici belli, quæ pars Liviani operis intercidit, testificatum fuisse, se multa deinceps ab eo mutuaturum, et ex illo potissimum auctore deprompturum ea quæ in parte non pœnitenda reliquæ jam historiæ persequuturus erat.

Sed observemus primo, Polybium belli Punici primi, et eorum quæ bellum Hannibalicum præcessere, non justam historiam, sed breviarium quoddam contexuisse. Unde merito colligitur eam quæ a Livio adornata fuerat illorum temporum narrationem, Polybiana pleniorem et uberiorem fuisse. Num igitur verisimile sit Livium, ubi parce et tenuiter a Polybio juvabatur, ibi effusissimum grati erga eum animi testimonium explicasse; ubi omnia fere illi debet, siluisse?

Deinde vero, etiamsi id semel fecisse Livium concederemus, tamen erat profecto tanti, hanc testificationem, non Polybio magis, quam ipsi honorificam, identidem renovari; præsertim quum in iis qui supersunt libris aliquoties Polybius appelletur, cujus vel nuda mentio hoc reposcere videbatur memoris erga tam benemeritum scriptorem animi benevolentiæque vectigal.

Si quis igitur hac excusatione Livium defendere conetur, non magnopere repugnabimus. Nobis tamen illa nec satis

verisimilis, nec idonéa videtur. Statuimus ergo duplici eum negligentiæ crimine vix absolvi posse, tum circa res ipsas, tum circa fontem originemque rerum, quas in magna historiæ parte memoravit.

§ III. *Livius recti honestique amans.*

Sed minime miremur tamen, his maculis, quascumque in Livio notavimus, non obsolefactam fuisse gloriam ejus ad posteros. Etenim præter eximium illud perfectæ eloquentiæ decus, de quo initio diximus, hoc quanti est, quod vir bonus et recti honestique amans Livius, suam ubique virtuti laudem, suam vitio reddit ignominiam; neque nudam ac jejunam dictorum factorumque proponit seriem legentibus, sed iis instructam judiciis ac præceptis, quæ ad omnem vitæ officiique rationem egregia possint esse documenta?

Ac primo quidem pietatem in numina quæ apud suos colebantur, et quamdam religionis patriæ reverentiam ubique profitetur: infelix, qui temporum vitio et communis exempli imperiosa lege abreptus futilem religionis umbram pro re amplecteretur; laudandus, qui umbram retineret tamen, seseque multum ab insanientis sapientiæ audacia et temeritate sejungeret, quæ bellum falsis indictum diis cum vero gerebat, et dum impios vulgi circa divina profligaret errores, ipsam tollebat divinam vim, eademque opera maximum justitiæ et societatis humanæ vinculum dissolvebat. Sacrilegam hanc, quæ suo ævo Romæ vigebat, opinionum licentiam, non semel increpat, et cum intimi doloris sensu deflet Livius. Quam gravis, quantæ severitatis et sanctimoniæ plena est hæc quæ lib. III, cap. 20, occurrit novæ illius impietatis castigatio? « Nondum hæc, quæ nunc tenet sæculum, negligentia deum venerat: nec interpretando sibi quisque jusjurandum et leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat ». Et alibi, de juvene

eo qui consulem monendum sibi esse existimabat pullarium auspicia ementitum esse, *juvenis*, inquit, *ante doctrinam deos spernentem natus* (1). Sed quid plura opus est? Qui sedulo perpenderit, quonam modo Livius, si quid pie in deos factum est, id commemoret et prædicet; contra, si in aliquo contemptor religionis animus appareat, quam is invidiose describatur, et in odium vocetur, facile animadvertet prioribus illis exemplis nostrum maximopere delectatum esse, hæc vere et ex animo detestatum. Sufficiat hic indicare lectori, cap. 40 et 46 lib. V, ubi de Albinio, et Fabio Dorsone agit, et initia lib. XXII, ubi de consule Flaminio.

Neque vero crediderimus, id quod multi Livio objecere, illam quam in eo laudamus cælestis numinis reverentiam, in anilem superstitionem degenerasse. Huic criminationi maxime ansam præbuere prodigia illa, quæ plurima in singulos fere annos colligit, partim incredibilia et omnino vana, partim ab imperitis hominibus falso habita pro monstris, quum tamen nihil in iis esset, quod non ex vi ipsa rerum et naturæ legibus flueret. Sed non recte judicant de Livio, qui hæc omnia ab eo aut pro veris memorata, aut in religionem versa esse existimant. Ipse se multis locis defendit: ut quum lib. XXI, cap. 62, prodigiorum enarrationem sic orditur: « Romæ, aut circa urbem multa ea hieme « prodigia facta, aut (quod evenire solet motis semel in re- « ligionem animis) multa nuntiata et temere credita sunt ». Rursus lib. XXVII, cap. 23: « Cumis (adeo minimis etiam « rebus prava religio inserit deos) mures in æde Jovis aurum « rosisse nuntiatum est ». Ubi etsi rei prorsus incredibili fidem potius derogare debuerat, absurdæ certe superstitionis crimen a se repellit. Sed nusquam suum de his rebus judicium aut apertius, aut fusius explicat, quam lib. XLIII, cap. 13: « Non sum nescius, inquit, ab eadem negligentia

(1) Lib. X, cap. 40.

« qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque « nuntiari admodum ulla prodigia in publicum, neque in « annales referri. Cæterum et mihi vetustas res scribenti « nescio quo pacto antiquus fit animus : et quædam religio « est, quæ illi prudentissimi viri publice suscipienda cen« suerint, ea pro indignis habere quæ in meos annales re« feram ». Ex his profecto patet plura eum, quod Curtius (1) de se testatur, transcribere, quam credere, et sola antiquitatis veneratione adductum ea in annales suos retulisse, quæ etsi futilia esse intelligeret, illis tamen prudentissimis viris gravissima visa esse, et, tamquam missa a diis, publice suscepta meminerat.

Quin etiam illud affirmare non dubitabimus, pertinuisse ad historiæ fidem, ut prodigia illa, quemadmodum in publicis monumentis tradita reperiebat, ita ad nos scripto transmitteret. Quis negaverit historiæ cujuslibet populi non pœnitendam esse partem eam quæ ad ejus sacra ritusque religiosos et cultum numinis spectet? Quem nostrum non juvat nosse, quantopere mentes priscorum illorum Romanorum obcæcaret stolida, et multum, irridendane dicam, an deflenda, circa divina superstitio et credulitas? Quæ cognitio tantum abest ut veræ religioni officiat, ut contra hoc quoque nomine gratias Deo immortales et habere, et agere debeamus, quod nos veteribus illis neque prudentiores neque ingeniosiores, a tam supinis tamque exitialibus erroribus, per divinam Evangelii lucem, liberaverit. Non continuo igitur, si Livius perabsurda prodigia memoriæ mandavit, id ei in crimine ponendum, aut nota superstitionis injungenda est : ac proinde nihil jam obstat quominus eum multum amemus de sua in eos quos solos colere didicerat deos pietate. Multum ergo ab eo absumus, ut Gregorio Magno, acris ingenii, et eruditi in religionem Christianam studii pontifici, tam lævam fuisse mentem putemus, ut,

(1) Curt. lib. IX, cap. 4.

quod legitur in Antonini Summa (1), ob illam prodigiorum commemorationem infensus Livio, quoscumque nancisci potuisset ejus libros igni traderet. Id nec libet credere, et licet, ubi rei tam absurdæ tanto posterior ætate testis unus citari potest.

Sed et cæterarum virtutum, justitiæ, abstinentiæ, comitatis, munificentiæ, castimoniæ, amoris in patriam, summa ubique apud eum elucet admiratio, quæ in earum æmulationem ipsum quoque lectorem rapit. In re manifestissima non operæ est diutius immorari. Sed tamen quis non ardore quodam caritatis in patriam succendi se sentiat? sive audit Lentulum consules ad Caudium hortantem (2), ut communem salutem non morte tantum, sed et ignominia sua bene emptam putent; sive hanc velut ex oraculo missam vocem excipit: *Respublica incolumis et privatas res facile salvas præstat. Publica prodendo tua nequidquam serves* (3). Quem non ad temperantiam contemptumque voluptatum incitet et inflammet Scipio ille, qui dum Masinissæ intempestivum et præcipitem in Sophonisbam amorem castigat, non dubitat, et juvenis, et victor, omnibus triumphis anteferre frenatarum libidinum decus (4)?

Quod si a vitiis quoque dehortantur aliena opprobria, Tarquinii superbiam et crudelitatem, Appii decemviri libidinem et impotentiam, Manlii Capitolini spes ambitiosas et seditiosa consilia, Flaminii Varronisque temeritatem iis coloribus depingit Livius, ut tantam fœditatem nemo non laudis cupidus exhorrescat. Sic ergo ex ejus opere hic colligitur fructus, quem ipse ex historia uberrimum utilissimumque capi posse existimaverit. Sic *omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueri* datur. *Inde tibi*

(1) Fabric. Bibl. Lat. lib. I, cap. 11.

(2) Liv. IX, cap. 4.

(3) Liv. XXVI, cap. 36.

(4) Liv. XXX, cap. 14.

tuæque reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites (1).

Fremant philosophi licet: audacter profitebimur animi nostri sententiam. Omnes illorum disputationes una nobis videtur Livii historia, si quis et honesti amore sibi pectus imbui velit, et salubri quodam antidoto adversus vitiorum contagia muniri, sive auctoritatis pondere, sive utilitatis ubertate superare. Quidquid apud illos præceptis adstruitur, hic firmatum videmus exemplis. Illi cassam sæpe et vacuam fingunt animo virtutis imaginem: hic ipsa sese virtus præsentem sistit ob oculos, et vivam quodammodo ac spirantem exhibet. Illorum suspecta interdum est otiosa loquacitas: hic nos frangit auctoritas ineluctabilis onustorum triumphis ducum, et maximi post hominum memoriam imperii conditorum. Denique illorum præceptiones non modo aridæ ac jejunæ nihil habent lenocinii, nihil voluptatis, sed etiam ipsa præcipiendi professione absterrent ac fugant indociles plerumque hominum animos: Livius et omni eloquentiæ cultu salutaria monita vestit et exornat, et ita præcipit ut prorsus lateat præcipiendi voluntas. Nullum in eo magisterii supercilium; nulla doctoris persona: fallitque disciplina virtutis ante insinuata mentibus, quam ipsi qui discunt doceri sese intelligant.

Hoc artificium callide deprehendit vir exculti multa humanitate ingenii Corbinellus (2), qui sententias e Livio collectas contulit in libellum, editum Parisiis anno 1694. In monito quod huic libello præfixum est, observat editor, mirum quibusdam fortasse videri posse, quod qui tam non sententiosè scripserit Livius, tam multas ex suo opere excerpendas sententias præbuerit. Sed nempe egregius dicendi artifex, non, Polybiana simplicitate, tamquam purpureos pannos, narrationi sententias assuit. Longe illi major est

(1) Liv. Præf.

(2) *Les anciens historiens réduits en maximes. Premier volume. Tite-Live.*

venustatis et æquabilitatis in scribendo cura. Dat itaque operam, *ne*, quod postea Petronius (1) monuit, *sententiæ emineant extra corpus orationis expressæ, sed intexto vestibus colore niteant.*

Jam igitur æquam de Livio videmur ferre posse sententiam. Tres præcipuæ sunt historiæ dotes, ut vera, ut jucunda, ut utilis sit. Atque adeo tria sunt historici officia, ut res gestas cum fide repræsentet, ut iis tractandis eloquentiam adhibeat, ut hausta ex iisdem morum informandorum monita et præcepta narrationi inspergat. Duo ita præstitit Livius, ut si minus cæteris omnibus dicendus est præripuisse palmam, certe nulli secundus haberi possit: ac si historiarum scriptori sufficeret utile dulci miscere, frustra quidquam perfectius quæreretur. Sed quum adversus fidem triplici modo peccare quis possit, nimirum vel sciens et volens, vel amoris aut odii cæcis insidiis deceptus, vel negligentia lapsus; harum culparum nullam esse a qua se semper immunem Livius servaverit, idoneis, ut putamus, argumentis probavimus.

ART. IV. *Criminationes ad animum moresque Livii pertinentes.*

Antequam ad alteram institutæ disputationis partem transeamus, ne quid a nobis, quod alicujus sit momenti, prætermissum dicatur, duo nobis expendenda sunt, a Seneca patre et Plinio majore objecta Livio, non ad opus ipsius, sed ad mores animumque pertinentia.

Seneca, lib. IV, Controv. 24, hanc Thucydidis sententiam refert: Δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα. Quam sic vertit Sallustius: *Res secundæ mire sunt vitiis obtentui.* « T. autem Livius, inquit Seneca, tam « iniquus Sallustio fuit, ut hanc sententiam, et tamquam « translatam, et tamquam corruptam dum transfertur, obji« ceret Sallustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum

(1) Satyr. cap. 118.

« præferat. Laudat quem non timet, et facilius putat posse « a se Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur ». Si de ipsa re Senecæ credimus, cujus sane testimonium haud facile quis aspernari possit, si Livius tam futili criminatione Sallustium insectatus est, profecto non videmus qui liceat ab ejusdem Senecæ judicio discedere : fatendum erit Livium Sallustio ejusdem gloriæ æmulatione iniquum fuisse. Quid enim corrupti deprehendi potest in sententia Sallustiana, quæ Thucydideam et fideliter et elegantissima cum brevitate exprimit? Unam vero sententiam ex alio scriptore translatam objicere Sallustio, non ejus est qui totos Polybii libros exscribere solitus sit. Idem tamen Seneca (1) alibi agnoscit Livium natura candidissimum omnium magnorum ingeniorum æstimatorem fuisse. Sed nempe pravum laudis certamen etiam moderatissimi et æquissimi ingenii animique homines sæpe transversos rapit.

Plinius non ita probabili de causa videtur Livium lacessisse. Litem ei propterea intendit, quod in historiarum suarum quodam volumine sic orsus fuerit : « satis jam sibi « gloriæ quæsitum, et potuisse se desinere, ni animus in- « quies pasceretur opere ». *Profecto enim*, inquit Plinius (2), *populi gentium victoris, et romani nominis gloriæ, non suæ, composuisse illa decuit.* Fuisse eum romani nominis gloriæ plus etiam quam satis sit studiosum supra probavimus. Quod vero et suæ quoque laudis aliquam rationem habuerit, quis ei crimini vertat, qui meminerit cupidinem gloriæ etiam sapienti novissimam exui (3)?

Omnino, si mores ejus ex scriptis æstimaverimus, ut fere solent ii qui scribunt aliquid, animi sui effigiem etiam aliud agendo in libris suis exprimere, dubitare non possumus, quin candidissimum ei pectus fuerit amantissimumque virtutis. Eam ille ubique tantis laudibus, tam ab omni

(1) Suasor. 6.

(2) Præfat. Hist. Nat.

(3) Tacit. Hist. IV, 6.

fuco et mendacii larva alienis extollit, ut intra otiosam ejus admirationem minime stetisse videatur. Scias eum qui virtutem in cæteris eximie laudet, in se quoque amare.

ART. V. *Honores ejus memoriæ a Patavinis habiti.*

Tanti viri memoriam, quæ toti literato orbi venerationi esse debet, Patavini ejus cives præcipuo sibi honore colendam esse existimavere. Sed verentur docti (1), ne sua eos fefellerit pietas, dum ejus ossa inventa apud se esse, male intellecta inscriptione decepti, nimium facile sibi persuadent. Quum enim anno post Christum natum 1413 apud ædem S. Justinæ Patavii, terra altius effossa, apparuisset vetustissimum pavimentum, eoque fracto capsa plumbea ossibus plena reperta esset, quidam recordati sunt, ibi jam antea veterem effossum lapidem cum hac inscriptione:

V. F.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS.

Nemo dubitavit, quin ipsum Livii corpus illo loculo contineretur. Itaque celeberrimo urbis loco, in curia ubi jus dicitur, vulgo *Palazzo della ragione* vocant, ossa illa asservari voluere; statuamque ibi Livio e marmore posuere, cum illa quam repererant inscriptione: quæ monumenta hodie quoque Patavii visuntur. Sed inscriptionem modo

(1) Vid. Voss. de Hist. Lat. lib. I, cap. 19; Dujat. Præfat. in Livium, et Morhof. de Patavinitate Liviana, cap. 3.

memoratam a liberto Liviæ Titi filiæ, non a Tito ipso positam fuisse docuit Marquardus Gudius. Est enim sic legenda : VIVENS FECIT TITVS LIVIVS LIVIAE TITI FILIAE QVARTAE LIBERTVS HALYS CONCORDIALIS PATAVI SIBI ET SVIS OMNIBVS; quæ verba hanc habent interpretationem, ut Halys libertate donatus a Quarta Livia Titi filia, Concordiæ postea, cujus erat Patavii templum, sacerdos factus, sibi ac suis hoc monumentum posuerit.

Est et alia Livii statua lapidea Patavii in porta quadam, non longe a curia, cum hac inscriptione :

OSSA

TITI LIVII PATAVINI, UNIUS OMNIUM MORTALIUM
IVDICIO DIGNI, CVIVS PROPE INVICTO CALAMO
INVICTI POPVLI ROMANI RES GESTAE
CONSCRIBERENTVR.

Sed hæc inscriptio et literis Gothicis exarata est, et fastu ipso ampullisque verborum, quas in inscriptionibus sana ignoravit antiquitas, novitatem plane sapit.

Dujatius et Morhofius aliam adhuc inscriptionem afferunt, quam in ædibus Hannibalis *Capodilista* haberi aiunt, quæque et antiqua esse, et ad nostrum pertinere posse videtur. Ea sic habet:

T. LIVIVS C. F.
SIBI ET SVIS
T. LIVIO. T. F. PRISCO ET
T. LIVIO. T. F. LONGO ET
CASSIAE SEX. F. PRIMAE
VXORI.

Ut ut sit, præter conditorium illud Livii ossibus, ut tum existimabant, in curia positum, seorsim ostenduntur Pa-

tavii lingua et maxilla ejus, teste Vossio (1): sed brachium alterum non item, quod Alphonso V Arragonum regi dono datum a Patavinis esse hæc ibidem inscriptio testatur: « Inclyto Alphonso Arragonum regi, studiorum fautori, « reipublicæ Venetæ fœderato, Antonio Panormita poeta « legato suo orante, et Matthæo Victurio hujus urbis præ- « tore constantissimo intercedente, ex historiarum parentis « T. Livii ossibus, quæ hoc tumulo conduntur, brachium « Patavi (2) cives in munus concessere anno Christi mille- « simo quadringentesimo quinquagesimo primo, XIV Ka- « lendas Septembres ». Ea tum erat principum quoque virorum ac regum in literas earumque antistites pæne religiosa veneratio: a qua tantum degeneravimus, ut talia hodie exempla memorantibus venia opus sit. Nimirum, quantum pecuniæ divitiarumque pretio et admirationi accessit, tantum de veræ laudis et doctrinæ honore decedere necesse est.

Expensis iis omnibus quæ ad Livium ipsum spectant, jam ad ejus editores interpretesque transeamus.

CAPUT SECUNDUM.

DE LIVII EDITORIBUS ET INTERPRETIBUS.

Artic. I. *De iis qui J. Frid. Gronovium antecessere T. Livii editoribus.*

Dignum sane erat Livii opus, cui illustrando, et mendis quæ per incuriam imperitiamque præcedentium sæculorum in illud irrepserant liberando, studium et operam impenderent viri inter literatos ingenio et doctrina clarissimi. Hoc itaque summa cum sua laude, et magno reipublicæ literariæ bono plurimi præstitere, quorum nomina, et quid quisque Livio contulerit, et quo anno suum laborem publici juris

(1) Voss. de Hist. Lat. lib. I, cap. 19.

(2) Melius videretur *Patavini*.

fecerit, recenset J. Frid. Gronovius in præfatione sua ad Livium, quam ad hujus calcem subjungemus, ne aut bene meritos de hoc præstantissimo scriptore deque nobis homines gloria sua, aut cupidum lectorem illorum notitia fraudemus.

Nobis hic observare sufficiat, ex iis omnibus quos Gronovius enumeravit neminem esse cui plus debeat Livius, quam Car. Sigonio. Ille et scriptis aliquot exemplaribus adjutus, et magna romanarum rerum peritia, multas Livio labes abstersit, locisque quamplurimis, vel obscuris lucem, vel sauciis et laceris sanitatem reddidit: ut vix quidquam abesse putaretur, quominus ejus opera eloquentissimus scriptor primævo nitori restitutus esset.

Artic. II. *De Gronoviis.*

At sequutus Sigonium post unius sæculi ferme spatium J. Frid. Gronovius, longo illum intervallo superavit. Hunc vere dixerimus principem tenere locum inter eos omnes qui Livio castigando manum admovere: virum in quo cum limatissimo judicio certat copia eruditionis et varietas; in quo mira ingenii acies et sagacitas minime officit diligentiæ; sine timiditate cautum, audacem plerumque sine confidentia: qui denique omnibus jam Livium tractaturis fax esse debeat certusque dux, a quo raro discedi possit sine erroris periculo. Etenim ad ea quæ modo memoravimus naturæ doctrinæque præsidia, etiam optimorum librorum copia accesserat, quorum ope multas insignes maculas, partim inveteratas jamdudum, partim a pravis emendatoribus recens allitas, eluit (1): multa, quæ specie sanitatis imponebant, cæco aliquo laborare vitio ostendit: multa falso suspecta in integrum restituit: ut post tot doctissimorum virorum labores, novus tamen pæne Livius, et velut rediviva juventa nitidus in lucem tum demum prodierit.

(1) Vid. ejus Præf. infra.

Hæc singularis est Gronovii laus, quod ipsum Livii contextum optime repurgarit. Cæterum locis sanis quidem, sed paulo difficilioribus aliquam explanationem adjungere; antiquitates, puta leges, mores, instituta Veterum parum vulgo cognita, breviter, ubi daretur occasio, explicare; supplere ea quæ Livius ab aliis tradita interdum omisit; paucula de Geographicis inserere, aliaque hujusmodi neglexit: sive quod id a prioribus abunde præstitum crederet; sive curam eam, tamquam fama sua parum dignam, aspernatus est. Non quin talia multa in ejus notis occurrant: sed nimirum neque omnia persequutus est, et ubi aliquid hujusmodi attingit, illuc non accessit consilio, verum casu delatus est, dum veram alicui loco asserit lectionem, aut emendationes suas firmare conatur, quod sine pleniore totius negotii tractatione fieri non poterat. Alioquin, quidquid ad contextum ipsum non pertinet, præterire solitus est. Uno verbo restitutor Livii, quam interpres audire maluit. Quod si integrum laborem suscipere non gravatus esset, et omnia quæ opus sunt adjumenta voluisset suppeditare studioso Livii lectori, necdum plane in rebus romanis, et antiquitatis cognitione trito et subacto; profecto ille, qua et doctrinæ ubertate, et felicitate ingenii fuit, perpauca postfuturis interpretibus facienda reliquisset.

Quamquam ea ipsa quæ dedit, non ita ad amussim perfecta esse contendimus, ut nihil addi, detrahi, mutarive queat. Nam præter styli scabritiem, qui interdum locutionibus et vocabulis, latinis quidem, sed ex intimo artium minime vulgarium recessu depromptis, aut vetustate obsoletis, aut denique a communi et populari usu remotis, scatet totus et horret, est et quando vir doctissimus dormitaverit: ut quum deceptus una literula per incuriam operarum prave immutata, desperatum esse pronuntiat, et variis conjecturis vexat et sollicitat eum Livii locum, quo nullus clarior fingi potest. Is locus reperitur lib. XXXIII, cap. 48, et a Clerico ex veteribus editis emendatus est. Sed id qui-

dem perraro contingit; atque haud scio an huic ex omnibus iis qui umquam in simili opere versati sunt, rarissime.

At conjecturas audaciores in ejus notis sæpiuscule animadvertas, quibus haud facile fides habenda sit. Ipse quidem sedulo cavit, ne cuiquam ex ea re prudenti attentoque lectori fraus fieret. Quas enim certissimas esse emendationes duxit, eas in textum admisit; quæ sane ita plerumque, imo fere semper, severa trutina examinatæ et religiose perpensæ sunt, ut nulla de iis possit dubitatio superesse. In notis indulsit magis ingenio, et liberius conjecturas sivit excurrere: ita tamen ut multa in iis non ingeniosa solum, sed quam proxime ad veritatem accedentia, et plane etiam verissima reperiantur.

Illud plurimi sane laudi ei dare minime dubitabunt, quod operosa diligentia MSS suorum lectiones in notas usque et usque congerat; et fidem quasi sub testibus agentis gratanter accipiendam esse arbitrabuntur. Erunt fortasse quibus molesta illa sedulitas et fastidiosa videatur. Quid sentiamus ipsi, aperire necesse habebimus in tertia hujus præfationis parte, ubi de interpretis et notarum concinnatoris officio disputabimus. Eodem rejicimus disceptationem de multitudine exemplorum, quæ locutioni alicui firmandæ vel illustrandæ aliquoties ab eo cumulata sunt. Sed quidquid tandem de minutis his leviusculisque rebus statuatur, illud constat, neminem, ex quo literæ revixerunt, utiliorem operam scriptori nostro navasse. Et sane labor ejus quum magno statim plausu exceptus sit, hodie quoque secundissima apud doctos omnes, et merito quidem, fama fruitur.

Post J. Fr. Gronovii mortem, Jacobus ejus filius in paternæ laudis consortium venire voluit, et diligenter inspectis veteribus quibusdam membranis, quarum copiam non habuerat pater, modica, nec tamen inutili accessione scholia ejus in Livium locupletavit (1). Sed et aliquot dissertationes

(1) Vid. Præf. Jac. Gronov. in edit. an. 1679.

epistolicas de quibusdam locis, præsertim Geographicis, ad calcem secundi tomi Liviani attexuit, in quibus nonnulla sunt felicissimæ audaciæ, et quæ faciant ad illustrandum interpretandumque Livium. Sed qui ad eas legendas se accinxerit, ei *animis opus et pectore firmo*. Nam quod supra diximus Gronovii patris orationem haud satis tersam ac perspicuam interdum videri, et reconditioribus locutionibus vocabulisque paulo horridiorem, ludum jocumque paterni styli asperitatem esse dices, præut apud hunc quæ dumeta et senticeta reperies. Audaces, seu potius inverecundæ metaphoræ, et, velut captandæ obscuritatis causa, in allegoriam etiam productæ; salebrosæ locutiones; verba inusitata, inaudita, et remotissimæ sæpe vetustatis veterno inquinata; græca passim admixta latinis; ex historiis, ex fabulis raptim et obscure indicatis, petita velut ænigmata: hic est orationis ejus cultus, hæc crepundia. Neque enim in illa incidit, sed appetit ultro, et in deliciis habet, et his contexit orationem. Quod ne quis fingere nos, aut certe in majus augere existimet, hic speciminis causa non pigebit inserere primam periodum epistolæ ejus nuncupatoriæ ad illustrissimum episcopum Paderbornensem, Ferdinandum Furstenbergium, quum amantissimo literarum præsuli dissertationes suas epistolicas dicaret. Sic igitur orditur: « Naviculam hanc, in qua meditationum aliquot formas et « tirocinii in Tito Livio mei partem oneravi, optimo sidere « ituram, et ab omni procella tutam reipublicæ populi ro- « mani oras circumerraturam censui, si in ejus acrostolio « Reverendissimæ Celsitudinis tuæ nomen pro parasemo « insculperem, et hanc ei Tutelam invocarem ». Cætera ad eamdem normam exacta sunt. Attamen, quemadmodum Virgilius se de Ennii sterquilinio aurum colligere aiebat; ita in his Jac. Gronovii fruticetis, et velut aspero horridoque solo, opimam interdum prædam venari et excipere licet, et exhaurienda in legendis ejus dissertationibus molestia multa utilitate pensatur, ut in nostris notis identidem apparebit.

Artic. III. *De Dujatio.*

Eodem fere tempore quo apud Batavos prodibat sociatus utriusque Gronovii labor, Parisiis nova quoque Livii editio publice proposita est, adornata a J. Dujatio ad usum Ser. Delphini. Hujus operis universam formam nemo non æquus æstimator laudaverit. Notæ ejusmodi sunt, ut earum auctor, non ea tantum quæ gloriæ sibi, sed et quæ quam plurimis utilitati esse possent, spectavisse videatur; textus ipsius Liviani emendationem, difficiliorum locorum interpretationem, rituum, legum, etc. brevem explicationem, plurima de Geographicis, non pauca ad historiam ipsam pertinentia. Explevit etiam Dujatius ea quæ in ultimis qui exstant Livii libris exciderant. Denique magnum suæ editioni ornamentum adjecit, supplementa in locum librorum Livii deperditorum a J. Freinshemio concinnata, ut integrum romanæ historiæ corpus a Romulo ad extrema fere principatus Augusti tempora perpetuo tenore perductum lectoris oculis exhiberetur.

Dujatii laudi favemus sane ex animo, non solum patriæ causa, sed et quod ubique ille sese probat candidi animi virum, ingenuique, ac simplicis, nullo fastu, nulla arrogantiæ suspicione, ita mutuantem a cæteris, ut debitam ipsis laudem minime intercipiat; ita eos interdum refellentem, ut nulla in reprehensione insit acerbitas: denique vere gallicum pectus, et ab omni simulationis, invidiæ, ostentationis labe alienum. Postulat tamen instituti nostri ratio, ut, quid in eo desiderari possit, non dubitemus exponere. Quod ita præstabimus, ut et veritati, et homini consultum velimus.

In primis etsi clara ejus est, et facilis, et perspicua oratio, non satis tamen sincera est et incorrupta latinitas; sed multis inquinata vitiis, quæ vernaculum sermonem redolere, et ex eo fluxisse videantur. Initio statim, in nota

ad præfationem Livii nona, *æstimata* sumit pro eo quod latine diceretur *in pretio habita*, et alibi (1), *principale judicium*, quod gallice dicimus, *jugement au principal*, et *Camillus renuntiata patria*, et *dignitatis titulus*, et *in genere* pro hoc nostro *en général:* aliaque quamplurima, quæ etsi ipsam interpretationis fidem minime vitiant, tamen et ingrata accidunt iis qui puræ latinitatis gustum ex limpidis antiquitatis fontibus haurire studuerunt, et aliquid detrahunt ex auctoritate interpretis per imperitiæ suspicionem, aut certe negligentiæ.

Et sane, quisquis Dujatii notas sedulo perpenderit, facile intelliget eum in multis sæpe negligentius se gessisse, nec vero parem suscepto muneri, aut doctrinæ copiam, aut latini sermonis intelligentiam attulisse. Itaque et a mente auctoris non raro aberrat interpretatio, et de antiquitatibus disserenti haud facile credendum est. Pauca hic utriusque generis exempla producemus, non accusatorio animo, non obtrectandi cupidine, sed quia ingenuam semel in judicando libertatem professis silere jam integrum non est.

Libro III, cap. 41, orto inter Appium decemvirum Valeriumque certamine, narrat Livius ab decemviro indictum esse Valerio silentium, « et ad Valerium, inquit, negantem « se privato reticere, lictorem accedere jussit ». Sensus apertus est. Contendebat Valerius Appium anno jam ante abiisse magistratu, ac proinde eum pro privato habebat. Negat igitur se reticere debere ex jussu hominis privati. *Se* referri debet ad Valerium : *privato* est in dandi casu : nihil clarius. Quidnam igitur judicabimus de hac Dujatii nota : « *Se* ad Appium refer, non ad Valerium : quasi dicat Vale- « rius, ipso Appio privato, non debere silentium ejus nutu « servari ». Sensum quidem attigit : vim verborum et latini sermonis proprietatem prorsus pervertit. Quis enim non

(1) Lib. III, cap. 40, not. 6; V, 44, not. 1; VIII, 32, not. 5; VII, 21, not. 3.

videt τὸ *se* referri nullo modo posse ad Appium? Quis autem unquam sic loquutus est? *Nego reticere te privato.*

Libro VIII, cap. 23, Samnites postquam questi sunt Fregellas, quæ ab se captæ ex Volscis, et dirutæ fuerant, a Romanis restitutas, coloniamque eo missam esse, hæc adjiciunt: « Eam se contumeliam injuriamque, ni sibi ab « iis qui fecerint dematur, ipsos omni vi depulsuros esse ». Quis in tam plano loco putaret posse quemquam offendere? Dujatius nodum in scirpo quærit, et suis se ipse irretit laqueis. *Redundare videtur*, inquit, *vel* ipsos, *vel* se, *nisi unica vox sit* seipsos, *in duas longiore paulo intervallo distracta.* Unica vox, *seipsos!* Nolumus quidquam gravius dicere; sed qui id in mentem venerit optimo viro, sane miramur. Si quis pro Horatiano illo, *græca quod ego ipse testa conditum levi*, diceret *græca quod ego testa condidi ipse et levi*, essetne aliquis, quem tam proclivis et plana locutio moraretur, aut qui τὰ *ego ipse*, pro *unica voce* haberet *in duas paulo longiore intervallo distracta?*

Inviti hanc velut censuram agimus: simul veremur, ne exilibus hujusmodi tricis lector defatigetur. Itaque unicum adhuc exemplum apponemus, ex quo intelligi possit, Dujatium in antiquitatis cognitione haud magnopere fuisse versatum. Livius, lib. VIII, cap. 26, de secundo Q. Publilii Philonis triumpho agens, « Duo singularia hæc, in« quit, ei viro primum contigere: prorogatio imperii non « ante in ullo facta, et acto honore triumphus ». Hic Livium reprehendit Dujatius: « Hoc, inquit, singulare non erat « Romæ, ut post administratum honorem quis triumpha« ret ». Sed, dum Livium erroris arguit, ipse suam vel inscitiam prodit, vel incuriam. Constat enim, ut quod maxime, tum ex Livio, tum ex fastis Capitolinis, neminem ante Publilium triumphasse post actum honorem, sive magistratum; sed omnes qui antea triumphaverant, consules, aut dictatores, aut tribunos militum triumphasse. Cætera quæ ibidem occurrunt de proconsulatu, parum iti-

dem accurata sunt. Sed hæc sufficere videntur de Dujatii notis, eo quidem magis, quod non ea illarum est apud homines fama, ut multis fraudi esse possit quidquid in eis peccatum est.

Ex iis quæ diximus conjicere licet, quid de supplementis ab eodem in lacunas ultimorum qui exstant Livii librorum concinnatis judicandum sit. Nimirum optimam voluntatem, et naturalem quamdam ingenii facilitatem defecerunt præsidia doctrinæ, atque etiam otii copia. Ipse in nota ad librum XLI prima profitetur se ea quæ interciderunt supplere conaturum, « quoad, inquit, per urgentis assidue bibliopolæ festinationem, measque inevitabiles et publicas « occupationes licebit ». Futilis et minime accipienda excusatio. Ea nobis adhibenda est adversus literariam rempublicam reverentia, ut nos ei demerendæ vacuos præbeamus: et quidem in opere ad qualemcumque posteritatis utilitatem comparato facilis est aliquot mensium, immo et annorum, jactura.

Si ita sensisset Dujatius, limatiora procul dubio supplementa illa prodiissent, et digniora quæ in corpus Liviani operis veluti coalescerent. Nunc præter vitiosam orationem, et corruptæ latinitatis sparsas hinc inde maculas, magna circa res ipsas indiligentia deprehenditur: quædam omissa, quæ inseri par fuerat, quædam arcessita, quæ aliena erant, et ex sequentibus præpostere repetita; ea ipsa quæ temporis ac loci erant, incuriose tractata, et ex scribentis ingenio exornata, amplificata, interpolata: adeo ut quum primo statuissemus supplementa, qualia a Dujatio concinnata fuerant, in nova hac editione intacta repræsentare, appositis tantum notis, quibus emendaremus ea quæ minus accurata viderentur, nobis necesse fuerit desistere ab incepto, novaque supplementa nostro marte condere, in quibus tamen plurima ex eo mutuari minime religioni duximus.

Artic. IV. *De supplementis Freinshemianis.*

Unum, ut jam diximus, consultissime fecit Dujatius, quod supplementa Freinshemiana Livio attexuit: egregium opus, et haud scio an omnium quæ in gratiam studiosorum romanæ historiæ facta sunt, utilissimum; de quo etsi paulo jactantius fortasse, non immerito tamen auctor (1) ipse ita gloriari ausus est, ut sponsione quodammodo quemlibet ex eruditorum numero lacesseret, professus se *neutiquam metuere, ne quis ex his omnibus scriptoribus qui sunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copiosius, verius.*

Unam tantum decadem, eam scilicet quæ secundæ Livianæ vices supplet, vivus vidensque in publicum emiserat Freinshemius, Holmiæ, anno MDCXLIX. Biennio post ejus mortem, id est, anno MDCLXII, cum eadem illa decade rursum typis excusa, prodierunt in lucem Argentorati et Francofurti etiam alii quinquaginta libri, a libro nimirum sexto et quadragesimo ad quintum et nonagesimum. Denique integrum jam opus Parisiis, accurante Dujatio, cum Livio editum est.

Hujus operis ea pars, quam parens ipse in lucem produxit, limatior profecto cæteris esse debet, et magis habere absolutionem quamdam suam et quasi maturitatem. Sed et parum videtur abfuisse, quin extremam imposuerit manum illis quoque quinquaginta libris, qui non multo post ejus mortem publici juris facti sunt: quibus quidem etiam monitum ejus præfixum est, quo ipse lectori hos tradit in manum libros et commendat. Quumque hoc monitum, quale apud Dujatium habetur, notam anni MDCLIV præferat, videtur jam tum hos libros editurus fuisse Freinshemius, nisi aliqua ei undeunde objecta mora fuisset. Postremi

(1) In monito ad lectorem.

quinque et quadraginta libri, etsi absoluti ab auctore fuerunt, non tamen æque ac cæteri videntur expoliti fuisse.

Sed ubique mirari licet variam et copiosam eruditionem, operosam in colligendis iis quæ sparsim et minutatim apud quamplurimos scriptores disjectæ erant historiæ romanæ reliquiis diligentiam, in repræsentandis religiosam fidem, in componendis, et suo loco atque ordine tamquam tesserulis in emblemate vermiculato struendis, dexteritatem et solertiam. Stylus, in iis præcipue quæ castigare auctori licuit, facilis, perspicuus, qui nec serpat humi, nec nubes captet; paulo pinguior tamen, et in quo desideres florem quemdam latinitatis elegantemque munditiam. Narratio dilucida, sententiis monitisque ad informandos mores accommodatis distincta. Quin et orationes ex æmulatione Livii identidem immixtæ, quæ J. Clerico (1) ita *disertæ ingeniosæque* visæ sunt, ut affirmare non dubitet, *ad res ipsas quod attinet, ordinemque et perspicuitatem, vix quidquam melius ab ipso Livio fieri potuisse.* Quo judicio quemadmodum plus videtur tribui Freinshemio, quam res et æquitas postulat; ita illud contendimus, nonnullas ex illis concionibus esse ejusmodi, ut iis aliquid præstantius efficere, non vulgaris aut ingenii sit, aut etiam eloquentiæ.

Denique sic statuere non verebimur, hæc supplementa pari voluptate fructuque tum ab indoctis, tum a doctis legi posse; ab his, ut quas velut per ingentia locorum spatia dissipatas hinc inde historiæ romanæ particulas, et quasi concisa minutatim membra, magno labore consectati sunt, ea in unum coagmentata corpus, et sub uno conspectu posita intueantur; ab illis vero, ut plenam ejusdem historiæ notitiam nullo negotio sibi comparare queant, et habere quo referant quæcumque deinde ad hoc idem argumentum pertinentia lecturi sunt.

Digna est viri optime de literis meriti memoria, quæ ad

(1) In Præf. ad Livium.

posteros cum honore propagetur; dignus ipse, cujus et vita, et literarii labores quam plurimis innotescant: eo quidem magis, quod virtutis amorem, quem prætulit scriptis, moribus quoque præstitit; homo candidi pectoris, et ex iis omnibus, quos ad se Christina Suecorum regina conspicuos eruditionis laude vocaverat, unus qui magno illi Cartesio (1) ex animo faverit, et inter obtrectantum summo philosopho et viro invidos tumultus, ipse fidelem ei amicitiam et plena benevolentiæ officia exhibuerit. Itaque quum epitaphium ejus, quo tota hominis vita describitur, Dujatius, non indicato tamen auctoris nomine, edendum curaverit, idemque indicem operum ejus omnium confecerit, utrumque hic non pigebit exscribere.

EPITAPHIUM FREINSHEMII.

JOANNES FREINSHEMIUS
Lucem primum aspexit ULMÆ
A. D. XVI Kal. Decembris
Anno Christiano M. DC. VIII.
Academias invisere cœpit natus annos quindecim:
Maxime vero profecit ARGENTORATI,
Adjutus humanitate, consiliis, exemplo
Viri Optimi, atque Doctissimi,
MATTHIÆ BERNEGGERI.
Inde vocatus a Viro quodam Illustri in GALLIAM,
MICHAELIS MARESCOTTI *usus contubernio,*
Inter Regis Secretarios Interpretes locum tenuit
Anno Christiano M. DC. XXXIV.
Reversus inde ad BERNEGGERUM *suum,*
Ejusque filia ducta A. Ch. M. DC. XXXVII.
Commune cum eo tectum, mensam, Museum,
Bibliothecam, studia prope omnia habuit.

(1) *Vie de Descartes, liv. VII, chap.* 15 *et* 18.

Hinc in SUECIAM *accitus*, UBSALIÆ
Professorem Politices egit, et Eloquentiæ,
Anno Christiano M. DC. XLII.
Donec post quinquennium in Aulam adscitus Regiam
Incomparabilis illius CHRISTINÆ judicio,
Sub Regii Bibliothecarii et Historiographi titulis
A studiis Serenissimæ Reginæ factus est.
Valetudine vero frigidioris cœli impatiente,
In Patriam se recepit Anno M. DC. LI.
Ubi tum Serenissimus ELECTOR
Palatinam instaurans Academiam,
Præsentiam illius operamque desiderare cœpit.
Huic ille vocationi lubens meritoque paruit,
Sed non ante consensum Serenissimæ Reginæ:
Quæ A. M. DC. LV. per GERMANIAM *transiens*,
Consiliariorum numero eum addidit.
Igitur Anno sequenti profectus HEIDELBERGAM,
Serenissimi ELECTORIS *Consiliarius*,
Et novo nostris Academiis exemplo,
PROFESSOR HONORARIUS *constitutus est.*
Adeptus ista sine ambitu,
Functus sine tædio,
Reliquit sine mærore
HEIDELB. *Ann. M. DC. LX. pr. Kal. Sept.*
Unum memor esse necessarium.

INDEX

OPERUM FREINSHEMII

A DUJATIO CONFECTUS.

Lucubrationes Freinshemii exstant multæ, atque admodum utiles, publici jamdiu juris: quædam sunt typis nondum vulgatæ.

Versantur in hominum manibus,

Panegyricus Gustavi Adolphi Suecorum Regis.

L. Ann. Florus in Capita et Versiculos distinctus, Notisque illustratus.

Supplementa Curtiana, cum ipsius Curtii operis, quæ exstant, fragmentis, variantibus lectionibus, indice locupletissimo, et commentario: quod opus Joachimo Vico-Fortio Equiti dicatum prodiit Argentorati apud hæredes Lazari Zetzneri an. 1640; et illud nost. edit. inseruimus integrum. Ed.

Notæ in Tacitum.

Paraphrasis Corneliana, qua priores quatuor libri Annalium Taciti exponuntur.

De S. Rom. Imperii Electorum, et Rom. Ecclesiæ Cardinalium præcedentia.

Supplementorum Livianorum libri CV.

Syntagma de Vicariatu Palatino: quod prodiit sub nomine Phylœci.

Latent adhuc, ut audio, in eruditi Vormatiensis Advocati Bibliotheca, in quam post Freinshemii obitum emptione transierunt, præter varias in classicos aliquot scriptores notas,

Theses de Assessoribus.

Meditationes Politicæ de Officio boni Præsidis.

Carthaginiensia, Numidica, Achaica et *Pergamena*, seu harum rerumpublicarum et regnorum formæ, historiæ, instituta.

ART. V. *De Th. Hearnii, et J. Clerici editionibus.*

Anno 1708, Oxoniæ prodiit nova Livii editio, curis Thomæ Hearnii, non illa quidem apud nos multum celebrata; et quæ se tantummodo commendet ingenti variarum lectionum multitudine, quas magno labore ex aliquot MSS collegit editor, et suo quasque loco imis paginis subjecit. Cæterum notæ quæ ad illustrandum Livii sensum faciant, paucissimæ; atque textus ad Gronovianam emendationem exactus.

Ultimus Livio admovit manum J. Clericus, fecundus immensorum voluminum parens, qui ingentia theologiæ, philosophiæ, sacræ profanæque eruditionis, antiquæ et recentis historiæ spatia pervagatus, demum hic quoque aliquid se posse testari voluit. Sed rem molli, ut aiunt, brachio tractavit. Quamquam et textus Livii emendatissimus apud eum est, quippe ex Gronoviano descriptus, et extima operis velut facies concinna admodum et venustula, sive typorum chartæque elegantiam attendas, sive formam voluminis ad eum modum arctatam, ut facile circumferri posset, sive addita singulis paginis adjumenta ad expeditiorem jucundioremque Livii lectionem percommode excogitata, in summa ora cum libri et capitis numero nomina consulum, aut eorum magistratuum a quibus annus nomen accipit, ad latus annos tum ab Urbe condita, tum ante Christum natum, et simul perexigua quædam rerum e regione narratarum breviaria.

Notæ paucissimæ sunt: quo in genere etsi libenter hoc ei concedimus (1), melius committi ut lector queratur *pauca esse, quam* ut *æquo plura* fastidiat, tamen offendit quoque nimia paucitas et evilescit, nisi eximia rerum utilitate ac bonitate pensetur. An vero dignæ fuerint notæ

(1) Vide ejus Præfat. infra.

illæ, quæ quasi gemmulæ quædam minime vulgarentur, sed non modica intervalla nitida luce distinguerent, nobis dubitare liceat. Ipse profitetur se (1), *quum semper Livium in deliciis habuisset, et nonnulla in adversariis suis ad eum scriptorem notavisset, ea huc transtulisse; nonnulla in ipso editionis decursu nata esse, nec diu aut procul quæsita.* Hoc quidem etiamsi monere supersedisset ipse, facile animadvertisset peritus lector et intelligens. Sunt enim ibi, ut in tanta notarum paucitate, plurima, quæ non satis accurate perpensa esse perspicuum est.

Velut quum lib. II, cap. 58, elegantissimum eumdem et meridiana luce clariorem Livii locum, dum vult emendare, corrumpit. Loquitur ibi Livius de contumacia militum adversus Appium consulem indomitis odiis certantium. « Si « adhortator operis (Appius) adesset, omnes sua sponte mo-« tam remittere industriam ». Quid apertius? Ubi milites sua sponte manum operi admovissent, si Appius hortaturus supervenisset, omnes ab opere discedebant. Hæc tamen inani et improspera conjectura sollicitat Clericus. « *Rectius*, « inquit, *ni fallor, esset*, notam industriam. *Nam quum* « *Ap. Claudius adhortator operis aderat*, sponte sua *non* « *erat* mota industria *militum. Nec scio an* moveri industria « *eo modo dici queat* ». Hæc refellere nec vacat, nec necesse est. Ipse se Livius defendit.

Nec felicior lib. XXI, cap. 63 correctio occurrit, ubi Patres romani inducuntur querentes de Flaminio consule, et ea quæ ab ipso in priore consulatu peccata erant, in memoriam revocantes. « Consulem ante inauspicato factum, « revocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non pa-« ruisse ». Nempe ad Flaminium primo consulem, quum jamjam adversus Gallos pugnaturus esset, literæ ab senatu venerant, quibus dimicare vetabatur, propterea quod ipse et collega vitio creati consules essent. Quid sibi vult igitur hæc Clerici notula? *Ex ipsa acie*: lego *arce*.

(1) Vide ejus Præfat.

Rursus lib. XXXIV, c. 2, loco itidem sano integroque, non intellecta, aut certe minus diligenter animadversa proprietate latini sermonis, infaustam adhibet medicinam; nec sanat vulnus, quod nullum est, sed infert. Trux orator Cato pro lege Oppia adversus mulieres disserens, « Date, « inquit, frenos impotenti naturæ, et indomito animali : et « sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis ». Hæc ironice accipienda sunt. Eodem plane modo dixit Cato, *date*, id est, laxate, *frenos impotenti naturæ, et sperate*, quo dicere potuisset, *si laxaveritis frenos, ne speretis.* Nunc Clerici notam inspiciamus, quæ cadit in hæc verba: *Et sperate ipsas.* « Sensus, inquit, ostendit negatione hic opus esse, « legendumque *nec sperate;* aut in sequentibus pro *nisi*, « sublata negatione, *si*, quod dudum monuimus ». Scilicet vix dubitari potest, quin τὰ *date frenos* ex usu gallicæ linguæ intellexerit, *donnez un frein*, quod latine diceretur *frenos injicite.* Atque hoc quidem semel admisso, opus hic esset alterutra earum quæ ab ipso afferuntur emendationum. Sed mirum sane est, virum multijugæ eruditionis, qui tam multa legerit, in tritæ ac vulgatæ locutionis intelligentia lapsum esse.

Finem hic animadversionibus nostris imponamus, postquam tamen jocularem in re omnium facillima et notissima ejusdem errorem exhibuerimus lectori. Libro X, cap. 46, summa argenti ab Papirio consule in triumpho translati sic in omnibus editionibus notatur: *argenti P. M. CCCXXX.* Nemo est qui non videat has notas in hunc modum legendas esse: *argenti pondo mille trecenta triginta :* nec eam habemus de doctissimo viro opinionem, ut hoc ignoratum esse ab eo potius quam raptim et negligenter inspectum arbitremur. Sed ille interpretatus est, *Pecuniæ millia CCCXXX.* Quonam modo eum non remorata est hujus locutionis, *Pecuniæ millia trecenta*, carens omni sensu vitiositas? Nimirum properantem calamum et metuentem lituræ multa subeunt inconcinna, inconsulta, scribenti

sæpe parum decora. An aliter se res habere potest (1), ubi notæ *in decursu editionis natæ, nec diu aut procul quæsitæ* statim extruduntur in publicam lucem? Si diligenter et accurate interpretandi Livii munus haud satis dignum erat, in quod uberrima hominis doctrina impenderetur, at certe dignus orbis literatus, cui nihil offerretur, nisi factum et limatum.

Qui tam incuriose Livium tractaverit, eum in Freinshemio, ubi longe minus operæ pretium erat, diligentiam adhibuisse frustra sperares. Ipse (2) quidem gloriatur, sese, quum cæteræ supplementorum Freinshemianorum editiones *innumerabilibus mendis scaterent, ex singulis ferme foliis aliquot sphalmata* gravissima *sustulisse*. Quod ut aliqua ex parte verum esse libenter concedimus, ita ex nostris sive notis ad supplementa, sive errorum a nobis correctorum indiculis apparebit, quantum ille laboris et molestiæ sequuturis editoribus in repurgandis operis utilissimi deformibus maculis exhauriendum reliquerit.

Idem adjuncta marginibus editionis Parisiensis nomina scriptorum, quorum ex fontibus hortos suos Freinshemius irrigavit, sibi omittenda arbitratus est. Atque id quidem consilii capere necesse habuit, quum orarum angustiæ, in ea voluminis forma quam elegerat, tantæ nominum multitudini pares omnino non essent. Quod vero contendit (3), *homines eruditos satis nosse ubi singula inveniantur, ex veterorum historicorum lectione*, id nobis, etiamsi *homines eruditos* non ex nostro modulo ac pede metimur, vix ac ne vix quidem persuaserimus. Sunt enim multa, non ex scriptoribus historiarum modo, sed et quibuscumque Veterum monumentis, atque etiam ex reconditis interdum abstrusioribusque latebris a Freinshemio eruta, quæ statim cuivis

(1) Præf. Cler. ad Liv.

(2) Ibid.

(3) Ibid.

erudito homini in promptu futura ac memoriæ occursura haud facile videantur (1).

Ex iis quæ in tota hac de editoribus interpretibusque Livii disputatione disseruimus, liquido apparere existimamus, præstantissimum scriptorem adhuc egere amica manu, quæ per omnes ejus operis oras et recessus lectorem circumducat. J. Fr. Gronovius noluit omnia complecti, quum egregie posset. De Jac. Gronovio silemus, qui et paternis institit vestigiis, et pauca de suo contulit. Voluit Dujatius, nec potuit. Et ipse negat voluisse Clericus, nec potuisset fortasse, si maxime voluisset. Hearnius materiam exædificando operi congessit: opus ipsum vix attigit. Audimus novam apud Batavos Livii editionem adornari. Quæ quoniam hactenus ostentata tantum verbis est, necdum in manibus hominum versatur, judicare non possumus, utrum prioribus absolutior futura sit. Ideo nos illud opus, quod cæteri partim imperfectum reliquerant, partim frustra tentaverant, aggredi ausi sumus. Quid spectaverimus, quid voluerimus efficere, quænam fuerit instituti nostri ratio, jam declarandum nobis est.

CAPUT TERTIUM.

DE INSTITUTI NOSTRI RATIONE.

Art. 1. *De laude debita antiquitatis interpretibus.*

Fuit tempus illud, quum quidquid fere hominum doctorum erat, in interpretandis emendandisque Veterum scriptis omne studium decusque ponerent. Post eam quæ per tot sæcula toti Europæ incubuerat barbariem, et bonarum

(1) Auctorum nomina, quorum fretus auctoritate Livii libros supplevit Freinsh., nec omittenda nec adjungenda marginibus editionis nostræ censuimus, at sub unaquaque pagina disponenda, ut voluminis nostri formæ typorumque ordini hæc utilissima adjumenta accommodarentur. Ed.

artium ignorantiam, pretiosorum illorum doctæ antiquitatis monumentorum luce perfusi, et suavissimo quasi odore recreati eruditi omnes, in ea vehementissimo quodam amoris impetu ferebantur. Una cunctis voluptas, unus labor, una gloria, in iis exponendis ac præsertim ab deformi, qui per tot ætatum incuriam imperitiamque inoleverat, squallore abluendis cum doctrinæ et ingenii laude versari.

Hodie refrixit admodum res. Jam expoliendis vulgaribus linguis studium impensum est: jam iis conscripta sunt eximia opera et immortalitate digna: nec poetis, oratoribus, historicis veteribus afferre lucem, sed cum iis scribendi laude certare gestimus. Præclare sane. Quid enim proderat impallescere antiquitati, nisi et ad eam adspirare quoque licuisset? aut aliena admirari ingenia, nisi et nostra ipsi exacueremus? Frustra nobis a natura data mens erat, oculique, ac vires, si aliena tantum eruere et expiscari sensa, alienis credere oculis, alieno ductu ingredi necesse semper fuisset.

Sed hinc jam cœpit decrescere pretium interpretibus antiquitatis, et ad ejus æmulos principatus reipublicæ literariæ merito delatus est: quumque reperirentur qui parem Veteribus adepti lauream iis assiderent, in inferiore procul dubio consistere gradu debuerunt, qui se Veteribus inferiores esse ultro profitebantur, et eorum procul adorare vestigia satis habuerant.

Nec vero intra eum modum res stetit. Nostri homines, postquam suas experti vires, satis sibi placuere, magistros jam suos præmonstratoresque, eximios illos dico antiquitatis scriptores, quibus hoc debebatur, quod sepultus tamdiu et intermortuus literarum honos tandem revixisset, insectari sustinuere, et illos premendo sese extollere conati sunt. Non omnes quidem, nec ii sane qui ambiguam Veteribus palmam faciebant; sed ingeniosissimi tamen homines, et e philosophia toti, quæ quemadmodum salubri modo attemperata, magno et eloquentiæ et poesi orna-

mento ac præsidio esse potest, ita miras ciet turbas, si ad ejus normam omnia exigantur, et liberrimos poetæ oratorisque impetus et quemdam quasi furoris afflatum, ex severæ argumentationis præscripto frenare quis velit. Horum ducum signa nomenque non pœnitendus sequutus est gregariorum velut militum numerus, qui ab omni plerique doctrina destituti, eos quos vix ac ne vix quidem intelligunt, carpere, vellicare, allatrare sibi laudi esse ducunt: quumque eorum obtrectent gloriæ, quos omnis retro mirata est vetustas, quos mirati sunt ii quoque qui apud nos in omni scribendi genere floruere, tum vero dici non potest, quo contemptu prosequantur eos qui in scrutandis illustrandisque Veterum monumentis industriam suam bene locatam existimant: adeo ut ipsum *eruditi* nomen apud eos in contumeliam verterit.

Ab istorum maledictis vindicare Veteres nec hujus est instituti, et supervacuum videri debet, quum id jam florentissimi et ingenio et doctrina viri egregie præstiterint. Sed ut id tantum, quod proprie nostrum est, tangamus, ipsum interpretandæ antiquitatis munus perutile esse, et in eo non memoriæ solum, quod isti jactitant, sed et ingenii ac judicii laudi locum esse contendimus.

Primo quidem, si nocturna diurnaque manu græca latinaque exemplaria versanda sunt iis qui laureæ Apollinaris decus ambiunt (quod nos pro certo sumere non vetabunt rabiosula indoctorum convicia); si sinceræ, nec fuco pigmentisve puerilibus adulteratæ eloquentiæ gustus inde hauriendus est; si illa salubribus monitis ad instituendos mores et incoquendum honesto pectus maxime idoneis feta et gravida sunt: quis neget utilem esse eorum operam, qui hos omnibus aperire thesauros et explicare satagunt, et speciosa eademque bonæ frugis plenissima miracula facilius intelligenda proponere? Non in tenui labor, etiamsi tenuis futura gloria est.

Nec quidquam attineat dicere, florem quemdam rerum,

qui in summo plerumque hæret, facile colligi posse, quamvis non in intimam illorum auctorum cognitionem descendatur : ac proinde supervacaneam esse interpretis sedulitatem, qui in syllabarum apicibus dimetiendis immoretur, et ignotos rimetur antiquitatis recessus. Nescit omnino, qui accurate scire negligit; aut certe parum ab ignorantia abest levis illa perfunctoriaque extimi velut corticis inspectio; nec tam ditat mentem, quam confidentiam alit, invisaque frontem armat inverecundia. Sed et quum multa etiamnum à multis latina lingua scribantur, quum tanta sit veterum scriptorum auctoritas, ut eorum verbis sententiisque sua insignire et distinguere opera plerique ament, sane cavendum est, ne aut parum latinis vocabulis locutionibusque inquinemus orationem, aut sensum ejus auctoris ex quo aliquid mutuati sumus corrumpamus. Quum autem vix cuiquam tantum otii supersit, ut omnia per se unus investigare queat, quonam modo hæc incommoda vitari poterunt, nisi sint qui religiose perpendendi uniuscujusque auctoris, et explanandi si quæ obscura sunt, quæ parum nota illustrandi, curam in se recipiant?

Denique in depromendis ex veteris historiæ penu, quod sane frequentissimi usus est, omnis exempli documentis, errare, labi, ob unius sæpe verbuli, aut nominis alicujus, aut vetusti moris ignorationem, quam turpe, tam proclive est, nisi regat vestigia periti interpretis manus.

Sed et, quamvis multum jaceat infra laudem ejus qui proprio Marte aliquid condit egregium, operosa interpretis diligentia, sua tamen hunc quoque gloria manet, nec ad provinciam hanc recte procurandam solummodo labore et industria, sed perspicaci interdum ingenio, limatoque judicio opus esse confitendum est. Etenim, ut varios excutere codices et eos inter se conferre, laboriosæ patientiæ est; ut multa legisse, perseverantiæ et assiduitatis; multa fideliter animo continuisse, cujusdam memoriæ felicitatis : ita, qui auctoris mentem in magna sæpe difficultate assequutus sit, qui ipsos scribentis sensus induerit, ut ex eo quem ille intuebatur

scopo, ex iis quæ præcedunt sequunturque, ex tota ratiocinatione, colligat quid dici debuerit, qui ex magno variarum lectionum acervo eam quæ ad præsens institutum accommodatissima est, prudenter elegerit, qui denique ex deformatæ nonnunquam scripturæ vestigiis latens verum eruerit, eum quis dubitet ingenio valuisse? Is profecto non bajuli aut operarii defendit vicem, sed boni judicis, qui, quid solidum crepet, quid mendosum tinniat, interdum ex certis argumentis liquido dignoverit, interdum ex conjecturis sit minime fallacibus sagaciter odoratus. Adeat lector cap. 11, lib. IV Observationum J. Fr. Gronovii, ubi luculentum exemplum occurrit insignis in Livio emendationis ex prodigiosa quæ libros quondam insederat depravatione; et dubitet, num ad illius vulneris sanationem prudentia et ingenio opus fuerit.

Art. II. *Leges interpreti servandæ.*

Non igitur sine causa tot olim doctissimi viri hoc interpretandorum antiquorum munus suscepere: et hodie quoque iis qui operam hac in parte literariæ reipublicæ navare student, gratia habenda est, si modo ad leges quasdam ab ipsa recta ratione hujusmodi operis tractationi positas sese composuerint. Quas quidem quoniam nemo hactenus, quod sciam, describere aggressus est, de iis pauca hoc loco summatim disserere operæ pretium videtur.

Omnium primum, hic interpreti finis propositus est, hoc spectandum, huc omnia dirigenda, ut auctor ille quem illustrandum sumpsit, expeditius legi jucundiusque possit. Ex hoc uno capite semel percepto cætera omnia ejus officia derivantur.

Stylus itaque purus quidem sit et illimis, nec sermonis vitiis sordidus et maculosus, sed subtilis et simplex, nullo fastu, nullo, pæne dixerim, cultu, perspicuus, facilis, qui vel mediocriter doctos minime moretur, non abruptus, non archaismis horrens, non reconditioribus et ab usu vulgari remotis vocabulis locutionibusque lectorem impediturus.

Brevitatem quoque consectabitur interpres, si sui loci ordinisque satis meminerit. Ipse enim in suo opere principem non tenet locum: totus ex auctore suo pendet, a quo nunquam ad se debet avocare lectorem. Quidquid non facit ad scriptorem emendandum illustrandumque, id ab officio interpretis ac munere alienum est. Captet igitur brevitatem: quam tamen in eo positam esse intelligat, non ut quam paucissima, sed ne supervacua dicantur, viteturque pariter vel nimium, vel parum. Frustra enim brevitatem jactaverit, qui necessaria prætermisit. Contra qui emendationem aliquam, loci difficilis interpretationem, legum, institutorum explanationem, argumentis, exemplis firmaverit, is non prolixus habebitur, sed accuratus et diligens; qui lectorem docere cupiat, non frustrari; qui credi sibi non postulet, sed velut coram judice arbitrove disceptet, ut allatis rationum momentis et causa cognita sententia feratur.

Sed magna hic adhibenda cautio est, ne, dum futili indulgemus loquacitati, aut inanem eruditionis gloriolam aucupamur, inutiles easdemque fastidiosas nectamus moras: qua culpa vix ulla major in ejusmodi opere admitti potest. Procul ergo verbosas argumentationes et ambitiosam doctrinæ ostentationem relegemus, semperque auctoris nostri premamus vestigia, et ab iis abscedere nefas esse ducamus.

Hinc temperandum quoque erit a refellendis priorum interpretum erroribus, nisi periculum sit, ne aut magna errantium auctoritas, aut fallacia quidem, sed speciosa tamen et plausibilia argumenta, multis possint imponere. Alioquin ab his concertationibus omnino esse abstinendum videtur. Has quippe minime desiderat utilitas commoditasque lectoris, quam solam intueri debet interpres. Quid prodest ei qui Livium evolvere cupit, nosse quid in eo interpretando hic aut ille peccaverit? Pascunt hæc malevolentiam sæpe interpretis, qui crescere ex aliis in animo habet; lectorem retardant, vetantque ad destinatum finem recto cursu procedere.

Exemplis ea tueri, quæ quum alicujus momenti sint, non

omnibus statim clara indubitataque videri debeant, perutile esse supra diximus. Sed hic quoque tamen tenendus modus est, nec odiosa eorum turba, ubi unum alterumve satis est, lector onerandus. Hoc non semper effugit doctissimus ille J. Fr. Gronovius, cui quum multiplex lectio, et felicissima memoria, numerosam in singulas prope voces locutionesque eruditionis et observationum supellectilem suppeditarent, in rebus sæpe, aut minutis, aut evidentissimis, ingentem usque et usque in notas congerit exemplorum copiam. In quo hoc etiam incommodi est, quod numerantur interdum ea, non ponderantur; dumque magna illorum cogitur manus, aliena sæpe obtruduntur, nec quidquam ad eam rem de qua agitur pertinentia. Quod ne immerito objicere summo viro videamur, aliquot hic ejus notas, quæ duplici hoc vitio laborant, liberet exscribere, nisi brevitati consultum vellemus. Sufficiat quasdam indicare, velut lib. Livii I, pag. 110, not. 3, et pag. 112, not. 2; lib. XXIX, p. 868, n. 3, et lib. XXXVIII, p. 498, n. 2. Earum quidem quæ etsi aptis exemplis, sine modo tamen cumulatis redundant, ingens se ubique numerus offert ob oculos. Ergo sobrius sit circa exempla interpres, et in eligendis cautus, ut et pauca apponat, et ea quæ rem proprie tangant.

De variis lectionibus, sive illæ ex antiquis editionibus, sive ex scriptis codicibus deprompta fuerint; sive illæ planissime mendosæ sint, sive aliquam sanitatis speciem præ se ferant, veremur ne doctissimi quique a nobis dissentiant, si eas a notis plerumque ablegandas esse statuerimus. Liceat tamen nobis eas rationes quibus adducti ita censemus, ingenue ac simpliciter exponere.

Ac primo quidem, qui variantes illas lectiones in unum velut fasciculum conjectas ad totius libri calcem attexuere, eorum operam grato animo accipiendam esse non negaverimus, si modo in ea sint cum fide judicioque versati. Hac quippe inita ratione, nec perit ea utilitas quæ ex illis percipi potest, et occurritur fastidio, quum ad eas nemo recurrat, nisi cui libitum fuerit.

Deinde etiam ubi ex deformatæ, quod sæpe fit, antiquæ scripturæ vestigiis, per sagacem conjecturam vera lectio eruitur, hic quoque concedimus e fide esse interpretis lacinias illas, quibus velut gradibus ad verum perductus est, exhibere lectori, ut dignosci queat, quid vetus scriptura tulerit, quid ingenium emendatoris adstruxerit.

Sed in notas passim infercire denorum plurimmve codicum nomina, et trunca lacerarum vocum membra informesque reliquias subjicere semper oculis, id vero ingrati fastidii plenissimum est, et animosissimo etiam lectori nauseam excitaturum. Intelligunt quid loquar, ii qui Gronovium in manus sumpsere. Si quibus minus notus est, legant hanc ejus notam lib. Livii I, c. 18, in hæc verba, *uti tu signa nobis certa adclarassis*, quorum loco olim legebatur, *ut tua signa nobis certa et clara sint.* « *Hærebam,* inquit ille, *ambiguus* « *in Sigonii* acclarassent, *Modii*, uti tu acclarassis, *donec e* « *Flor. notatum vidi:* uti tu signa nobis certa adclarissis: *et* « *idem, quod voluit Modius, prorsus e suis annotasse Muretum.* « *Vossianus;* uti tu signa nobis certa acclaras sint. *Helm.* uti « tu signa nobis certa ac clara sis. *Chiffl.* uti tu signa nobis « certa adclarassis. *Rott.* uti tu signa nobis certa adclara sis, « *sic ut satis appareat fuisse* adclarassis, *et priorem* s *erasam.* « *Gud.* uti tu signa certa acclarasis. *Nihil igitur dubitandum* « *ultra, etc.* »

Hæc, qualia multa apud Gronovium ubique occurrunt, injucunda, et invenusta esse, et ejusmodi quæ plurimorum corrugent nares, nemo, opinor, negaverit: atque adeo hoc illis alioquin eximiis notis incommodi accidit, quo nullum gravius esse potest, ut parum legantur; plerique eas tanquam vepribus spinisque obsitum solum fugiant et abhorreant. At si vir doctissimus allata ex Chiffletiano codice germana, quam amplectitur, scriptura, cæteros quoque suos codices solummodo testatus esset eodem alludere, nec deerat emendationi auctoritas, et aberat tædium.

Omnino in hanc coacervandarum variantium lectionum

diligentiam id cadere existimamus, quod clarissimus prudentissimusque historiæ Ecclesiasticæ apud nos scriptor, cujus calamus sensu tinctus ipsa semper videtur rectæ rationis dictata reddere, in præfatione eximii operis verissime elegantissimeque disputavit, de minime inserendis in historiam criticis disceptationibus. « Exstructo, inquit, ædificio, et ad « culmen perducto, jam machinæ, tollenones, fulcra, et « evectæ in altum temporariæ contabulationes tolluntur, quod « scilicet hæc jam et usum operis impeditura sint, et adspe- « ctum deformatura. » Eadem plane harum discrepantium in variis codicibus lectionum ratio est, quæ ab interprete ad concinnandum commentarium adhibendæ sunt, absoluto removendæ.

Hanc tamen adhuc exceptionem apposuerimus, id ita servandum, nisi ea mens interpretis fuerit, ut eorum qui postea novam ejusdem scriptoris editionem adornaturi sunt, alleve- tur labor. Qui enim tale munus suscepturi sunt, iis nunquam nimium cognita et perspecta esse possunt, quæ ad illud pertinent : et quandoquidem duram hanc provinciam cepere, cunctæ illis, quæ ad eam recte administrandam necessariæ sunt, molestiæ devorandæ. Nos quidem mirum in modum illa Gronovii, et post eum Hearnii sedulitate adjutos esse libenti animo profitemur. Sed et tum quoque partitionem quamdam institui magis placeret, ut quæ lectoribus omnibus utilia futura sunt, ea in promptu essent, contextumque ipsum comitarentur; quæ ab iis tantum desiderarentur qui in intimam auctoris cognitionem descendere cupiunt, et omnia vel minutissima consectari, ea alio, puta ad finem voluminis, rejicerentur.

Nunc ergo si quis ex nobis quærat, quid ita Gronovii notas, quas tanti facimus, non hac in editione exhibeamus integras, additurí si quid opus esse visum foret; respondebimus eas, quamvis et doctrina refertissimæ, et in explicanda Livii mente plerumque accuratissimæ, et proinde utilissimæ sint, non tamen ex iis legibus esse concinnatas, ad quas

exigi debere nobis videtur interpretis labor. Etenim, præter illa quæ de nimia exemplorum multitudine, de congestis sine modo discrepantibus veterum codicum lectionibus supra observavimus; plurima in iis reperiuntur superflua prorsus et aliena, quædam tractata verbosius, audaciores interdum conjecturæ, falsoque afficta quibusdam Livii locis depravationis suspicio. Itaque, quanquam eas, quales a Gronovio profectæ sunt, hic rursum editas repræsentare, et facilioris operæ erat, et minoris procul dubio aleæ, potior nobis fuit lectoris utilitas, quem vana sæpe ingrataque mora defatigari noluimus. Quid enim attineat, aut ea illi obtrudere, quibus non egeat, quæque adeo respuat et aversetur; aut eum circa longas detinere verborum ambages, in iis rebus quas breviter indicari satis sit; aut vero ea ponere quæ mox evertas ac refellas?

Velut ab ipsis statim initiis, lib. Livii I, cap. 1, in hæc verba, *Ænean.... in Siciliam delatum: ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse*, hæc occurrit Gronovii nota : « *Sero* « *positum hic videtur* classe. *Nam et in Macedoniam* classe « *venit*, *et* classe *in Siciliam est delatus*. *Augent suspicionem* « *scripti in quibus omnibus fere* classe ad Laurentem, *vel* « classe ac Laurentem. *Vide num fuerit :* ab Sicilia classem « Laurentem agrum tenuisse. *Sic lib. XXI.* Novem quinqueremes Liparas, octo insulam Vulcani tenuerunt. *Lib. XXXII.* « Utrum Leucadem ac sinum Ambracium onerariæ tenuis- « sent. *Lib. XLIV.* Postero die quam Sybota classis tenuit ». Patrem deinde excipit filius, et prolixa horribilique disputatione, quam vitandi tædii causa exscribere supersedemus, probare nititur legendum esse, *ab Sicilia errasse*, *ac Laurentem agrum tenuisse*.

Si quis tamen paulum attenderit, facile animadvertet nihil hic mutatione ulla opus esse, nec sinceram modo esse scripturam, sed sensum perspicuum et expeditum. Quod quidem nos brevi hac notula demonstrasse confidimus, in qua cum levi Gronovianarum conjecturarum mentione, ut

eas causa cognita rejectas a nobis esse lector moneretur, quid de ipsa re sentiamus, paucis verbis exponimus. *Ideo observat Livius* Ænean ab Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse, *ut indicet eum non ab Sicilia in proxima Italiæ transgressum pedestri deinde itinere ad Laurentem agrum pervenisse, sed recto cursu ab Sicilia ad Laurentis agri litora navibus delatum fuisse. Hunc locum vanis conjecturis sollicitant ambo Gronovii.* Qui hæc legerit, num tandem aliud quid desideraturus videtur, aut merito conquesturus, quod sibi Gronoviorum notæ non exhibeantur, ex quibus nihil aliud didicisset, nisi eos Livii mentem assequutos non esse?

Hæc una nobis satis semper idonea causa visa est, cur in illis, quæ magno labore, magnis impensis, apud Batavos Germanosque curatæ sunt cum notis variorum editionibus, parum utilitati commoditatique lectoris consultum fuisse judicaremus. Quod enim in hoc Livii loco contingeret, si notulæ nostræ Gronoviorum disputationes præmitteremus, id illic sexcenties accidit, ut quinorum senorumve interpretum variæ allucinationes, et verbosa eademque discordantia inter se commenta prius legenda sint, quam ad veram difficultatis explanationem devenias, brevemque aliquam notam, quæ pauculis verbis rem totam continet, eaque omnia quæ præcessere funditus evertit. Quanto satius erat excerpere ex singulis interpretibus, si quid boni apud eos occurrit; quæ inutilia aut falsa, supprimere; quæ verbosius disceptata, contrahere; sicque et tædio lectoris, et vero etiam tempori parcere?

Neque tamen ii sumus, qui priorum interpretum deletam memoriam, aut etiam obscuratam laudem velimus. Non ea nobis mens est, ut illos latronum more spoliemus, sed ut, tanquam a locupletibus amicis, quæ nobis usui possunt esse, cum grata accepti beneficii testificatione mutuemur. Hæc igitur sancta statuatur et inviolata lex, ne quid unquam ab ullo desumatur, quin sua auctori præmonstratorique laus sarta tectaque præstetur, expresso in singula ejus nomine.

Deinde etiam multum reipublicæ literariæ interesse concedimus, integros illorum commentarios ad posteros transmitti, ut sit quo recurrat laboriosa eruditorum industria, si quando curiosius unamquamque rem scrutari et excutere cupiant. Illud tantum contendimus, si quis nihil aliud quam interpretem se esse velit, et hoc unice spectaverit, ut necessaria ad faciliorem jucundioremque veterum monumentorum lectionem adjumenta subministret, ei non esse coacervandos indigestos illos multiplicis eruditionis thesauros, sed hoc potius faciendum, ut sedulæ apis more huc illuc vagatus libet ex omnibus id quod optimi saporis est, et eximium inde succum conficiat, quo ab mens lectoris cum voluptate aliqua possit, non ad nauseam distendi et onerari.

Art. III. *De nostro in Livium commentario.*

Hanc nos viam iniimus, dedimusque operam, si modo id consequi potuimus, ut quidquid non apud Sigonium modo, Gronoviosque, Dujatium, Hearnium, atque etiam Clericum, sed et apud vetustiores interpretes, Rhenanum, Geleniumque, et Glareanum, et Franciscum Modium, etc. reperiretur idoneum ad emendandum, explanandum, illustrandum Livium, id omne huc transfunderetur, allatis semper eorum a quibus juvabamur nominibus, ne quid de cujusquam gloria detractum velle videremur. Sed et ex aliis quoque doctissimis operibus, quibus Romanæ antiquitates ab eruditis viris illustratæ sunt, non pauca mutuati sumus, quæ ad nostrum institutum faciebant. Veteres quoque scriptores, qui idem ac Livius argumentum tractavere, diligenter cum eo contulimus, Dionysium Halicarnasseum, Plutarchum, Appianum, sed Polybium maxime, qui quum sæpe dux nostro fuerit, dici non potest, quam multa unus conferat ad lucem ei afferendam pertinentia.

Præter illa quæ e libris subsidia petebantur, viva etiam voce, consiliisque ac monitis multum adjuti sumus summi

viri, quo auctore et hortatore hoc negotii susceperamus, M. Caroli ROLLIN, cujus nomen non hominis alicujus magis, quam virtutis doctrinæque proprium videtur; cujus famam in literis, quæ jamdiu tanta apud nos erat, ut vix posset crescere, mox per omnem late Europam sparsere, et futurorum sæculorum æternitati procul dubio commendabunt majora omni laude scripta: quibus in legendis voluptatem, quæ summa est, longe exsuperat utilitas; quæ quum et omni eloquentiæ ornatu splendeant, et simul ingentem doctrinæ ubertatem, simul limatum et ad purissima antiquitatis exemplaria elaboratum gustum præ se ferant, tum vero copia bonæ frugis, informandis ad omnem honestatem moribus idonea, ita gravida et referta sunt, ut nullum unquam opus omnibus quæ virtutem hominibus conciliare possunt lenociniis instructius literæ protulerint, utque, quum ingenium scribentis maxima fueris admiratione prosequutus, animum et pectus longe acriore amoris et venerationis sensu amplectaris. Talis tantusque moderator, cujus sub disciplina studia olim mea adoleverant, qui mihi semper loco parentis fuit eritque, huic quoque in Livio interpretando labori præfuit. Ille, ut est impetu quodam animi instinctuque in id omne quod honestum est, et ad publicam utilitatem spectat, acer et erectus, per aliquot annos statis diebus domum ad me ventitavit, ut cum quibusdam aliis clarissimis ex Universitate Parisiensi, ac præsertim ex hocce Gymnasio Dormano-Bellovaco magistris Livio recensendo operam impenderet. Quos omnes si commemorare vellem, et meritas cuique impertire laudes, vereor ne in longum protraheretur oratio mea.

Sed præterire non possum virum omnibus bonis doctisque flebilem, nobis, dum extremam huic operi manum admovebamus, luctuosa morte ereptum, M. Joannem HEUZET, eruditione, diligentia, indefessa in scrutandis et ad liquidum perducendis rebus patientia memorabilem: qui quidem nostra prædicatione non indiget, quum suæ eum literæ et aurea

opuscula, nimirum selectæ ex veteri Testamento, tum ex profanis scriptoribus historiæ, et breves in Curtium Sallustiumque notulæ, abunde commendent. Ex his ejus scriptis, quæ minime ambitiosus doctrinæ ostentator studiosæ juventutis utilitati devoverat, notum erit omnibus qua ille antiquitatis notitia, quam acri et limato judicio, quam solerti in rebus ordine disponendis prudentia præditus fuerit. Nobis, quibus suavissimo illius convictu frui datum est, etiam perspectus fuit morum ejus candor, et digna literarum ingenuitate simplicitas, et nullis unquam interturbatæ nubeculis frontis animique serenitas, et in magna gravitate vitæ comitas jucundissima, et obvia votis amicorum sedulitas, et omnes denique virtutes quæ animos hominum devincire possunt, sincera in Deum pietate consecratæ.

Sed longius nos abripuit acerba amissi talis amici recordatio. Jam ad propositum revertamur, et ad illos doctorum hominum conventus, quos apud me habitos esse memoravi. Ibi totus attente diligenterque Livius perlectus est, et de iis omnibus quæ difficilia occurrebant, itum in consilium: ibi notæ quas ego concinnaveram, ita sedulo expensæ, retractatæ, emendatæ, expolitæ sunt, ut eas consensus omnium non probasse scriptas magis, quam scripsisse videretur. Quid in eis intuiti, quid efficere conati fuerimus, lectori jam sigillatim debemus exponere.

Tria maxime noster spectavit labor, ut contextum Livii quam castigatissimum ederemus; ut difficultates eas quæ in verbis locutionibusve subobscuris, impeditioribus, parum usitatis, positæ erant, explanaremus; ut res ipsas illustraremus.

In contextus emendatione ita hæsimus Gronovio, ut alia adhuc nobis subsidia pararemus, et conquisitis excussisque compluribus Livii codicibus MSS. ipsi quoque in repurgando accuratius Livio aliquod operæ pretium facere conaremur. Juvit hanc nostram voluntatem, immo votis occurrit effusa comitate et benevolentia Clar. Sallerius, bibliothecæ Regiæ

custos, qui hunc sibi commissum esse thesaurum intellexit, non, sicut Hesperidum mala torvo illi draconi, ea lege servandum, ut omnes ab eo arceret; sed in eos qui de literis bene mereri student, pari benignitate et prudentia dispensandum.

Ejus opera ac beneficio copia nobis facta est sex scriptorum codicum, quinque membranaceorum, unius chartacei, quorum plerique Gronovium fugerant. Illorum unus, qui literis ad optimum modum formatis non spernendam vetustatem arguit, decem primos Livii libros complectitur. Is interdum in notis nostris ad primam decadem appellatur vetustissimus e regiis. Hunc ut non vetustate, ita fortasse bonitate superat, quem passim optimum e regiis vocitamus, primam et tertiam decades continens, ut et alter e Telleriana bibliotheca in regiam translatus, quem ideo Tellerianum aliquoties nominavimus, sed et ætate et pretio longe duobus iis quos primo indicavimus, inferior. Thuanæum quoque, quinque libros, a sexto nempe ad decimum, habentem, in manus sumpsimus, optimæ illum quidem notæ, sed a Gronovio jam excussum. Chartaceus, desinente sæculo XIV scriptus, si de ingenio et fide exscriptoris constaret, aliquo posset in numero haberi. Ipse enim testatur sese ad transcribendum compluribus exemplaribus usum esse: *cum quibus*, inquit, *et ingeniolo parvo admodum nonnihil ad tergendum sordes omnimodas insudavi.* Mallemus eum sane omnia exemplaribus, nihil ingenio credidisse. Demus illi libro, ut aliquod pondus addat cæteris, ubi iis assentitur: per se ipse parum auctoritate valet. Primam decadem integram exhibet.

Librum Puteanorum fratrum, *quo nihil de T. Livio nec antiquius*, Gronovio (1) judice, *nec sanctius Europa custodit*, etsi eum diligenter versaverat, et ejus apices omnes religiose persequutus videbatur vir summus, ut immissa jam velut

(1) Præfat. ad Liv.

in opimam messem falce, collectisque manipulis, vix paucas aristas consectandi nobis spes esset, tamen ob unicam venerandi codicis præstantiam magna cura perlegimus. Nec laboris pœnituit, tum quia nonnulla quæ Gronovium, ut in tanta rerum multitudine, fefellerant, non inutilia deprehendimus; tum quia didicimus experiundo, non esse librum, quod fecit Gronovius, ad superstitionem colendum, qui in eximia bonitate insignes tamen nævos inspersos habet. Quod si satis attendisset egregius ille Livii interpres et pæne sospitator, non quibusdam locis falsam mendi suspicionem affinxisset, nec etiam salebrosas interdum et abruptas loquendi figuras pro Livianis obtrusisset, et in contextum immisisset. Hæc, quæ probare non præsentis temporis nec loci est, idoneis argumentis demonstrata, ni fallimur, inveniet, qui notas nostras ad tertiam decadem perpenderit.

Debemus quoque humanissimorum virorum qui bibliothecis Sorbonicæ et Victorinæ præsunt benignitati, duo Livii exemplaria : quorum Sorbonicum, quod primos decem libros complectitur, etsi non remotæ vetustatis est, ex optimis certe exscriptum videtur : ita fideliter tenet plerumque, ubi codices in diversa abeunt, bonas verasque lectiones. Victorinum totas tres decadas habet, præter XXXIII librum, et finem XL, quibus et veterrimæ Livii editiones destituuntur, ut supra observavimus (1) : novitium sane, et assutis sæpe ab audaci aut male sedula manu centonibus aut medicaminibus interstinctum; non spernendum tamen, et quod quibusdam in locis solum veram Livii scripturam servasse videatur. Ita certe judicavimus, tum alibi, tum lib. XXIII, c. 30, et XXIV, 25.

Adhibuimus quoque ad textus castigationem principes omnium Livianarum editionum, ab Andrea et Campano curatas, utramque e ditissimo regiæ bibliothecæ penu nobis ab eodem, cujus jam impensam in nos, sive potius in literas

(1) Cap. I, hujus præfat. art. 2.

promovendas voluntatem laudavimus, Clar. Sallerio commodatam: utramque utilem Livii interpreti. Est tamen unde Campani levior apud nos fiat auctoritas, qui quum aliquot Laur. Vallæ conjecturas adsciscere non dubitaverit, per hunc allitum fucum vero quoque et genuino colori fidem dempsit.

Sed et alias quoque non ita fama celebratas, paulo vetustiores tamen editiones inspicere non negleximus: nec sine aliquo fructu. Hoc enim sæpe contingit per eorum incuriam qui novam cujuslibet scriptoris editionem procurandam suscipiunt, ut quæ semel irrepsere menda nunquam eliminentur, sed per complures deinceps editiones, quasi locum eum quem semel possedere usu ceperint, perpetuo tenore propagentur: quin et veteres maculæ novis insuper cumulantur. Unde fit ut corrupta omnino deformataque exemplaria in manus hominum veniant. Sic quæ occurrunt in Gronoviana editione menda, eadem fere novorum quorumdam accessione aucta in Dujatii, in Tillemonii, in Clerici editionibus exhibentur. Hoc ne nobis quoque usu veniret, antiquiores Gronoviana editiones nobis consulendas esse existimavimus, felicius adhuc fortasse rem gesturi, si plures nancisci et expendere licuisset.

His igitur instructi præsidiis ad Livium accuratius emendandum nos accinximus, non ut certamen nobis adversus Gronovium prava æmulatione sumeremus, cujus sequi vestigia laudi ducimus, quem palam profitemur ubique fere nobis ducem ac facem fuisse. Sed si quæ ille aut tentarat audacius, aut contra per nimiam cautionem incurata reliquerat, quum certa et indubitata remedia libri offerrent; si qua denique eum, ut hominem multiplici variarum rerum cogitatione districtum, effugerant, ea ita explere et persanare conati sumus, ut confidamus hunc quem lectori tradimus Livii textum ipso Gronoviano emendatiorem ac defæcatiorem fore. Cujus tamen laudis magna pars ad Gronovium redit, quum ad ea quæ correximus, non illa tantum adhibuerimus quæ nobis parabamus ipsi, sed et optima et plurima quæ subministrabat ille documenta.

Hinc apparet facile nobis futurum fuisse cumulare in notis variantium lectionum silvam, et diversorum MSS. et editorum nomina. Atque id fortasse magis illis placuisset, quibus reconditiorem, immo horridiorem doctrinam jactantibus nulla est amœnitatis mica. Non hic ea inculcamus quæ jam super illo plerisque legentium permolesto more disseruimus, ubi de notarum concinnatoris officio agebamus. Hoc unum sufficiat, maluisse nos elegantiorum lectorum limato judicio servire : a quibus ob hæc omissa, si minus laudem nobis, facilem certe veniam paratam esse speramus.

Quin et tantum abfuit, ut illa obscuræ diligentiæ testimonia sine ulla necessitate ostentaremus, ut, si quando illa negligi res omnino non sineret, quidquid subtilioris disputationis esse visum est, id omne a perpetuo commentario nostro excretum rejiceremus in *notas posteriores ad emendationem contextus pertinentes*, quæ ad calcem singulorum voluminum attexentur.

Magno quoque nobis usui fuit ad curanda aliquot Livii vulnera Polybius, cujus ea omnia quæ cum scriptore Romano conveniunt, quanta maxima potuimus cura diligentiaque perpendimus, et ad Liviana contulimus. Quam multis in locis, præsertim quartæ et quintæ decadis ab eo adjuti fuerimus, ex notis nostris lector intelliget. Duo hic exempla apponere sufficiat.

Lib. XXXIII, cap. 35, olim edebatur : *Ætolorum principes alii questi sunt, quod non idem erga suam gentem Romanorum animus esset post victoriam, qui in bello fuisset.* Gelenius ex archetypo exemplari reposuit, *interquesti*, verbum rarissimum, et quod fortasse nusquam alibi a quoquam usurpatum reperiatur. Hic præsto est nobis Polybius, quem exscribit hoc loco noster : τῶν μὲν πρᾴως καὶ πολιτικῶς μεμψιμοιρούντων αὐτοῖς. His inspectis, quis dubitet legendum esse apud Livium? *alii leniter questi sunt.*

Alter locus occurrit lib. XXXIX, c. 36, qui quidem mire torsit Gronovium. Ibi Appius legatus Romanus cum Achæis

agens, *ea quæ apud senatum questi erant Lacedemonii, displicere senatui ostendit. Cædem primum* ad conflictum *factam eorum, qui a Philopœmene ad causam dicendam evocati venissent.* Huic loco hæc subjicitur Gronovii nota: « Locus « corruptissimus. Andreas Romæ, *ad confictum.* An fuit? « *cædem primum contra fidem datam eorum qui a Philopœ- « mene* ». Nobis suboluit in voce *conflictum* latere nomen ejus loci apud quem cædes facta fuisset. Hoc nomen in Polybio quærendum esse judicavimus, reperimusque in Excerpt. legat. 37 eum locum dictum fuisse *Compasium.* Itaque legere debere videmur in Livio: *Cædem primum ad Compasium factam eorum qui a Philopœmene.*

Denique, ubi alia nos præsidia defecerunt, aliquid etiam conjecturis dedimus. Sic lib. VII, c. 8, post narratam Hernicorum cladem, libri omnes sine ulla varietate habent: *Agmenque fugientium ab* signis, *quum præter mœnia eorum infrequentia signa conspecta essent, fusum, ac per agròs trepida fuga palatum est.* Glareanus, qui omnes sui ordinis candore vincit, ingenue fatetur hæc se verba non intelligere. Sigonius confidentior, et carpendi Glareani studiosissimus: « Nullum babet vitium hic locus, contra atque censet Glarea- « nus. Sensus est: quum signa Hernicorum prope mœnia « oppidi conspecta essent deserta ab suis, agmen eorum qui « ab signis fugerant, fusum fugatumque est ». Sed nimium facile sibi plaudit Sigonius. Quodnam enim est illud oppidum, præter cujus mœnia infrequentia Hernicorum signa conspecta sunt? Quod quidem ab Livio nominatum fuisse indicat vox *eorum.* Omnino corruptus est hic locus, legendumque *ab Signinis.* Signia est colonia Romana non longe ab Hernicorum finibus, præter quam quum Hernici fugerent, erupere in eos coloni, et fusos in trepidam fugam egere. Sunt et alia quædam loca, quæ ab aliis vel frustra tentata, vel omnino prætermissa, haud improsperis fortasse conjecturis sanare conati sumus. Sed consultius esse ducimus lectorem ad ipsas notas remittere.

Illud testandum existimamus, nunquam nos tantum conjecturis nostris tribuisse, ut eas in contextum immitteremus, nisi illas aut scriptorum codicum, aut priscorum editorum firmaret auctoritas. Magna sane ingenia, et non injusta sui fiducia subnixa, Veterum scriptis pro suis licenter abutantur, et ea sus deque vertant, et, quidquid collibitum animo fuerit, pro imperio recidi jubeant, immutari, ablegari, innovari: quod non ita pridem doctissimi duo et ingeniosissimi viri, alter apud Anglos, alter etiam animosior apud nos, in Horatio ausi sunt. Nobis non licet esse tam fortibus ac strenuis, quos tenuis doctrinæ et ingenii vena prohibet altos concipere spiritus, et a severiorum legum præscripto discedere. Neque enim ignoramus, quas antiquis scriptoribus labes asperserit, quæ inusserit stigmata, hæc emendandi prurigo; nec minus postea operæ ponendum fuisse in revocandis ad sanitatem iis quæ criticorum audacia, quam quæ librariorum imperitia peccaverat. Itaque hanc nobis legem sanximus, ea nostra fuit in tractando Livii contextu religio, ut non nostras solum, sed et cæterorum conjecturas ab eo removeremus; nisi eas forte, quæ quum et verisimiles sint, et jamdiu Livium insedissent, eliminari non poterant, quin nostra nimium a cæteris discreparet editio. Sed tum quoque lectorem in notis admonuimus, conjecturam ei, non certam Livii manum exhiberi.

Nec piguit levioribus quoque dictu rebus, sed quæ tamen ad commoditatem lectoris aliquatenus pertineant, curam impendere. Itaque et interpunctioni, ubi illa vitiosa erat, emendandæ sedulo invigilavimus, quæ quidem per se sola tantum valet, ut claritatem interdum perspicuitatemque iis reddat, quæ alioquin obscurissima videbantur: et circa eam quam vocant Orthographiam, Gronovium fere sequuti sumus, qui minimum a vulgata recedit: et majusculas, ut loquuntur, literas solis hominum locorumve, non munerum, aut honorum nominibus apposuimus: et neglectos jam a plerisque accentus ita revocavimus, ut nec densa eorum velut

silva oculi legentium impedirentur, et ex iis tamen aliqua ad sensum facilius celeriusque assequendum utilitas capi posset. Denique etiam aliquid operæ impertiendum fuit distinctionibus capitum aptius interdum collocandis, circa quas ea fuerat quibusdam in locis editorum negligentia, ut iis non tantum unius facti narratio, sed media quoque periodus abrumperetur, velut lib. V, cap. 25. Atque in iis quidem quæ ad contextum ipsum pertinent, hæc sunt quæ intueri et pro viribus præstare nostri officii erat.

Diximus id nobis secundo loco propositum fuisse, ut explanaremus ea quæ in verbis locutionibusve paulo impeditiora viderentur. Qua in re hic nos sollicitos habuit metus, ne in diversas plane reprehensiones incurreremus, et in ejusmodi notis vel nimium offenderet, vel parum : si multæ, ne docti inutili se mora retardatos; si paucæ, ne minus exercitati neglectos se esse quererentur. Et quidem in hoc negotio fieri omnino non posse existimamus, ut quis ad omnium se voluntates accommodet, omnibus satisfaciat. Etenim non pro doctrinæ solum, sed et pro ingeniorum varietate, quæ infinita est, unus atque idem locus his subobscurus videbitur, et non indignum vindice habere nodum, illis perspicuus, et in quo illustrando operam ponere supervacaneum sit. Quin et idem sæpe lector diversis temporibus, prout hac vel illa cogitatione præoccupata mens ad rem inspiciendam accesserit, prout, dum eam inspicit, in hanc illamve partem conjecerit oculos, in iisdem verbis modo hærebit anceps, modo facilia omnia et expedita reperiet. Igitur, ne omnino tamen incerti fluctuaremus, eo decurrendum fuit, ut omnia et sola loca brevi interpretatione explicaremus, quæ aut nobis ipsis aliquid molestiæ exhibuerant, aut doctissimis illis viris, quibus nos ducibus et monitoribus usi sumus, videbantur nonnihil habere difficultatis, aut denique in quibus lapsi fuerant alicujus nominis interpretes. Hoc nobis tutissimum visum est : quod ita probabit æquus lector, si cogitaverit, vix aliter aliquid certi statui potuisse, quod sequeremur;

nec tam consilio nos, quam necessitate ad hanc ineundam rationem impulsos fuisse.

Quod spectat ad rerum a Livio tractatarum illustrationem, hoc enim tertium est in quo versari debeat interpretis industria, eas in quinque genera distribui posse credimus: 1° historiam ipsam, et rerum gestarum narrationem; 2° leges, ritus, magistratuum jura, et alia hujusmodi; 3° pondera, mensuras, pecuniam; 4° Geographica; 5° Chronologica. De his omnibus qui fuse disputare in notis vellet, ei in immensum cresceret labor, et multis partibus Livium exsuperatura mole volumina conficienda essent, inque immanis commentarii vasto gurgite apparerent rari nantes, et vix in summis paginis, tanquam tabulis, hærentes ipsius scriptoris versus: laboriosum interpreti opus, fastidiosum lectori, quod nimia interdum eruditio parit, seu potius inanis et intempestiva eruditionis ostentatio. Magnopere ergo cavimus, ne tali farragine defatigaremus lectorem.

In historia, etsi primorum maxime temporum, ut supra diximus, narrationem nimium in breve spatium coarctavit Livius, et uberrima se explendi ea quæ ille prætermiserat ex Dionysio Plutarchoque materia ostendebat, satis habuimus ea quæ necessaria omnino erant, et breviter tractari poterant, in notis exponere: de cæteris, si levia erant, siluimus; si alicujus momenti, remisimus ad ipsos fontes. Non eadem ratio nobis esse visa est eorum, in quibus Livium a vero paulisper abduxerat, vel incuria, vel nimius in patriam amor. Hæc enim omnia, ubicumque deprehendimus, arguenda esse judicavimus: nec quidquam aut utilius, aut jucundius cordato lectori in notis nostris occurret, quam ea quæ emendandæ, refellendæ interdum Livianæ narrationis causa, in quarta maxime quintaque decadibus ex Polybio attulimus.

Quæ pertinent ad ritus, leges, instituta militaria, sacra, sacerdotia, magistratus, sobrie quoque tractavimus, ne aut desiderarentur ea quæ ad Livium intelligendum necessaria esse possent, aut supervacua sine modo ingererentur. Itaque

id quod maxime rem unamquamque continebat, quam brevissime licuit, attigimus : pleniorem hujusmodi rerum cognitionem studiosis large suppeditabunt immensæ et numero, et mole, doctissimorum hominum disputationes.

In ponderibus, pecunia, mensuris, ad eorum, quæ apud nos sunt in usu, rationem exigendis non perfunctoriam operam adhibuimus, ut hæc omnia, quæ qui prorsus ignoraverit, hospes et peregrinus in magna historiæ parte futurus est, et vacuos sensu pro rebus sonos sæpe captaturus, diligenter in notis nostris, non ambitiose tamen, explicarentur. Itaque nudam hujusmodi rerum æstimationem notæ exhibebunt. Momenta rationum, quibus illa nititur, et totam subducendi calculi viam, operosum argumentum, et quod nec perstringi omnino breviter debeat, nec fuse hic explicari satis commode possit, seorsim exponemus peculiari disputatione, quæ huic præfationi subjungetur.

Geographica illustrare quin utilissimæ operæ sit, nemo sane dubitabit, qui meminerit eam esse vel præcipuam historiæ facem, plane necessariam, si quis distinctas rerum gestarum imagines capere animo velit. Illa dubitatio fuit, utrum chartas Geographicas insculpendas curaremus, quæ nostram Livii editionem comitarentur, an ea quæ ad Geographiam pertinent verbis explicare satis haberemus. Prius illud consilium multis fortasse arrideret, idque ab aliquot annis in plurimis jam libris factitatum esse non ignoramus. Sed in Livio veriti sumus, ne cum haud exigua sumptus accessione exigua tamen ad emptores rediret utilitas. Etenim manibus omnium teruntur tabulæ Geographicæ earum regionum quas historia Liviana complectitur, a doctissimis viris magna cura elaboratæ. Itaque actum agere videretur, qui ex illis vulgatissimis tabulis expressas tabulas Livio subjungeret.

Sed neque notas nostras Geographicas in ipsum commentarii corpus intexere consultum esse duximus, ne multitudine notarum onerarentur et impedirentur paginæ; ne sæpe

lectorem, dum is alicujus nodi qui eum male habet solutionem quærit in notis, occurrens oculis Geographica disceptatio frustraretur et cum tædio moraretur; ne in iis urbibus, locis, regionibus, quæ aliquoties a Livio appellantur, dubitaret sæpe lector ubinam de iis egissemus. Satius esse ducimus indicem Geographicum conficere, ad calcem totius operis rejiciendum, in quo ea omnia quæ ad Geographiam spectant ex ordine literarum digesta reperiantur (1).

Denique etiam ad Chronologica animum adjecimus, rati, id quod res est, orbam esse altero velut lumine historiam, nisi descriptionem locorum comitetur descripta accurate temporum ratio. Sed difficiles et morosas disquisitiones, quarum hæc potissimum ars feracissima est, tanquam ab instituto nostro plane alienas, vitavimus. Etenim ex Livio ipso expedita plerumque res est, qui in annos et consules narrationem suam digessit. Et tota difficultas, omnisque doctorum dissensio per septingentorum et quinquaginta annorum spatium, in duobus, tribusve summum annis, versatur: quod discrimen ut ab iis qui rem ex professo tractant, negligi sane non debet, ita nobis in hujusmodi opere haud magni esse momenti visum est. Itaque relegatis ambagibus, eruditissimum et accuratissimum virum Henr. Dodwellum auctorem secuti sumus, atque ad ejus mentem, et ex Clerici exemplo, qui sibi eumdem ducem fuisse profitetur, summis paginis annos

(1) Deflexit ab hoc proposito Creverius, ut ex monito quod præposuit ultimo Liviani operis voluminis apparebit: « Poterant a nobis adhuc exspectari « duo alii indices, Geographicus alter, alter locutionum Livianarum. Sed « veremur, ne prior ille supervacuus merito haberi possit, quum tot in prom- « ptu sint doctissimi libri, ad Geographiam illustrandam unice destinati. Alter « nos labor, licet utilissimus, immani difficultate terruit ». Nos autem, omnia quæ ad Geographiam spectant et in notis disperguntur collecta et in promptu habere, Lectoribus utilissimum pergratumque fore arbitrati, ea ex ordine Alphabetico disposuimus in Indice rerum et nominum, quem omnium absolutissimum improbo labore et assiduis lucubrationibus efficere conati in altera hujus voluminis parte dabimus. Ed.

ab Urbe condita et ante Christum natum præfiximus. In notis, si quæ Livii loca circa temporum rationem impeditiora essent, aut parum accurata, ea vel explicare, vel emendare, quam brevissime et planissime licuit, conati sumus.

Hanc igitur operam Livio ipsi præstitimus, tum in emendando contextu, tum in explicandis iis quæ aliquid obscuritatis habere viderentur, sive in verbis obscuritas illa, sive in rebus posita esset.

Epitomæ non indignæ erant, quibus aliquid curæ impenderetur. Primus eas notis illustravit Sigonius. Postea Gronovius easdem ex aliquot MSS accuratius repurgavit. Quod uterque attulerat, studiose pro more nostro perpendimus. Epitomas ipsas, sive cum Livio, sive cum cæteris historicis diligenter contulimus, adeo ut confidamus eas hodie emendatiores, quam unquam antea, prodire.

ART. IV. *De nostro in supplementa Liviana labore.*

Hoc fine etsi noster fortasse poterat terminari labor, tamen, post Dujatii et Clerici exempla, imperfectum jam relinqui opus judicaretur, nisi pretiosas Livii reliquias, luctuosorum quæ eximio scriptori invida vetustas intulit damnorum supplementa comitarentur. Ad ea itaque, adhortantibus amicis, Romanæ historiæ studiosis viris, et incitante nostra quoque demerendæ pro viribus reipublicæ literariæ voluntate, animum adjecimus.

Ac de expletis quidem nostra opera lacunis librorum XLI, XLIII, XLIV, XLV, nihil est quod addamus ad ea quæ supra monuimus, cap. II, hujus præf. art. 3, nisi hoc tantum, nos ex imitatione Clerici ipsi narrationi Livianæ supplementa nostra intexuisse, ut uno tenore totam historiæ seriem lectoris oculus perlustrare posset, nec necesse haberet ultro citroque cursare, et a medio volumine ad calcem, mox a calce voluminis ad ipsum corpus se referre, concisæ membratim narrationis velut frusta consectans. Ea uncis inclusimus,

atque hac nota (suppl.) in margine exteriore, et, si ad summam paginam pertingant, superius quoque apposita insignivimus, ut ab ipsius Livii verbis distinguerentur; iisdem tamen servatis typorum formis, ne varietate majorum minorumque literarum sibi invicem permixtarum periret primi aspectus decor, et nitida quædam, cui consulere juvit, blandientis frontis elegantia. Secus egimus in supplementis Freinshemianis, quæ quum ab Livio sejuncta omnino sint, liberam nobis reliquerunt discriminis in formis typographicis servandi potestatem. Quid circa illa præstiterimus, dicendum jam nobis est.

Supplementorum Freinshemianorum novam et accuratam editionem, quod Th. Hearnius in præfatione ad Livium *opus esse spissæ diligentiæ* judicabat, id nimium experti sensimus: nec semel nos pœnituit conaminis animosius quam caute suscepti, cujus graves molestias vix ipsa, quæ magna est, satis digne pensaret utilitas.

Duo nobis præstanda erant, ut et ipsum opus recognosceremus, et testimonia auctorum, quorum ex membris suæ historiæ corpus coagmentavit Freinshemius, restituenda et apte collocanda curaremus.

Primus ille labor, qui major et operosior videri poterat, longe leviorem nobis molestiam exhibuit, ob singularem, quam meritis jam laudibus tulimus, scriptoris diligentiam. Si quæ tamen fuere, quæ ille aut negligentius, ut fit, tractasse, aut, quum alicujus momenti essent, inconsulte prætermisisse, aut etiam humano errore lapsus non satis accurata fide expressisse, et paulum a vero detorsisse videretur, ea in notis arguenda et emendanda duximus: nec indignum existimavimus Freinshemium, cui hanc opem adhiberemus; immo dignum lectorem, cui ad verum et genuinum nitorem expressa, abstersis, quantum fieri posset, maculis omnibus, historiæ Romanæ effigies exhiberetur.

Ipsum tamen Freinshemiani operis textum nostris castigationibus refingere, et in aliena tantum nobis juris arrogare,

non nostri pudoris erat: nisi quod bis, vel summum ter, ubi ita perspicuus erat error, ut nullo colore defendi, ita molestus, ut nullo tolerari modo posset, in contextum id immisimus, quod auctor ipse, si potuisset admoneri, scriptum voluisset. Sed tum quoque lectorem edocuimus in notis, quid licentiæ sumeremus. Præterea omissam, profecto per oblivionem scribentis, libro CXXII, rem admodum claram et illustrem, nempe Hortensiæ pro matronis ad Tresviros querelam, suo loco inseruimus.

In cæteris eam fidem præstitimus, ut menda quoque illa quæ ab operis aut profecta erant, aut proficisci potuisse videbantur, si ea in omnibus editionibus reperirentur, non sustinuerimus ita eliminare pro imperio, ut nullam omnino eorum mentionem faceremus. Indiculos confecimus, in quibus vitiosæ illæ lectiones et emendationes nostræ exadversum collocatæ exhiberentur; non per puerilem et irridendam superiorum editionum obtrectationem, sed quia fidem vel superstitiose vereri maluimus, quam videri ulla in re parum diligentèr coluisse.

Scriptorum in ora editionis Parisiensis allegatorum testimonia quam misere ibi tractata sint, credat lector Clerico, qui hanc sibi non minimam causam, cur illa omitteret, fuisse profitetur. *Tot*, inquit, *sunt menda in scriptorum nominibus, in libris, capitibusve, quæ indicantur, et adeo alieno loco sæpe adposita fuerunt, ut omnia ad sua loca referre, et quærere non pateretur otii nostri ratio.* Hoc tamen Augiæ stabulum purgandum aggressi sumus: ingratum supra quam dici possit laborem, et fastidii plenissimum, et ad operarios bajulosque relegandum. Quot ibi fixæ nobis cruces! quot molestiæ devorandæ! Fecimus tamen, quantum licuit per immanem rei difficultatem: nec otium nostrum, quod nullum est, sed bonas sæpe et diu horas contrivimus in uno aut altero verbulo undeunde investigando, in captandis obscura admodum divinatione vel scriptorum nominibus, vel librorum numeris, miserandum in modum deformatis,

truncatis : mutilata absolvimus, depravata correximus, luxata et male collocata e tertia interdum ante postve pagina in locum suum revocavimus, quædam etiam omnino omissa addidimus, ut ubique, si fieri posset, sua rebus in contextu operis memoratis constaret auctoritas: cui adstruendæ si quando scriptores Freinshemio juniores idonei erant, eos citare testes non veriti sumus.

Quod in ejusmodi negotio non omnia ad eam absolutionem perducta sunt, ut nihil omnino desiderari queat, facile condonabit æquus lector. In meliorem certe nitidioremque multo formam redactum esse facile ipso intuitu deprehendet, quisquis hanc editionem cum Dujatiana contulerit. Quin et ea quæ requiri possunt, non ita multa, et parva plerumque sunt; confidimusque hanc jam utilitatem, quam spectavit Freinshemius, ex ejus opere percommode capi posse, ut cum cognitione rerum adsit expedita ad fontes recurrendi facultas.

Erunt fortasse quibus placuisset insigniri insertis in ipsum operis corpus asteriscis, vel numeris, vel literis, locos eos ad quos referenda sunt scriptorum in margine allegatorum nomina. Quibus si hoc primum respondeamus, nos discedere noluisse ab ipsius auctoris exemplo et mente, qui secundæ decadis supplementa nullis talibus notis distinctane dicam, an confusa, ipse ediderit, non vidimus quî id nobis vitio verti possit. Sed et, si quaque in re id quod præcipuum est intueri maxime decet, eique servire, nemo sane dubitabit quin textus potissima nobis cura esse debuerit: cui tamen tanta sæpe intermiscenda fuerat hujusmodi notarum multitudo et varietas, ut iis tota jam ejus facies asperata et horrens omnem esset nitorem amissura. Fatigant hæc et remorantur intentionem legentis, et deditam rebus mentem alio avocant. Denique doctos viros, quos fere hoc probationum et testimoniorum studium tangit, collata cum rebus auctorum nomina facile ad fontes ducent, etiamsi non in ipsos digitus intendatur.

Totum opus claudent indices, unus rerum, non in Livio solum, sed et in supplementis narratarum : quem quidem ex Clerici editione mutuum sumimus, sed eum recognitum a nobis, et in quibusdam emendatum : alter index erit Geographicus, de quo jam monuimus.

Indicem locutionum Livianarum, quo hactenus carent literæ, adjungere consilium est : utilissimum laborem, sed qui licet in carpendis et colligendis Latinæ elegantiæ floribus occupatus, tot tamen spinis horreat, ut, nisi auxilium nobis amicæ manus præsto futurum esse confideremus, ipsi parem tam gravi molestiæ non auderemus spondere constantiam (1).

Quod spectat ad ipsius editionis dispositionem, majusculæ voluminum formæ nobis necessitatem imposuere testimonia illa priscorum scriptorum supplementis in margine adjungenda. In parandis quibusdam ad commodiorem lectionem subsidiis, quæ singulas paginas comitarentur, Clericum, quo nullus Livii editor concinnius ea elegantiusque disposuerat, expressimus. Quod typographorum fuit, ut typorum et chartæ bonitatem nitoremque præstarent, id illi enixe sibi curandum sumpserunt : ambo gloriam artis liberalissimæ et propinqua cum literis cognatione conjunctæ promovere, et senescentem jam excitare et renovare gestientes; alter vero nobis jam inde a puerilibus studiis amicissimus, et per effusam gratificandi editori voluntatem impensius quoque ipsius editionis pulchritudini et absolutioni favere gaudens.

Finem tandem huic præfationi imponamus, postquam tamen professi fuerimus, nos in notandis sive Livii, sive interpretum ejus et editorum erroribus, et levibus etiam interdum nævis, ut magna libertate, sic nullo livore, nulla maledicendi prurigine, versatos esse, sed uni veritati litasse. Cujus quidem tam sancta sunt apud nos jura, ut eam, si quando nos quoque arguet et damnabit, summo simus gaudio et obvia gratulatione amplexuri.

(1) Vide supra pag. 81 ad Not.

Fieri omnino non potest, ut in tanto ac tam multiplici opere, cui magno animo incubuimus quidem, sed variis distracto curis, quas laboriosissimum apud nos publicæ professionis munus *per caput et circa latus salientes* undique advocat, non multa nos fefellerint, multi nobis exciderint errores, sive imprudentibus, sive per meram rerum ignorantiam. Quos adeo non moleste feremus nobis exhiberi, ut contra suppliciter oremus eos quicunque nostrum hunc laborem in manus sumpserint, ne graventur suas nobis animadversiones impertire. Non modo gratiam illis habituri sumus, sed et, quoniam hoc nostrum consilium est, ut non universum opus simul, sed carptim per partes emittamus, in sequentibus semper voluminibus ea quæ in prioribus peccata fuerint, corrigenda monebimus.

Faxit Deus Optimus Maximus, cujus ad laudem omnia referri fas est, ut, quas literis impendimus curas, iis non animus inquies tantummodo pasci amet; sed ita in humanis disciplinis immoremur, ut iis tanquam gradibus ad divina attingenda enitamur.

DISPUTATIO BREVIS

DE PONDERIBUS, PECUNIA, MENSURIS

A LIVIO IDENTIDEM MEMORATIS.

IMMENSA exstant de ponderibus, pecunia, mensuris apud Veteres usitatis volumina : et, qui rem universam complecti disserendo velit, latissimus ei subjicietur explicandæ doctrinæ campus. Nos eam delibabimus tantum, et quatenus illa ad intelligendum Livium necessaria est.

De ponderibus.

Atque, ut a ponderibus incipiamus, caput rei totius, et certissimam ejus expediendæ viam aperuit vir magni in Philosophia nominis, nec minus eruditione multiplici clarus, Petrus Gassendus (1). Hic, quum impetratus esset a Peireskio illo, quem vere dixerimus literarum et literatorum nutriculam, modulus (2) accurate expressus ex congio, qui hodie in ædibus Farnesianis Romæ asservatur, positus olim in Capitolio Vespasiani temporibus, tamquam forma et exemplar omnium congiorum, non dubitavit quin certo exploraturus esset Romanæ libræ pondus. Quum enim constet, ut infra dicemus, congium decem pondo vini, vel aquæ, (idem enim ferme utriusque liquoris pondus est) fuisse, hic idem congius, si vino, vel aqua plenus ponderi-

(1) Gassend. de vita Peireskii, lib. II.

(2) Hunc modulum e congio Farnesiano expressum possidet Bibliotheca Sangenovefiana Parisiis.

bus nostratibus appendatur, necessario daturus est verum librarum Romanæ nostratisque discrimen.

Sed hac in re magnus primo versatus est error, quem nobis ingeniose deprehendisse, et, eruto ex ambagibus obscuræ vetustatis vero, feliciter correxisse visus est clarissimus Labarreus, e Regia inscriptionum et literarum Academia, edita super hoc negotio doctissima disputatione, tom. VIII Commentariorum Academicorum, p. 372.

Nimirum, quum congius Farnesianus inscriptas præferat has notas, *P. X*, id est, *pondo decem*, et præterea constet ex Festo lege sancitum esse, ut *congius vini decem pondo siet*, idemque doceat vetus scriptor Fannius; quod primo venit in mentem, id omnes statim pro certo arripuere, decem libras pondo vini contineri congio, sive centum et viginti uncias pondo: duodecim enim unciis libra Romana censebatur. Nec cuiquam facile suspicio oriretur, rem aliter se habere potuisse. Id tamen falsum esse evidenter probatur invictis Veterum testimoniis. Atque hoc non minimum documentum esse potest, quam non temere primæ rerum fronti credendum sit, quamque facile sub dolosa veri specie fallere queat occultus error, cæcisque insidiis securas mentes subiturus. Sed ut illum arguere quis possit, prius quædam observanda sunt. Ducem sequemur eruditissimum virum, quem modo honoris causa nominavimus.

1° Duæ apud Romanos libræ in usu fuere, liquidorum altera, altera aridorum; illa præsertim ad molem (1), hæc ad pondus rerum definiendum usurpata. Illam appellabimus libram mensoriam, hanc libram pondo. Utraque in duodecim uncias dividebatur: utriusque unciæ in octo (2) drachmas. Hoc discrimen librarum quum ex Fannio clare adstrui-

(1) *Molem* tota hac in disputatione intelligimus, non quam Physici dicunt *massam*, sed amplitudinem, magnitudinem, id denique quod gallice dicimus *le volume d'un corps*.

(2) *Drachma* Græcum ab origine nomen est, sed quod ex assiduo Græcorum cum Romanis commercio, in pervulgatum usum apud Romanos transierit.

tur, tum præcipue ex Galeno, qui passim distinguit λίτραν μετρικὴν, et λίτραν σταθμικὴν, immo et eas inter se comparavit, ut modo exponemus.

2° Quum diversum sit diversorum liquorum pondus, vas idem eo majorem vim hujus illiusve liquoris capiet, quo hic illo gravior erit. Itaque mensura ejusmodi, ex qua sola liquoris in ea contenti moles, non etiam pondus, cognosceretur, facile posset in errorem inducere. Utrumque præstabat libra mensoria : atque hinc recte et *libra* dicebatur, quod illa pondus liquorum cognoscendum dabat, et *mensoria libra*, quod illud pondus exprimebat per rationem ad vas quoddam definitum, quo certi cujusdam liquoris certum pondus continebatur.

3° Ob eamdem illam ponderis pro liquorum varietate varietatem, unum aliquem liquorem eligi opportuit, cujus in libra mensoria contenti cognitum semel pondus usui esset ad definienda cæterorum liquorum, quos illa libra metiretur, pondera. Vinum et aqua eo commodius viderentur eligenda fuisse, quod eorum et maximus est usus, et par fere in pari mole pondus. At Romanis oleum magis placuit, et libram mensoriam oleo plenam voluerunt normam esse cæteris liquoribus æstimandis propositam. Hinc sæpe Galenus nominat τὴν τοῦ ἐλαίου καλουμένην λίτραν, et μέτρον ᾧ τὸ ἔλαιον μετροῦσι. Idem colligitur et ex Fannio.

4° Pondus olei libra mensoria contenti se habebat ad libram pondo, ut 10 ad 12. Hoc diserte docet Galenus, qui a se diligenter exploratum esse affirmat libralis mensuræ oleo plenæ pondus, et duodecim uncias mensorias olei inventas esse pares decem unciis pondo. Nec minus clare id probant Galeni et Fannii collata inter se de cyatho testimonia. Galeno auctore cyathus capiebat duodecim olei drachmas : eumdem cyathum æstimat decem drachmis pondo Fannius.

5° Jam igitur si cognoscatur ratio ponderis olei ad vini in pari utrimque mole pondus, quam *gravitatem specificam*

Mechanici appellant, cognoscetur quoque quodnam vini pondus libra mensoria contineatur. Hanc rationem Romani statuerant esse (1) ut 9 ad 10, quæ sane haud multum aberrat a vero, et ad publicum illum et forensem usum commode se habet. Quum ergo libra olei mensoria decem unciis pondo æqualis sit, hæc instituatur proportio : ut 9, quæ est gravitas specifica olei, ad 10, quæ est gravitas specifica vini, ita 10 numerus unciarum pondo libræ olei mensoriæ, ad 11 $\frac{1}{9}$, qui erit numerus unciarum pondo vini libra mensoria contenti.

6° Ut jam ad congium accingamur, constat ex Fannio congium capacem fuisse novem librarum mensoriarum olei. Etenim ille diserte docet sextarium, qui sexta pars est congii, cepisse libram olei cum semisse; unde clare patet novem libras olei congio contineri. Libras autem illas mensorias fuisse, non libras pondo, ex eo intelligitur, quod idem sextarius, qui a Fannio dicitur capere libram olei cum semisse, sive uncias 18, ex eodem Fannio (2) quindecim unciis pondo æstimandus est. Hæc enim ipsa ratio est libræ mensoriæ oleo plenæ ad libram pondo. Illas libras diximus ad sese invicem ita se habere, ut 12 ad 10. Eodem autem modo se habent 18 ad 15, quo 12 ad 10. Ergo et ubi dicitur sextarius esse quindecim unciarum pondo, intelligendus est oleo plenus; et unciæ decem et octo olei, quæ sextario continentur, sunt unciæ mensoriæ, non unciæ pondo. Ergo

(1) Apud Galenum cotyle est unciarum olei 9, vini decem. Apud Dioscoridem et Fannium sextarius capit libram olei cum semisse, sive uncias 18, libram vini cum besse, sive uncias 20. Hæc ratio olei ad vinum non omnino accurate definita est. Pollex enim cubicus olei æquat pondere 331 grana : pollex autem cubicus vini, grana 365, quæ deberet habere 367 $\frac{7}{9}$, si oleum et vinum ad sese mutuo se haberent, ut 9 ad 10; sed error levissimus est.

(2) Ex Fannio cyathus est decem drachmarum pondo. Cotyle autem capit sex cyathos : sextarius duas cotylas. Ergo sextarius capit duodecim cyathos, ac proinde æquat pondere drachmas centum et viginti, sive quindecim uncias. Octo enim drachmæ, ut jam observavimus, unciam constituunt.

congius, qui sex capit sextarios, novem libras mensorias olei capere dicendus est.

Præterea idem Fannius comparans inter se vinum et oleum sextario contenta, eum dicit capacem fuisse olei quidem unciarum 18, vini vero 20. At viginti illæ vini unciæ non possunt esse unciæ pondo; si quidem ex eodem Fannio sextarius æquat pondere uncias quindecim. Sive autem oleo plenus, sive vino, dicatur par esse quindecim unciis pondo, nunquam dare poterit viginti uncias vini pondo. Ergo unciæ illæ vini viginti, quas capit, non sunt unciæ pondo. Ergo nec 18 olei unciæ, quas idem sextarius continet. Superest igitur, ut unciæ illæ olei 18 sint unciæ mensoriæ.

Hinc necessario colligitur congium capacem fuisse novem tantummodo librarum mensoriarum olei, quæ efficiunt septem libras et sex uncias pondo. Quum ergo gravitas specifica olei sit ad gravitatem specificam vini, ut 9 ad 10, sequitur pondus vini congio contenti fuisse octo librarum et quatuor unciarum, sive centum unciarum pondo, non centum et viginti, ut antea creditum fuerat.

Quonam modo igitur congius dici potest *decem pondo* esse? Necesse est enim, ut huic formæ loquendi, quam indubitata antiquitatis monumenta testantur, sua constet veritas.

Primo observabimus nec mensorias decem libras, nec decem libras pondo vini contentas congio fuisse. Non mensorias decem libras: nam libras olei mensorias novem capiebat congius, ut vidimus. Liquores autem mutati non mutant vasis capacitatem. Non decem libras vini pondo: etenim septem olei libras pondo cum semisse continebat. Ergo ut decem libras pondo vini contineret, necesse esset, ut gravitas olei specifica esset ad gravitatem vini, ut 3 ad 4, quod aperte falsum est.

Hoc ergo sensu dicebatur congius esse decem vini pondo, quod ejusmodi pondus vini caperet, quod par esset ponderi decem librarum olei mensoriarum. Libra olei mensoria est

unciarum pondo decem. Decem igitur libræ mensoriæ, sive centum et viginti unciæ mensoriæ olei æquant centum uncias pondo: quod ipsum est vini congio contenti pondus.

Nunc jam facile est rationem libræ Romanæ pondo ad libram Parisiensem cognoscere. Congius centum uncias pondo vini continebat. Idem congius aqua fontana plenus diligentissime appensus ab clarissimo Auzutio, inventus est centum et octo uncias Parisienses illius aquæ continere cum septem, ut vocant, *grossis*, et granis octo supra quadraginta. Hinc statim apparet unciam Romanam graviorem fuisse uncia Parisiensi.

Sed observat idem vir clarissimus, quem hic auctorem sequimur, Labarreus, aliquantum ex illo pondere quod deprehendit accuratissimus Auzutius detrahendum esse, ut verum inveniatur. Etenim, si res ad summam diligentiam exigatur, et omnis aqua vinum pondere superat; et aqua fontana flumineam aquam; et præterea congius Farnesianus ob nimiam vetustatem quibusdam sinuosis amfractibus excavatus, capacior jam aliquanto factus est, quam primitus fuerat.

Hæ omnes causæ in unum congruentes non levem visæ sunt imminutionem postulare. Itaque libra Romana, quæ, si nihil discederetur ab pondere Auzutiano, esset unciarum nostrarum tredecim cum granis 43, a doctissimo Labarreo æstimatur unciis Parisiensibus duodecim tantum cum semuncia, sive granis 288; ita ut uncia Romana par fuerit granis nostratibus 600, quæ 576 unciam nostratem efficiunt. Atque hac æstimatione contenti fuimus, ut quæ nihil, aut parum admodum a vero abeat.

Ut igitur pondera Romana ad nostratium normam exigerentur, hæc nobis via sequenda fuit.

Unciæ Romanæ 12 pares sunt unciis nostratibus $12\frac{1}{2}$; ergo libra Romana se habet ad libram Parisiensem, ut $12\frac{1}{2}$ ad 16, sive, ad vitandas fractorum numerorum ambages, ut 25 ad 32.

Eadem libra Romana pondo se habet ad marcam, seu selibram Parisiensem, ut $12\frac{1}{2}$ ad 8, sive, ut 25 ad 16.

Ut igitur libræ Romanæ ponderibus nostratibus æstimentur, hæc instituatur proportio. Ut 32 se habent ad 25, ita numerus datus Romanarum librarum ad quartum numerum, qui exprimet libras Parisienses. Vel, si marcis Parisiensibus opus fuerit, ut 16 se habent ad 25, ita numerus datus Romanarum librarum ad quartum numerum, qui exprimet marcas, seu selibras Parisienses.

Nunc, si cæterorum ponderum quibus Veteres utebantur, si argenti aurique signati ad libram Romanam ratio perspecta habeatur, nullo negotio illa ad nostrorum ponderum normam redigi poterunt. De asse, et ejus partibus nulla est difficultas. As (hæc enim, etsi notissima, hic ponere non absurdum judicamus, ne si qui forte ea ignoraverint, alio recurrere cogantur)

As ipsa est libra Romana, sive duodecim unciæ,

Deunx, undecim unciæ.
Dextans, decem.
Dodrans, novem.
Bes, octo.
Septunx, septem.
Semis, sex.
Quincunx, quinque.
Triens, quatuor.
Quadrans, tres.
Sextans, duæ.
Uncia.

De denario (1) dissentiunt inter se docti. Nobis verissima videtur Budei et Gronovii (2) sententia, qui statuunt dena-

(1) De denario et ejus cum drachma comparatione multa ingeniose et erudite disserit Cl. Labarreus, loco supra memorato, quæ consulere operæ pretium est. Nos rem hic non subtiliter exsequimur, nec aliud respicimus, quam pervulgatum apud Veteres in communi vitæ consuetudine loquendi ac numerandi usum.

(2) Gronov. de Pec. Vet. lib. II, cap. 6.

rium fuisse octavam unciæ partem, ita ut denarii proprie ac subtiliter sex et nonaginta libram constituerent, sed et rotundandi numeri causa, et quia rarissimi denarii pondus illud exactum referrent, consuetudine fori et tractatione pecuniæ introductum sit, ut centum pro libra ambularent. Hoc adstruunt antiquorum scriptorum innumerabilia testimonia, hoc evincit tota rei nummariæ ratio. Itaque centum denariis argenteis libram argenti Romanam æstimamus.

Ex eorumdem Budei et Gronovii mente distingui debent sestertius et sestertium. Sestertius nummus fuit argenteus, quarta pars denarii. Libra ergo argenti Romana censenda est quadringintis sestertiis nummis.

Sestertium nummus non fuit, sed summa quædam ad conficiendas commodius rationes excogitata, quæ quidem summa par erat mille sestertiis nummis, sive ducentis quinquaginta denariis, sive denique duabus libris Romanis argenti cum dimidia.

Pondera Græca usitatissima, sunt drachma, mina, talentum. Drachma Attica ubique in Veterum monumentis censetur par denario Romano. Sed centum drachmæ erant in mina Attica. Itaque minam Atticam parem facere debemus libræ Romanæ. Talentum Atticum sexaginta minarum erat, ac proinde par sexaginta libris Romanis.

De pecunia.

Jam ad pecuniam transeamus, eamque, qualis stante republica fuit, perpendamus. Inferiora tempora nihil ad præsentem disputationem pertinent.

Pecunia triplicis generis apud Romanos fuit, æerea, argentea, aurea.

Primus Romæ signavit æs Servius Tullius. Antea rudi ære, id est, massis quibusdam æreis, non signatis, non unius formæ, non certæ figuræ, usos esse Plinius (1) ex

(1) Plin. Hist. Nat. lib. XXXIII, cap. 3.

Timæo memorat. Asses a Servio signati fuere liberales, et hoc initio fuit illud æs grave (1), de quo toties apud veteres scriptores mentio occurrit, quod appendi non annumerari solebat. Signatum est nota *pecudum*, bove, vel ove, vel sue, unde et *pecunia* appellata (2). Percussi quoque sunt semisses, et trientes, et quadrantes, ejus ponderis quod nomine ipso indicatur. Hac sola pecunia usi sunt Romani (3) ad Q. sive C. Fabium, Q. Ogulnium consules, quinque annis ante primum Punicum bellum.

Tum devicto Pyrrho et Tarentinis, quum Romani totam jam Italiam imperio amplecterentur, auctis successu rerum opibus, argentum signari cœptum, denarii, quinarii, sestertii, et placuit denarium pro decem libris æris, sive assibus libralibus ambulare; quinarium, qui postea et victoriatus dictus est, pro quinque; sestertium pro dupondio, sive duobus assibus, et semisse: quod et ipsa nomina testantur. Hinc apparet quanta primis illis temporibus argenti raritas Romæ, et quam immane pretium fuerit. Quum enim centum denarii, ut supra diximus, in libram argenti imputarentur, denarius autem decem libris æris æquipararetur, sequitur singulas argenti libras millenis æris libris primo æstimatas fuisse.

Sed non ita multo post mutata res est, et pretium æris auctum, non tam affluentibus divitiis, quam urgente inopia. Bello enim Punico primo, quum impensis respublica non sufficeret, institutum ut asses sextantario pondere ferirentur, manente levioribus his assibus eodem pretio, quod libralibus fuerat. Mutato æreæ monetæ pondere, et mutata nota est. Nota æris tum fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero et quadrante, ratis, unde et *ratiti* interdum dicti sunt, teste Festo.

(1) Vide appendicem de ære gravi huic disputationi a nobis subjunctam.

(2) Plut. in Popl.

(3) Plin. Hist. Nat. lib. XXXIII, cap. 3.

Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti : sed mutata est eorum ad argentum proportio; placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Postremo asses semunciales facti, quo tempore, quo ferente legem, incertum; nisi quod latorem legis Papirium vocitatum fuisse constat, quum ipsam legem Plinius Papiriam appellet. Sed tunc tamen servata est eadem quæ a bello Punico secundo invaluerat horum ad argentum ratio.

Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ, et inde bigati quadrigatique dicti.

Aureus nummus post annum secundum et sexagesimum Romæ percussus est, quam argenteus, id est, bello Punico secundo, C. Claudio Nerone, M. Livio II consulibus: tumque auri proportionem ad argentum quindecuplam fuisse ex Plinio colligitur; sed brevi decupla effecta est ex imitatione Græcorum. Decimo tertio post bellum Hannibalicum confectum anno jubentur Ætoli pro decem argenteis unum aureum nummum pendere, ut habet Livius, lib. XXXVIII, cap. 11, sive, ut clarius Polybius, pro decem argenti minis unam auri minam.

Aureum nummum unius generis, unius formæ apud Romanos fuisse censet Gronovius (1), atque ideo non reperiri apud scriptores varia aureorum Romanorum, quemadmodum argenteorum, nomina, quia argenteorum tria genera erant, denarius, quinarius, sestertius; aureorum unum.

Cujus ponderis aureus nummus primo Romæ percussus fuerit, quum quindecupla auri ad argentum proportio in usu erat, non reperimus. Sed illud perbreve, ut modo diximus, intervallum fuit; post quod *placuit*, inquit Plinius, *quadraginta* nummos *signari ex auri libris*. Sic enim legendum esse hunc Plinii locum credimus, ut et habent aliquot MSS, teste Cl. Harduino, quamvis ipse aliam lectionem magis

(1) De Pecun. Vet. lib. III, cap. 15.

probaverit, et in contextum admiserit. Quum igitur quadraginta aurei ex libris aureis signarentur, si centum denarii in libram imputentur, sequitur aureum nummum duûm denariorum et quinarii pondus æquasse. Atque hoc quidem perbene convenit cum perpetua aurei Romani æstimatione, quem Veteres magno consensu viginti quinque denariis argenteis valuisse testantur. Si enim servetur decupla auri ad argentum proportio, duo denarii et semis ex auro pares sunt viginti quinque denariis ex argento. Talis ergo fuit aureus Romanus : et, si quando denariorum aureorum mentio in scriptorum Romanorum libris occurrit, eos existimat Gronovius peregrinos esse, et aliunde advectos, non Romæ percussos.

Aureus Atticus minor Romano fuit, et duarum tantum drachmarum pondus æquabat. Hic vocabatur simpliciter χρυσοῦς. Fuere et drachmales aurei, qui ἡμίχρυσοι nominabantur.

Cognito antiquorum nummorum pondere, et eorum inter se ratione, nunc eos cum nostris comparare opus est. Et, quoniam nos pecuniam non appendimus, sed annumeramus, et in quotidiana nummorum tractatione, non marcis aut unciis eos, sed libellis et solidis Turonensibus æstimamus, id primo consultissime videbamur facturi, si veteres nummos ad libellarum solidorumque Turonensium normam exigeremus.

Sed ab illo nos consilio duplex deterruit difficultas : una, quod sæpe apud nos ita jactatur nummus, tam varia æstimatione fluctuare jubetur, ut nihil de eo certi statui queat, aut quod vel in unum fortasse annum usui esse possit : altera, quod ex quo res nummaria apud nos ex diuturna agitatione aliquatenus constitit, eam sequimur Galli marcarum aureæ et argenteæ æstimationem, quæ multum discrepet ab eo quod verum et genuinum apud plerasque Europæ gentes auri et argenti pretium habetur : adeo ut nomen illud libellarum Turonensium falsa blandiatur specie claritatis; re

quidem vera errorem potius sit obscuritatemque pariturum. Nobis ergo ad pondera confugiendum fuit, quæ et minime variant, nec quidquam habent ambigui. Itaque fecimus: ct, quæcunque auri argentive, sive facti aut infecti, sive signati summa in Livio occurrit, eam marcis seu selibris, unciis, etc. Parisiensibus æstimavimus ad eam rationem quæ supra demonstrata est.

Sed in ære alia nobis ineunda ratio erat, ne in eumdem errorem incurreremus, qui Dujatio fraudi fuit. Quum enim æs apud Romanos longe vilius esset quam apud nos, ut patet ex eo quod, ubi primum moneta ex argento cudi cœpta est, singulæ argenti libræ millenas æris libras pretio æquarent, asses Romanorum librales in libras æris nostrates redacti, quod a Dujatio factum est, fallaci nobis specie divitiarum imponerent, et haberentur a nobis pro longe majore summa, quam quanti a Romanis illi taxabantur. Itaque faciendum visum est, ut æs non in se, sed habita argenti ratione æstimaremus; et, quod ei ad argentum collato pretium Romani statuerant, id in marcis, unciis, etc. argenti Parisiensibus redderemus.

Hic operæ pretium esse ducimus tabulam exhibere indicem ponderum nummorumque maxime usitatorum apud Veteres cum ponderibus nostratibus collatorum. Fuere ergo nobis

Libra Romana et mina Attica, unciarum Parisiensium 12 $\frac{1}{2}$.

Uncia Romana, granorum 600.

Denarius, si ad severam æstimationem exigeretur, granorum esse debuerat 75; sed quia usu receptum fuerat, ut centum denarii in libram imputarentur, habitus est a nobis granorum tantummodo 72.

Drachma par censetur denario.

Quinarius, granorum 36.

Sestertius, granorum 18.

7.

Sestertium, sive mille nummûm, marcarum argenti 3, unciarum 7, granorum 144.

Talentum Atticum, marcarum argenti 93, unciarum 6.

As, quandiu deni denarium, bini cum semisse sestertium conficiebant, æstimatus a nobis est granis argenti 7 $\frac{1}{2}$: posteaquam senideni in denarium, quaterni in sestertium conjecti sunt, granis argenti 4 $\frac{1}{2}$.

Hæc nobis æstimatio ex ponderum ratione suffecit: in qua si qui ob insolentiam fortasse hærebunt, et aliquam obscuritatis nubeculam superesse querentur, Turonensesque libellas et solidos, notiora nomina, desiderabunt, iis facillimum erit, definito semel in libellis solidisque Turonensibus marcarum auri et argenti pretio, ad illud pondera quæ in notis nostris expressa repererint exigere.

De mensuris.

Superest, ut aliquid de mensuris longis et cavis breviter disseramus. Initium hic a pede, quemadmodum in ponderibus a libra, faciendum videtur.

Pes Romanus Capitolinus ab diligentissimis talium rerum indagatoribus, sed et Mathematicarum disciplinarum peritissimis viris, Picardo et Auzutio, magna cum cura observatus, inventus est partes habere 653, vel 653 $\frac{1}{2}$, quales pes noster Parisiensis habet 720: ac proinde non totos habere undecim pollices Parisienses, quamvis ab iis parum absit, nempe paulo plus una decima pollicis parte. Hoc discrimen inter Romanum nostratemque pedes haud sane parvum est. Tamen pedem Romanum, et ejus partes, et omnino mensuras longas, præter stadium et milliare, ad nostri pedis regii modum revocare in notis negleximus, propterea quod nec tanti esse visum est, et res facillima.

Sed operæ pretium est nosse quam rationem haberent ad pedem cæteræ antiquorum mensuræ.

Pes Romanus dividitur in quatuor palmos, duodecim pollices, digitos sedecim.

Cubitus, in duas spithamas, sex palmos, decem et octo pollices, quatuor et viginti digitos. Itaque cubitus par erat sesquipedi.'

Jugerum actus duos quadratos continebat, quorum quilibet centum et viginti pedes quaquaversum habebat. Itaque jugerum patebat ducentos quadraginta in longum pedes, in latum centum et viginti.

Stadium, mensura Græca, erat centum viginti quinque passuum, quorum quilibet quinque pedibus censebatur.

Milliare Romanum par erat octo stadiis.

Hinc facile est stadia et milliaria ad leucarum nostrarum communium rationem exigere. Leuca, quales viginti quinque gradum unum meridiani terrestris explent, habet hexapedas 2282. Stadia igitur duo ferme et viginti, duo milliaria et septingenti quinquaginta passus, leucam conficerent, si pes Romanus pedi nostro par esset. Sed si discriminis, quod inter utrumque interest, ratio habeatur, stadia fere quatuor et viginti, tria milliaria in leucam imputanda erunt.

Quod spectat ad mensuras cavas, eas omnes quæ in Livio identidem appellantur, ad nostrarum rationem exigere necessarium duximus.

Amphora, sive quadrantal, erat ipse pes cubicus Romanus, teste Fannio. Sed quum in pede Romano undecim fere sint pollices Parisienses, (decimam pollicis partem, quæ abest pedi Romano, negligimus) pes cubicus Romanus solos habebat pollices cubicos mille trecentos triginta unum, quales habet mille septingentos viginti octo pes noster cubicus. Itaque pes cubicus Romanus est ad pedem cubicum nostratem, ut $3 \frac{1}{12}$ ad 4, sive ut 37 ad 48.

Modius apud Romanos pedis sui cubici tertia pars erat, quemadmodum apud nos, nostri. Itaque eadem est inter modios Romanum et nostratem, quæ inter pedes cubicos Romanum et Parisiensem ratio.

Congius est semipes Romanus cubicus, octava pars amphoræ. Sed quum congius ad metienda liquida adhiberetur,

æstimabimus eum, ut et cæteras infra ipsum mensuras, in iis mensuris quas vocamus *pintas*, et earum partibus. Itaque congius centum, ut initio diximus, uncias Romanas pondo vini capiebat, quibus pares sunt 104 $\frac{1}{6}$ unciæ Parisienses, sive libræ sex, unciæ octo, cum una sexta unciæ parte. At vini vel aquæ *pinta* (sic enim loqui necesse est, si verborum circuitus, et ambages vitare volumus) æquat duas libras pondere. Itaque congius capiebat tres vini vel aquæ *pintas* et paulo amplius quartam *pintæ* partem.

Sextarius, sexta pars congii, sexdecim uncias Romanas vini pondo cum quinque drachmis et una tertia drachmæ parte capiebat, libram Parisiensem cum uncia et semisse, ac proinde major erat ea mensura quam vocamus *chopine.*

Hemina, pars dimidia erat sextarii, ac proinde superabat eam mensuram quæ apud nos dicitur *demi-septier.*

Quartarius, quarta pars sextarii, non multum excedebat eum modulum, quem dicimus *poisson.*

E mensuris cavis apud Græcos usitatis, solius medimni apud Livium fit mentio, quod duabus amphoris, sive sex modiis par erat.

Atque hæc sunt quæ de ponderibus, pecunia, mensuris antiquorum summatim disserenda esse duximus, ut, ubicumque lector hæc in notis nostris æstimata invenerit, sciat quid sequuti fuerimus, et, si quid illic obscuri repererit, huc recurrat, ubi tota res pluribus verbis tractata facilius et planius intelligi potest.

APPENDIX

DE ÆRE GRAVI.

CIRCA æs grave hic nodus non facile solvendus occurrit, quod ejus, etiam post imminutum assium pondus, mentio tamen fit interdum a scriptoribus, tanquam tunc quoque adhibiti ad conficiendas æstimandasque pecuniæ summas. Etenim quum æris gravis nomine intelligantur, ut diximus in Disputatione præcedenti, asses librales, quis ejus usus esse debuit post levatos asses, et ad unciam redactos?

Illa difficultas doctissimos viros, Salmasium, Gronovium, Kusterum, Perizonium, non mediocriter exercuit, et in varias scidit sententias : quas tractatas qui videre voluerit, adeat Dissertationem eruditissimi et acutissimi viri Jac. Perizonii de Ære gravi : in qua tota res accurate perpenditur, nec tamen nobis visa est plane ad liquidum perduci, non scribentis vitio, in quo ingenii sagacitas certat cum ubertate doctrinæ, sed ob densas tenebras rei quum vetustissimæ, tum nusquam ex professo a scriptoribus antiquis disceptatæ, et in transcursu tantum breviter ab iis raptimque indicatæ.

In hac obscuritate dispicere conemur primum, num quid pro claro haberi, et extra controversiam esse debeat, atque id teneamus, et ab eo quod ambigi et per malignam lucem vix dispici potest seponamus.

Constat 1° quoties scriptores Romani de vetere illo ante imminutum assium pondus ævo loquentes mentionem faciunt æris gravis, intelligendos esse asses librales. Hoc probant testimonia Plinii, lib. XXXIII, cap. 3, et Festi in voce *Grave æs*. Plinium audiamus: *Librales*, inquit, *appendeban-*

tur asses. Quare æris gravis pœna dicta. Manifestum est a Plinio exponi *æs grave* per *librales asses.* Disertius adhuc Festus : *Grave æs dictum a pondere, quia deni asses singuli pondo libras, efficiebant denarium, ab hoc ipso numero dictum.* Hinc evertitur opinio Kusteri, qui grave æs de quocunque ære intelligendum putat, tam sextantario et unciali, quam librali : quasi in illa appellatione *æs* sumeretur pro nummo, ita ut *grave æs* esset nummus gravior, argenteo scilicet nummo, qui ob majus metalli pretium, minoris necessario ponderis esse debet. Hoc commentum, omni Veterum auctoritate destitutum, immo cum ea aperte pugnans, merito explosum est a Perizonio.

2° Patet gravis æris appellationem tum natam esse, quum asses imminuti sunt, ut nempe grave æs opponeretur huic recenti leviori. Antea enim quum unius generis æs esset, minime necesse erat illud aliquo velut cognomine insigniri. Itaque in lege illa duodecim tabularum, quam memorat Gellius, lib. XX, cap. 1, legimus *viginti quinque æris pœnæ sunto.* Non additur *gravis,* quia tunc unius modi æs erat, nec proinde ulla poterat esse ambiguitas. At scriptores levato æris pondere recentiores, quales sunt ii omnes fere quorum monumenta ad nos pervenerunt, ubi loquendum illis fuit de assibus libralibus antiquiore ævo usitatis, appellationem *æris gravis* usurparunt, per comparationem ad æs levius quod suo tempore in manibus hominum versari videbant.

3° Constat etiam post imminutos asses, summas nihilominus in ære gravi interdum conceptas fuisse. Testimonio sunt 1° Livius, XXII, 33, et XXXII, 26, tum locus e libris linteis pontificum a Salmasio allatus, *de modo usurarum,* p. 237, ubi dicuntur *Ætolorum legatis lautia data, et ducenta,* sive potius bina *millia æris gravis in singulos.* Cum Ætolis enim bello demum Punico secundo rem habere Romani cœperunt. Denique idem adstruitur ex Seneca, qui lib. I Natur. Quæst. cap. ult. et Consol. ad Helviam, cap. 12, tradit Scipionis filias in dotem a senatu accepisse *æs grave.*

Hunc Scipionem ex Val. Max. lib. IV, cap. 4, apparet fuisse Cn. Scipionem, qui in Hispania periit, patruum Africani prioris.

4° Necesse est, ut tunc aliquod discrimen fuerit pretii et æstimationis inter grave æs, et asses leviores. Alioquin prorsus inutile fuisset ipsius appellationis discrimen. Itaque stare posse non videtur Gronovii sententia, qui lib. III de Pecun. vet. c. 15, censet gravis æris nomine venire potuisse massas æreas, quarum pretium exigeretur ad rationem nummi ærei : ita ut, cui donarentur decem millia æris gravis post levatum pondus nomismatum, is acciperet decem millia assium in massis ejusmodi. Si id admitteretur, periret jam discrimen pretii : et decem millia gravis æris essent ipsa decem assium leviorum millia.

Pro certo itaque ponere posse videmur gravis æris appellatione, tam ante, quam post imminutos asses, libras æris intelligi, sive in assibus vere libralibus priore ævo; sive postea nomine tenus, ad usurpandam vetustatis imaginem, cum aliqua tamen ratione discriminis ad nummos usu jam communi receptos : ita ut, cui decem millia gravis æris donata leguntur, is antiquitus decem millia librarum æris acceperit; posteriore ævo summam pecuniæ, quæ id nomen ex more antiquo retinuisset, et vere differret a decem millibus assium leviorum.

Huc usque nobis cum Perizonio convenit, qui et recte suspicatur civitatem patriorum institutorum retinentissimam, post mutatum æris nummarii pondus servasse tamen antiquam pecuniarum æstimandarum rationem, in iis certe quæ publice fierent, ut in æstimando civium censu, in muneribus donisque senatusconsulto decretis, in colligenda ratione pecuniæ quæ in triumphis ferretur; ita ut longe sæpius sit intelligendum æs grave in scriptis antiquorum, quam expressum reperitur.

Sed quodnam pretium finiendum sit libris illis æris post cusos asses leviores, id vero nobis ita perplexum et ambi-

guum videtur, ut lectis et multum pensitatis iis quæ doctissimi viri super hoc negotio scripserunt, usurpare possimus illud Comici poetæ : *Fecistis probe. Incertior sum, quam dudum.*

Distinguemus tamen pondera ipsa librarum æris, quæ mercis loco haberentur, et æs grave adhibitum ad concipiendas veteri more pecuniarum summas. Librarum æris pondo non dubitamus quin pretium crescere, levato nomismatum pondere, debuerit, idque pro ratione fere nummi : quod et Gronovio visum est. Hoc enim concoquere omnino non possumus, quod sumit Perizonius, librarum æris pondo rationem ad argentum post imminutos asses aliquantulum duntaxat fuisse mutatam : ita ut post cusos sextantarios asses duæ unciæ signati æris tanti fere æstimarentur in argento, quanti tota libra non signati foret. Et augescentibus jam imperii cum ditione divitiis, fieri omnino non potest quin argenti pretium ex copia paulum eviluerit, et abjecta sit immanis illa, quæ primo invaluerat, unius argenti libræ cum mille æris libris comparatio. Itaque libra æris non facti, nec signati, æstimari debebit, post cusos sextantarios asses, sex fere assibus; post unciales, duodecim. Illud ergo unum in disceptationem vocatur, quonam pretio taxandum sit æs grave in conficiendis pecuniarum rationibus post percussos asses leviores expressum, sive quam rationem illud æs et ad asses, et ad argentum habuerit.

E tribus unum factum esse oportuit, nempe ut vel æs grave paris fuerit cum assibus pretii, ita ut decem æris gravis semper fuerint ipsi decem asses; vel æri gravi pretium creverit pro ratione nummi, ita ut decem æris gravis æstimentur sexaginta assibus sextantariis, centum et viginti uncialibus; vel denique æris gravis eadem semper fuerit ad argentum ratio, quæ priscis temporibus fuerat, ita ut decem æris gravis semper ambulaverint pro denario uno, ac proinde paris cum sexdecim assibus uncialibus pretii fuerint.

Primam opinionem jam ostendimus everti disertis antiquorum scriptorum testimoniis, quibus grave æs a leviore distinguitur : atque adeo in se absurdam esse, quum ipsa gravis æris appellatio arguat discrimen aliquod ab ære levi; discrimen autem illud, nisi in pretio positum sit, omnino inane et frustra observatum esse videatur.

Secunda quoque sententia prorsus stare non potest, propterea quod ex illa æstimatione grandiores justo summæ futuræ sint, et omnem verisimilitudinis modum, immo et historiæ fidem, excessuræ. Unum apponere exemplum sat erit, sed ejusmodi quod rem conficiat. Livius, lib. XXIV, cap. 11, quum jam unciales asses forent, edisserens quot quisque ex censu dare remiges deberet, sic illam enumerationem concludit : *qui supra decies* æris, *septem ; senatores, octo nautas cum stipendio darent*. Ergo senatorius census tunc æstimabatur supra decies æris. Porro hoc loco æs grave intelligendum est, ex iis quæ supra dicta sunt, quia de census æstimatione agitur : *decies* autem hic idem est ac *decies centena millia*, ut ex ipsis numeris antecedentibus constat. At si hic una libra æris gravis æstimetur duodecim assibus uncialibus, *decies æris* eruut asses unciales 12,000,000, sestertii 3,000,000, quod evidenter falsum et absurdum est, non modo ob tenues tum res Romanorum et inopiam, sed quia florentissimis reipublicæ Romanæ temporibus census senatorius, teste Sueton. in Aug. cap. 41, octingentis millibus sestertiûm definitus fuit, et ab Augusto demum ad decies, vel duodecies sestertium auctus.

Reliquum est, ut æs grave priscam ad argentum proportionem retinuisse censeatur, quæ Perizonii opinio est. Firmat hanc sententiam non spernendus auctor Plutarchus, qui in Catonis censura eam pecuniæ summam, quæ apud Livium, lib. XXXIX, cap. 44, est *quindecim millium æris*, æstimat drachmis mille quingentis. Quum enim drachma par censeatur fuisse denario, liquido patet *decem æris* fuisse Plutarcho denarium unum. Æs autem grave hic intelligi

debere non id solum argumento est, quod de censu agitur, sed illud etiam, quod asses leviores, qui tunc in usu erant, in unum denarium sedecim contribuebantur : ita ut quindecim millia illorum assium non 1,500 denariis, seu drachmis, sed 937 $\frac{1}{2}$ paria futura essent.

Ergo decem æris gravis, ut initio, ita et per omne deinceps tempus, denarium æquaverint : quemadmodum contra *in militari stipendio semper denarius pro decem assibus* est *datus*, teste Plinio, lib. XXXIII, cap. 3, id est, prout interpretatur Lipsius ad Tac. Ann. lib. I, cap. 17, quanquam denarii pretio aucto, miles tamen nihil inde commodi sensit; quumque ei denarius deberetur, decem tantummodo asses, ex antiqua denarii æstimatione, non sexdecim, ex recentiore, dabantur.

Hæc sat belle se habent. Unus tamen etiamnum angit scrupulus, quod in hac opinione nullum sit pretii discrimen inter æs grave assesque leviores, quamdiu sextantariis assibus Romani usi sunt. Non enim his assibus percussis mutata memoratur assium ad denarium ratio, sed tum demum quum asses unciales facti sunt. Itaque decem sextantarii asses, ut et decem æris gravis, unum denarium æquabant : ac proinde a belli Punici primi temporibus usque ad alterum annum secundi, quodnam æri gravi pretium dicendum sit, haud facile definiri potest.

Unum nobis effugium superest, si dicamus toto illo tempore nullum usum fuisse æris gravis in conficiendis pecuniæ præsentis, id est, ejus quæ tunc solveretur numeraretur ve, rationibus; sed tantummodo ubi loquendum esset de antiquo ære quo utebatur civitas ante imminutum assium pondus : atque ad hoc notandum discrimen æris antiqui a recenti, illam æris gravis appellationem primo invectam esse. Postea quum assibus uncialibus factis mutata esset assium ad denarium ratio, tum demum dicemus advocatum esse æs grave ad exprimendas præsentis pecuniæ summas, ut mos priscus æstimandarum pecuniarum publice retineretur.

Quod hoc loco ponimus, quemadmodum fatemur nullis adstrui disertis Veterum testimoniis, ita nullis quoque everti posse existimamus. Immo nonnihil favet nobis temporum ratio : ex quo enim tempore constat asses sextantarios factos esse, id est, a primi Punici belli fine, prima mentio æris gravis occurrit apud Livium, lib. XXII, cap. 33, post depositam a Q. Fabio Maximo dictaturam, quo dictatore Plinius auctor est rursus imminutum esse assium pondus, et ad unciam redactum, simulque mutatam esse assium ad denarium rationem, ut sexdecim asses in denarium contribuerentur. Itaque prima mentio æris gravis in præsentis pecuniæ rationibus in unum idemque tempus congruit cum mutata assium ad denarium ratione.

Ut igitur paucis contrahamus ea quæ tota hac disputatione complexi sumus, tria haud improbabiliter definiri posse credimus de ære gravi.

1° Æs grave nullum dictum fuit, donec levatum est assium pondus.

2° Assibus sextantariis factis, æris gravis appellatio invecta fuit ad designandos asses librales, qui antea in usu fuerant. Verum nullus tum ejus appellationis usus fuit in summis pecuniarum quæ tum conficerentur, sed tantum ubi sermo esset de ære vetere olim usitato.

3° Assibus uncialibus factis, et mutata assium ad denarium ratione, cœperunt Romani uti appellatione gravis æris in præsentibus etiam pecuniarum rationibus, ut retinerent priscam æstimandarum pecuniarum consuetudinem; ejusque pretium idem, quod semper, esse voluerunt, ut decem æris gravis pro uno denario ambularent : tuncque æs grave, non fuit nummus, non pondus quoddam verum æris, sed merum nomen, mera appellatio, quemadmodum apud nos *denier, pistole, écu, livre tournois*, quibus nominibus utimur in concipiendis pecuniarum rationibus, licet nullus eis examussim æreus, argenteus, aureusve nummus respondeat.

EDITORIS NOVI

MONITUM.

Post duas disputationes quas modo retulimus, quales ad suæ ætatis usum confecerat Vir Clarissimus, nec laudandus unquam satis Creverius, qui de Veterum ponderibus, pecunia, mensuris et ære gravi doctrinam sui temporis universam paucis contraxerat, novas octo tabulas subjicere statim operæ pretium duximus, in quibus ad hodiernam Gallicarum rationum æstimationem supputantur ac revocantur nummi, pondera et mensuræ, quibus olim utebantur Romani et Græci : hinc facile concludi poterit quanta rerum ac numerorum commutatio non multis abhinc annis apud nos evenerit. Has autem eo fidentioribus animis proferimus, quo majori existimatione valent apud omnes nostrorum Philologorum doctrinæ, inter quos nemini secundus eminet Vir Celeberrimus A. Letronne, cui libenter pro suo erga nos obsequenti studio maximas habemus et agimus gratias : quidquid enim lucis per ambiguæ rei caliginem spargitur, id hujus sagaci ingenio totum referri memores profitemur.

N. E. LEMAIRE.

TABULÆ OCTO

NUMMORUM, PONDERUM,

MENSURARUM,

APUD ROMANOS ET GRÆCOS.

Auctore A. LETRONNE,

ACAD. INSCR. SOCIO.

TABULA I.

ROMANA PONDERA GALLICIS PONDERIBUS RECENTIORIBUS EXPRESSA.

	Grammata			Kilogr. Grammata.
Scripulum	1. 136.	Dupondium	2 asses..	— 654. 374.
Sextula	4. 544.	Tressis	3 — ..	— 981. 561.
Sicilicus	6. 816.	Quadrussis	4 — ..	1. 308.
Duella	9. 88.	Quincussis	5 — ..	1. 636.
Semuncia	13. 633.	Sexcussis	6 — ..	1. 963.
Uncia	27. 265.	Septussis	7 — ..	2. 290.
Sescuncia 1 ½ unc	40. 898.	Octussis	8 — ..	2. 617.
Sextans 2 unc	54. 531.	Nonussis	9 — ..	2. 945.
Quadrans 3 —	81. 797.	Decussis	10 — ..	3. 272.
Triens 4 —	109. 62.	Vigessis	20 — ..	6. 544.
Quincunx 5 —	136. 328.	Trigessis	30 — ..	9. 815.
Semis 6 —	163. 593.		40 — ..	13. 87.
Septunx 7 —	190. 859.		50 — ..	16. 359.
Bes 8 —	218. 125.		60 — ..	19. 631.
Dodrans 9 —	245. 390.		70 — ..	22. 903.
Dextans 10 —	272. 656.		80 — ..	26. 175.
Deunx 11 —	299. 922.		90 — ..	29. 447.
AS, sive libra romana ...	327. 187.	Centussis	100 — ..	32. 718.

TABULA II.

ROMANI NUMMI IN FRANCOS EORUMQUE CENTESIMAS CONVERSI.

Sestertii.	Denarii.	Ab ann. U. C. 536 ad 720.		Augusto imperante.		Tib. - Claud. imperantibus.		Nerone imperante.		Galba-Domit. imperantibus.	
		Fr.	C.	Fr.	C.	Fr.	C.	Fr.	C.	Fr	C
4	1	«	82	«	79	«	78	«	73	«	70
8	2	1	64	1	59	1	56	1	47	1	41
12	3	2	46	2	38	2	34	2	20	2	12
16	4	3	27	3	18	3	12	2	94	2	83
20	5	4	9	3	97	3	89	3	67	3	55
24	6	4	91	4	77	4	67	4	41	4	24
28	7	5	75	5	66	5	45	5	14	4	95
32	8	6	55	6	36	6	23	5	88	5	66
36	9	7	36	7	15	7	1	6	62	6	36
40	10	8	19	7	97	7	79	7	35	7	8
44	11	9	2	8	74	8	57	8	8	7	78
48	12	9	84	9	54	9	34	8	82	8	48
52	13	10	70	10	33	10	12	9	55	9	18
56	14	11	46	11	32	10	90	10	28	9	90
60	15	12	28	12	11	11	68	11	1	10	60
64	16	13	10	12	72	12	46	11	76	11	32
68	17	13	92	13	51	13	24	12	49	12	2
72	18	14	72	14	30	14	8	13.	24	12	72
76	19	15	54	15	9	14	80	13	97	13	42
80	20	16	38	15	90	15	58	14	70	14	14
100	25	20	45	19	88	19	48	18	38	17	79
120	30	24	56	23	85	23	38	22	5	21	22
160.	40	32	75	31	80	31	17	29	41	28	31
200	50	40	91	39	76	38	96	36	76	35	58
240	60	49	13	47	71	46	76	44	14	42	46
280	70	57	32	55	66	54	54	51	46	49	54
320	80	61	38	59	61	58	44	55	14	53	37
360	90	65	51	63	61	62	34	58	82	56	62
400	100	73	70	71	56	70	14	66	17	63	70

Monendi sunt lectores, nummorum pondus post Augusti tempora paulatim imminutum fuisse, ut constat ex denariorum et aureorum pondere qui Cæsarum effigiem præ se ferunt. Etenim inveni medium denarii pondus, granis gallicis expressum, imperante Augusto, 71, 2; Tiberio, 69, 8; Caio Cæsare, 70, 4; Claudio, 69, 25; Nerone, 65, 83; Galba, 63, 8; Othone, 62, 8; Vitellio, 63, 4; Vespasiano, 45; 63, Tito, 63, 1; Domitiano, 63, 8. Sumens igitur unam marcam (selibram, = 4608 gran = 244 gramm. 753) gallicam argenti puri, 53 fr. 60 cent. efficere; positaque argenti in denariis integritate = 0, 96, hanc tabulam præfixi, pro sestertiis et denariis ad monetam gallicam reducendis.

Quod ad aurei pretium attinet, quum hic nummus semper viginti quinque denarios valuerit, supervacuum duxi, ad ejus pretium in nostram pecuniam convertendum, singularem tabulam construere.

TABULA III.

PONDERA ET NUMMI ATHENIENSIUM IN MENSURAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSI.

DRACHMÆ.	MINÆ.	TALENTA.	PONDUS.			PRETIUM.	
				Grammata.		Franc.	Cent.
1	.....	....	...	4	36	«	92
2	.....	....	...	8	72	1	83
3	.....	....	...	13	08	2	75
4	.....	....	...	17	45	3	66
5	.....	....	...	21	81	4	58
6	.....	....	...	26	17	5	50
7	.....	....	...	30	53	6	41
8	.....	....	...	34	90	7	33
9	.....	....	...	39	26	8	25
10	.....	....	...	43	62	9	16
aureus 20	.....	....	...	87	25	18	33
30	.....	....	...	130	87	27	49
40	.....	....	...	174	50	36	66
50	.....	....	...	218	12	45	83
60	.....	....	...	261	75	55	«
70	.....	....	...	305	37	64	16
80	.....	....	...	349	10	73	33
90	.....	....	...	392	62	82	50
100	1	....	...	436	25	91	66
200	2	....	Kil	872	50	183	33
3ou	3	....	1	308		274	90
400	4	....	1	745		366	66
500	5	....	2	181		458	33
600	6	....	2	617		550	«
700	7	....	3	054		641	66
800	8	....	3	491		733	33
900	9	....	3	926		825	«
1,000	10	....	4	362		916	66
2,000	20	....	8	723		1,833	33
3,000	30	....	13	087		2,749	«
4,000	40	....	17	45		3,666	66
5,000	50	....	21	812		4,583	33
6,000	60	1	26	175		5,500	«
12,000	120	2	52	350		11,000	«
18,000	180	3	78	525		16,500	«
24,000	240	4	104	700		22,000	«
30,000	300	5	130	875		27,500	«
36,000	360	6	157	50		33,000	«
42,000	420	7	183	225		38,500	«
48,000	480	8	209	4		44,000	«
54,000	540	9	235	575		49,500	«
60,000	600	10	261	75		55,000	«

TABULA IV.

MENSURÆ ROMANÆ INTERVALLORUM IN GALLICAS MENSURAS RECENTIORES CONVERSÆ.

Uncia.	Palmus	Pes	Cubitus	Passus	Decempeda*	Actus	Milliarium	Kil.	Met.	Millim.
1										
3	1									
12	4	1							0	295
18	6	$1\frac{1}{2}$	1						0	442
60	20	5	$3\frac{1}{3}$	1					1	475
120	40	10	$6\frac{2}{3}$	2	1				2	950
1,441	480	120	80	24	12	1			354	
60,000	20,000	5,000	$3,333\frac{1}{3}$	1,000	500	$41\frac{2}{3}$	1	1	475	
							2	2	950	
							3	4	425	
							4	5	900	
							5	7	375	
							6	8	850	
							7	10	325	
							8	11	790	
							9	13	275	
							10	14	750	

Mensuras intervallorum ac superficierum Romanis usitatas, in duas tabulas distributurus, singulas rationes ad mediam pedis romani magnitudinem exegi, qualem, consultis omnibus fere monumentis, fuisse constat.

* Qua mensura in areis quadratis dimetiendis Romani utebantur.

TABULA V.

SUPERFICIERUM ROMANÆ MENSURÆ IN MENSURAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSÆ.

Pedes rom. quadrati.	Scripulum sive decemp. quadrata.								Hectar.	Ar.	Metr.
100	1	Clima sive duella						....			8
3,600	36	1	Actus sive semis					....		3	8
14,400	144	4	1	Jugerum				....		12	34
28,800	188	8	2	1	Heredium			....		24	68
57,600	576	16	4	2	1	Centuria		....		49	36
				4	2	......	Saltus	....		98	72
				6	3	......	......	....	1	48	8
				8	4	......	......	....	1	97	44
				10	5	......	......	....	2	46	80
				12	6	......	......	....	2	96	16
				14	7	......	......	....	3	45	52
				16	8	......	......	....	3	94	88
				18	9	......	......	....	4	44	24
				20	10	......	......	....	4	93	60
				200	100	1	......	....	49	36	
				800	400	4	1	....	197	44	

Unitas quadratorum erat *jugerum*, in quo partiendo recurrit distributio assis in uncias et unciarum partes. Jugerum, 240 pedes longum, 120 latum, continebat 28,800 pedes quadratos.

TABULA VI.

INTERVALLORUM MENSURÆ ATTICÆ IN MENSURAS GALLICAS RECENTIORES CONVERSÆ.

Digitus.							Kilom.	Metr.	Millim.
1	Palmus								19
4	1	Pes							77
16	4	1	Cubitus						307
24	6	$1\frac{1}{2}$	1	Orgyia					461
96	24	6	4	1	Plethrum			1	843
1,600	400	100	$66\frac{2}{3}$	$16\frac{2}{3}$	1	Stadium		30	729
9,600	2,400	600	400	100	6	1		184	375
						2		368	750
						3		553	125
						4		737	500
						5		921	875
						6	1	106	250
						7	1	290	625
					Milliarium romanum.	8	1	475	
						9	1	660	
						10	1	844	

Pedis ratio apud Græcos et Romanos ponitur a scriptoribus antiquis : : 25 : 24. Sumpto igitur romano pede = 0^m 295, pes græcus erit = 0^m 30729.

TABULA VII.

MENSURÆ CAVÆ ROMANORUM MENSURIS GALLICIS RECENTIORIBUS EXPRESSÆ.

Ligula.													Hectol.	Litr.	Decil.	Centil.
1	Cyathus														1	14
4	1	Acetabulum													4	58
6	1½	1	Quartarius												6	87
12	3	2	1	Hemina										1	3	75
24	6	4	2	1	Sextarius									2	7	5
48	12	8	4	2	1	Congius								5	5	
288	72	48	24	12	6	1	Semodios						3	3		
384	96	64	32	16	8	1⅓	1	Modius					4	4		
768	192	128	64	32	16	2⅔	2	1	Urna				8	8		
1,152	288	192	96	48	24	4	3	1½	1	Amphora			13	2		
2,304	578	384	192	96	48	8	6	3	2	1	Culeus		26	3	9	9
46,080	11,520	7,680	3,840	1,920	960	160	120	60	40	10	...	2	64			
										20	1	5	28			
										30	...	7	92			
										40	2	10	56			
										50	...	13	20			
										60	3	15	84			
										70	...	18	8			
										80	4	21	12			
										90	...	23	76			
										100	5	26	39	9	5	

Uoitas mensurarum cavarum apud Romaoos erat amphora, quam antea *Quadrantal* vocabant, ut quæ cubum quovis latere pedalem repleret. Ejus pondus, teste Festo, octoginta libris vini æquale erat; quod efficit, (posita vioi gravitate = c,9915) 26lit 3995.

TABULA VIII.

MENSURÆ CAVÆ ATHENIENSIUM MENSURIS GALLICIS RECENTIORIBUS EXPRESSÆ.

Κοτύλη										Hectol	Lit.	Decil	Centil.
1	Ξέστης								....			2	75
2	1	Χοῖνιξ							....			5	5
4	2	1	Χοῦς						....		1	1	
12	6	3	1	Ἡμίεκτον					....		3	2	9
16	8	4	$1\frac{1}{3}$	1	Ἑκτεύς				....		4	4	
32	16	8	$2\frac{2}{3}$	2	1	Ἀμφορεύς			....		8	8	
96	48	24	8	6	3	1	Μετρητής		....		26	4	
144	72	36	12	9	$4\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{2}$	1	Μέδιμνος	....		39	6	
288	96	48	16	12	6	2	$1\frac{1}{3}$	1	....		52	8	
					12	4	$2\frac{2}{3}$	2	....	1	5	6	
					18	6	4	3	....	1	58	4	
					24	8	$5\frac{1}{3}$	4	....	2	11	2	
					30	10	$6\frac{2}{3}$	5	....	2	64		
					36	12	8	6	....	3	16	8	
					42	14	$9\frac{1}{3}$	7	....	3	69	6	
					48	16	$10\frac{2}{3}$	8	....	4	22	4	
					54	18	12	9	....	4	75	2	
					60	20	$13\frac{1}{3}$	10	....	5	28		

Mensurarum cavarum norma apud Græcos erat μέδιμνος, frumento metiendo maxime destinatus. Medimnum vero Atticum sex modios Romanos continuisse, liquido constat ex scriptorum veterum testimoniis :

Ἀμφορεὺς igitur amphoram æquabat.
Ἑκτεὺς, modium —
Χοῦς, congium —
Χοῖνιξ, semisextarium —
Ξέστης, sextarium —
Κοτύλη, heminam. — Cf. Tab. VII.

JO. FREDERICI GRONOVII

PRÆFATIO

AD LECTOREM BENEVOLUM.

Si opus esset, amice lector, non gravarer tibi longam de T. Livio fabulam serere; suppetit enim materia : sed tantum dictum est, ut quædam non esse dicta præstaret; et illorum aliunde gnarus in hoc certe schedio alia lectione mavis avocari. Hoc igitur exspectas potius, ut, qua fiducia sim aggressus rem minime vulgaris animi, quam me ausurum, ut sic dicam, ante tubas, et priusquam poscerer, ne ipse quidem credidi, ut perpetuis notis historiæ Romanæ principem emendatiorem reddere conarer, hic in limine edisseram.

Ubi primum illud relictum a prioribus occupabo, ut grata commemoratione doctorum hominum, quos curæ aliquid huic scriptori vitæ restituendo post literas renatas impertisse accepi, præsertim antiquiorum, et ipsorum pariter Manes et futurorum studia demerear. Illorum enim plerorumque intermortuam laudem renovavero : ex his, qui post nos eamdem provinciam subituri sunt, adminiculum habebunt, quod mihi (si fuisset a principio, et sollicitudine diu me vexante liber fuissem, et multis partibus meliorem tibi statim auctorem dedissem. Neque enim tantum mihi tribuo, eaque malignitate et in majores et in minores feror, fortuitis subjectus, et an audeam insonare illud, δότε κρότον, ambiguus, ut vel istorum Hieronicarum palmas et coronas olim certas abolere aut conterere desiderem, vel neminem posthac in eodem stadio exerceri velim : qui mos est quorumdam, ut velut desponsos sibi, usu, coemptione, farre, in manum

convenisse Veteres, quos recensendos susceperunt, haberi postulent; aut quasi ab censoribus ea lege publicum conduxissent, ne id præterea cuiquam agitare fas sit, alios ut inde omnes arceant, tentantibus opus novum nuntient, æmulamque industriam contumeliam suam interpretentur.

Prima igitur, uti debebat, præconem suum in lucem reduxit urbs domina, adspirantibus, ut ornatiorem reduceret, disertis duobus et gravibus viris, Johanne Andrea Aleriensi, et Johanne Antonio Campano Interamniensi, Episcopis. Quos bene guaros, quantum interesset ad historiæ fidem et apparatum, ad temporum notitiam, ad linguæ Latinæ omnisque eloquentiæ nitorem et copiam, ad prudentiam ac civilia et mores, hoc opus, sed quam purgatissimum, in manibus haberi, ambos eodem tempore quidam movit sacer instinctus, et incessit cupido tam utilem operam simul studiis præstandi, et personis ac dignitatibus suis ad posteros commendandi.

Occupavit tamen, ni fallor, Andreas sub Paulo Secundo Pontifice Maximo, manibus, ex ea natione, quæ librorum typis et prælis describendorum nobilem et saluberrimam invenit artem, Conradi Sweinheimi et Arnoldi Panartii. Duo ejus editionis penes me sunt exempla, alterum dono Casp. Gevartii, cui deest frons et bellum Punicum secundum; alterum Bern. Rottendorfii, quod titulo pariter et Epitomis usque ad XXVII caret. Annus appositus non est : sed MCCCCLXXI eam antevertisse argumento est, quod hoc anno Paulus, cui dicatur, mortalitatem explevit. A Vendelino (hic est, puto, qui se Sweinheimum in calce voluminis appellat : ut solent Itali Germanica vocabula invertere) ex Victorini Feltrensis exemplari redditam fuisse anno MCCCCLXX testatur Franciscus Robortellus in Convenientia Livianæ supputationis cum marmoribus Capitolinis, et in Emendationibus. Hunc enim Victorinum Feltrensem præfatur Aleriensis, principem omnium Patavii, et mox Venetiis privatim, inde Mantuam Jo. Francisci Marchionis, ut libe-

rorum ejus disciplinam susciperet, liberalitate traductum, T. Livii annales publico auditorio, cum ingenti hominum admiratione ac fama, commisisse. Quin etiam post multa de illo honorifica, quicquid auctore in tanto profecerit, præceptori, altori, parenti Victorino, magnanima et grata pietate acceptum refert.

Hunc brevi intervallo sequutus est Interamniensis Præsul: cujus curam adhuc videre non potui; sed in Regiæ, quæ Parisiis est, bibliothecæ indice scriptum legi : « Titi Livii « Historiarum decas ex emendatione Antonii Campani : ad- « jecta sunt omnium librorum epitomata (ut tum loque- « bantur) fol. Romæ MCCCCLXXI : et tertia et quarta decas : « ibidem MCCCCLXXII ». Exstant Opera ejus a Mich. Ferno collecta et Venetiis in vulgus data : in his nuncupatio hujus lucubrationis ad Jacobum Amanatum Lucensem Cardinalem Papiensem ; unde digna visa sunt hæc, quæ exsignarem : « Genus est in eo scribendi proprium et suum, et idipsum « splendidum atque magnificum, et tanquam ad spectaculum « quoddam magnitudinis sublime et elevatum, ac per omnes « circumductum amplitudinis gyros : ita ut eruditorum ocu- « los late extendere atque extollere in altum possit, imperitis « caliginem afferat. Inde librariorum coorti errores, dum, « quod ipsi non capiunt, nimium esse, aut, quod non cer- « nunt, obscurum, aut, quod est inversum studio auctoris, « depravatum putant; et de librariis emendatores facti, ubi « plus adhibent judicii, ibi minus intelligunt. Horum igitur « depravationes, quas tanta diuturnitate temporis tantaque « barbarie necesse fuit esse quamplurimas, multis fretus « exemplaribus corrigere aggressus, feci, quod tu jussisti; « etiam feci, quam potui, diligenter, ut huic novæ miræque « industriæ impressorum ipse quoque pro virili auxiliarer ». Deinde : « Quod ad me attinuit, nusquam curiosus interpres « aut divinator, nihil præter meum laborem et diligentiam « attuli : quæ utinam tanta fuerit, ut librariorum tollendis « erroribus satisfecerit! Certe in hoc fuit maxima, ut Livii

« majestatem affectatione ingenii nusquam minuerem ».

Andreæ velut præscriptum una cum præfatione expresserunt (ita tamen, ut identidem ab eo recesserint) Mediolanensis, artem et impensas laudans Philippi Lavagniæ MCCCCLXXVIII : Tarvisina utraque, referens has decades a Luca Porro diligentissime recensitas, prælo suppositas fuisse a Jo. Vercellensi MCCCCLXXXII; et iterum quinto; quæ duæ sunt editiones diversæ per omnia, non, ut nunc interdum illudunt, primum modo folium cum anno habent mutatum: duæque Venetæ, quæ per Bartholomæum de Zanis a Portesio summa industria se conditam cantat MCCCCXCVIII, et quæ per Georgium de Rusconibus Mediolanensem MDI.

Non multo serior, si non antiquior quibusdam, est Bechariana, charta ἐκταπτύχῳ, (et primam ea forma contractam hanc censeo, nec vidi, nisi quod habeo ejus specimen a Tobia Andreæ donatum) dissimulato loco et tempore, unam præferens utrinsque notam, Augustini Becharii sacerdotis ad studiosos alloquium, quod testimonio Quintiliani, Hieronymique ac Plinii narratiuncula de Gaditano Patavinum visente constat. Ab eodem Bechario Justinum M. Antonio Coccio Sabellico recognitum prodiisse testatur Matt. Berneggerus. Proxima mihi oblata est, quam Lutetiæ MDXIII emisit Jodocus Badius Ascensius: is lectorem monet superiore conatu ante biennium operas suas deceptas codice, qui M. Sabellicum exactorem prædicaret, plusculas mendas non exemisse: quo serius comperto se curasse reliquias Livianas cum decem diversæ monetæ aut scripturæ exemplaribus conferri a Gerhardo Vercellensi Burgundo. Atque hæ omnes libro tertio et trigesimo magnaque parte quadragesimi, finitæ scilicet in his verbis cap. 37, *per omnia fora conciliabulaque edixerunt*, destituuntur: ego autem cunctis, præter Campanicam et priorem Tarvisinam, ut inciderat, quod, quemadmodum aliquando lectum esset, noscere animus ferret, usus sum. Præter has video laudari a Robortello Melchiori Suessæ elaboratam, et ab aliis, Antonio Zarotho ex recen-

sione Petri Justini Philelphi impensis Jo. Legnani Mediolani MCCCCLXXX confectam : sed hæ, et complures, opinor, aliæ oculos meos fugerunt.

Anno proximi sæculi octavo decimo provenit Magontiacensis apud Jo. Schefferum Jo. Fausti nepotem : hæc addidit ex membranis bibliothecæ in æde ibidem maxima et metropolitana, D. Martini appellata, partem libri tertii et trigesimi a capitis 17, his verbis : *Arctis faucibus Acarnaniæ cohærens*, (etsi legatur illic : *iis partibus cohærens*) et quod deerat libro quadragesimo usque ad finem. Ulrichus Huttenus ad Albertum Brandeburgensem Cardinalem et Episcopum Moguntinum, Erasmus Roterodamus ad Misobarbaros atque eosdem Philomusos præfixis epistolis eam honestarunt. Nicol. Carbachius et Wolfg. Augustus (quos imprimendis illic loci libris eamdem operam præstare, quam post Aldum Venetiis Egnatium, Romæ doctos quosdam, Basileæ Beatum et Amorbachios, Argentinæ Gerbellium ait Huttenus) corrigendo præfuerunt : et quia in eodem volumine Langobardicis literis scripto ultimi quoque septem libri de bello Macedonico reperiebantur, hoc negotio ipsis a Scheffero dato, eos cum vulgatis contulerunt. Eæ lectiones variæ, paucis in contextum admissis, postremas operis paginas faciunt.

Circa idem tempus Aldina minoris formæ incudi cœpta est tradi : curam ejus habuit Franciscus Asulanus, et quamplurima optima et antiqua et manuscripta exemplaria e bibliothecarum latebris collegisse, atque ex omnibus hoc tandem lucidum atque ab omni parte integrum conflavisse sese in præfatione tertii tomi ad Jo. Baptistam Turrianum profitetur. Primus est absolutus mense Decembri MDXVIII, alter mense Februario MDXIX, tertius cum augmento Magontiacensi mense Novembri MDXX : et in septem, quos dixi, libris Asulanus ubique fere istius codicis (utique aliis præferendi, etsi nonnulla illi melius, et delectu opus fuerit) lectiones recepit. Hujus auctoritatem sequutæ vulgares, quæ nunc habentur, tantopere in ea parte ab superioribus dissentiunt :

in quo, priusquam ipsum Schefferi experimentum casus in auctione quadam ad me detulit, diu anxius et sollicitus pependi.

Florentiæ hæredes Philippi Juntæ MDXXII per Aldina vestigia incesserunt, præposito etiam carmine in laudem Asulani. Successit anno MDXXVIII Eucharii Cervicorni Coloniæ, ut puto, instituta. Multa ille ad lectorem gloriatur et imputat fiduciæ plena, quæ tamen in contrarium vertisse valde suspiceris, si verba consideres. Ait enim « integrum « sanumque hic haberi, qui multis verborum sententiarum- « que vulneribus discerptus olim elanguerit; lenem et niti- « dum, qui nuper fœdis emplastris olidisque malagmatis « margini impactis horridus, deformis, et obvolutus visus « sit. Nam ubi lectio forte variaverit, et inter exemplaria non « convenerit, ea delegisse se, Idque judicio doctorum homi- « num, quæ auctoris genuinæ phrasi viciniora fuerint visa, « et sententiarum verborumque commissuræ magis adfinia: « ne scilicet imbecilliora ingenia et variæ lectioni non adsueta « inter tot ambages hallucinarentur, fraudarenturque dulci « intelligentiæ fructu, et ne quis lectionem Livianam aggres- « sus, et mox inter tot opinionum scopulos et diversæ lectionis « syrtes adhærens, velut angue conspecto, παλίνορσος ἀφιστῇ. » Hæc tam magnifica dicta utrum factis æquaverit, necne, ignoro: nam ipsius examinandæ nobis otium non fuit, et tantum quod his inde descriptis, oculis ablata est. Badianam, opinor, criminatur fœdis emplastris olidisque malagmatis oblitam: cujus in ora video asteriscis signata dubiæ scripturæ loca, et nonnunquam eorum emendationem tentatam; sed hæc potius laudanda et industria, et modestia erat. Itaque nihil hac insultatione deterritus, anno sequenti Lutetiæ ex officina Nicol. Saveterii Livium emisit Andreas Levescatius, sane cum eo quod Magontiaci accesserat, nec usquequaque adhærens per Badium in ipsum corpus receptis: de marginibus tamen easdem notas, tanquam haud inutiles, repetivit.

Annus delapsi sæculi primus et trigesimus novo rursum nos proventu beavit: tum enim in Helvetiis Simon Grynæus ultimos quinque libros, repertos in membranis apud Monasterium Laurissenum, vulgo Lorissense, e regione Borbetomagi trans Rhenum, per Jo. Frobenium, publice exhibuit. Dignatus est hanc quoque prologo Desiderius ad Car. Montjoium: et scribit archetypon fuisse admirandæ vetustatis, prisco more literarum perpetua serie ita depictum, ut difficillimum foret verbum a verbo dirimere, nisi docto, et attento, et in hoc ipsum exercitato: unde non parum negotii fuisse in parando exemplari, quod operis utendum traderetur: nec minore cura quam fide advigilatum esse, ne usquam in describendo ab archetypo recederetur. Adjecta est Henrici Glareani Chronologia. Hæredes Aldi Manutii et Andreæ Asulani biennio post ex hac tribus prioribus quartum tomum addiderunt.

Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii quando apparuisset sociatus labor, quum dubitarem, Conr. Gesneri Bibliothecam consului: etsi citra illos, quos recensui, tanquam remotiores, aciem intentionis abruptam habuisset, hos tamen obvios, tum utique, ac propinquiores subtilius persequutam ratus. At illa me a primo magis implicuit: nam sub Beati nomine, annotationes utriusque in exstantes Livi libros Lugduni seorsum narrat exiisse anno MDXLII; sub Sigismundi, Basileæ cum ipso Livio, et seorsum Lugduni MDXLI: quum interim Glareanus suas Carolo V Imperatori inscriberet MDXL, et ibidem laudaret Frobenianam editionem opera et diligentia Rhenani et Gelenii fultam. Recurro ad ea, quæ sub Titi Livii nomine prius lecta parum satisfecerant: et ibi invenio Decades tres cum dimidiata una, cum emendationibus et annotationibus doctorum quorumdam virorum prolatas a Frobenio MDXXXV. Hanc igitur esse decrevi, quam quærebam: et nunc ipsum, dum hæc scribo, in auctione volumen nactus, præter exspectationem video.

Erasmus hic quoque in limine alloquitur Montjoium, et

Gelenius Franciscum Delphum, ab Rhenano in consortium hujus provinciæ se ultro adscitum testatus. Decimo libro subjectum quod in scriptis nonnullis habetur: « Nicomachus « Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Cle-« mentiani. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symma-« chis ». Hos excepit Glareanus, quo dixi, primum anno. Quid autem de his senserit P. Victorius, prodit ad quartum Rhetoricorum ad Herennium, scribens: « Germani autem « nuper eum locum restituerunt, qui T. Livii libros, quos « temporis vetustas et hominum incuria non absumpsit, « summa cura et diligentia emendatos ediderunt ». Anno MDLIV Sebastianus Gryphius charta δωδεκαπτύχῳ et minuto charactere primus arctavit Livium, præposita Erasmi tantum ad Montjoium epistola, nihil ipse pollicitus: deprehendimus tamen quædam novasse. Insequente MDLV Cœlius Secundus Curio Hervagianæ auxilium præstitit, et super istorum, Vallæque Laurentii, et Sabellici Coccii mixtas animadversiones, sese ad ducentos emendasse locos et pristino nitori restituisse testatur. Eodemque ipso Paulus Manutius auctorem nostrum ab Car. Sigonio omnem serio castigatum, cum ejusdem locupletibus scholiis, etiam in Epitomas amissorum librorum, quas priores neglexerant, et nova Chronologia, publicavit. Quo plausu exceptum, dicat Adr. Turnebus XI Adversariorum: « Erroribus Livii exhauriendis bonam « fidelemque navavit operam vir eruditissimus Carolus Sigo-« nius: quem ego et antiquitatis peritissimum, et bonorum « scriptorum intelligentissimum, et eruditissimum nominare « meritissimo possum: ut, si quid reliquum sit in Livio, « perexiguum videri debeat, in quo levi parvaque opera alii « defungantur ».

Scholia sequenti anno et Chronologiam octuplicata charta, tomo singulari dedit habenda Basileæ Nic. Episcopius. Paulus repetivit suam anno MDLXVI: in qua plus detraxit scholiis quam addidit Sigonius: eaque sic retractata, interpositis, quæ aut objectaverat Robortellus, aut suorum excusaverat

Glareanus, in Francofurtensem MDLXXXVIII transtulit Fr. Modius. Tertiam cum solis Sigonianis suppeditavit Aldus nepos MDXCII: cui accessere Car. Sigonii Livianorum scholiorum aliquot defensiones adversus Glareanum et Robortellum.

Jani Gruteri tribus nomen est editionibus volentis præpositum Francofurti, bis octuplici, dein duplici charta; indignissime postremæ, quæ per absentiam auctoris et excessum, (cui primis præfationis verbis mirificum omen dederat) per operarum incuriam et correctoris impudentiam mendis scatet.

Anno MDCXV Bambergæ Hectore Cotzavio Imperialis Ecclesiæ Decano bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, Jo. Horrion societatis Jesu sacerdos, dum singulos codices excutit, in membranas incidit, quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem XXXIII adhuc desideratam servabant. Unde exemplum factum Fran. Bartolino Urbinati non invidit: atque is id Venetiis cum Ant. Quærengi notulis, multo correctius ipse inventor Paderbornæ MDCXVII protulit; tacito ille quidem per modestiam nomine; sed illud me docuit, qui etiam rarissimi et ad eum diem incogniti mihi libelli copiam fecit, Bern. Rottendorfius.

Scio fuisse viros doctissimos, qui de hujus fragmenti veritate dubitaverint: sed hi passi sunt aliquid humanum, et quale modo ridebam in Fr. Asulano, qui in limine primi tomi Aldinæ, accusatis typographis Florentinis, queritur aliud genus sceleris commisisse Basileenses: historiam enim quamdam rerum Romanarum sub nomine Paterculi edidisse, in quo nihil fere Latinum legatur, quod Augusti tempora redoleat, quibus eum floruisse velint. Nimirum in similibus deprehensa fraus efficit, ut nondum bene perpensis etiam veris boni diffidant. Hæ maxime conspectæ editiones, hæc incrementa, hi vindices sunt partis T. Livii, quæ Libitinam vitavit: quorum in honorata turba, si vel imo loco me

adhæsisse feret posteritas, est cur me laboris exhausti; de quo ne summis quidem facile concesserim, minime pœniteat. Quod autem persæpe opinionibus illorum non subscribo, cave obtrectationis id factum invidia suspiceris. Ego vero et præclaros fuisse viros omnes, et egregie animatos optimeque de Livio meritos lubens confiteor. Scio etiam nemini hæc studia curiosius tractanti tam præsentem semper animum fuisse, ut nusquam impingeret : mihique nihilo majorem felicitatem spondeo : nec, si quid in quemquam acrius dixisse videbor non tam in illos dictum dolentibus, quam ne in se idem majori jure dicatur verentibus, id quominus ipse similiter deprehensus patiar, intercedo. Nam qui levia nonnunquam consectatum judicabunt, illud cogitent, non omnibus idem, quod ipsis, leve censeri : neque ullum tam leve erratum hominibus tantæ existimationis excidere, ut non trahat imprudentes multos, nisi commonefiant : tum non se plus sapere Patriarcha Aquileiensi Hermolao Barbaro, qui negat *in Plinio damnandos esse* (sic loquitur modeste : vult autem dicere, eos demum justa industria perfungi) *qui ne syllabam quidem pati possint male collocatam.*

Cæterum ut, quæ meis orsis præterea fuerint auctoritates, ne ignores, fidemque meam explorare, si libeat, possis, primos decem libros de meo oleo et sedulo contendi cum scriptis Isaaci Vossii duobus, B. Rottendorfii, Gudiano, Thuaneo singulis, quorum Gudianus ab initio tres fere libros et particulam quarti, Thuaneus cum sexto reliquos integros continebant. Obiter et vellicatim consului de quibusdam locis Oxoniensem Collegii novi, regium Lutetiæ, aliquot Florentinos. Excerptas varietates optimi omnium partis hujus Florentini, partim Lucas Langermannus, consobrinus meus, (qui et Helmæstadiensis) partim Marquardus Gudius subministrarunt : Buslidiani et Chifletiani Albertus Rubenius : trium quondam Palatinorum codicum fide Jani Gebhardi Suffridus Sixtinus. Puteani quoque fratres schedas parentis sui Claudii, in quibus ex Ful. Ursini et

Jac. Cujatii membranis paucula quædam properata erant, ultro ingesserunt. Ab iisdem in bello Punico secundo Cynosura nobis fuit liber, quo de Tito Livio nihil nec antiquius nec sanctius Europa custodit, majusculis literis, et planè qualibus clarus ille Florentinus ex Pisano Pandectes, exaratus. Hic solus largiorem bonarum rerum, quam quicquid est reliquorum, sese nobis præstitit: et inde judicium faciendum, quantum non in Livio tantum, sed in aliis quoque priscis auctoribus restituendum restet, si ad illud ævum pretiumque codices nanciscamur.

Etsi autem sollicita cura nullum apicem tam fidæ manus non persequutum esse me credebam, tamen, quia tantum in uno ad omnia momenti erat, diffisus oculis meis, à Cl. Salmasio, ut libri, in cujus marginem plerasque minoris ponderis varias, cum chartis, in quas insigniores emendationes retulerat, quum forte in colloquio ostendisset, copiam mihi faceret, haud gravatim impetravi. Alexander Petavius Pauli F. Claudio Sarravio parario duos, unum pervetustum et isti primigenio fideliter, ut plurimum, adhærentem, aut sic ab eo deflectentem, ut causa appareat, alterum etiam non malæ notæ; Ismael Bullialdus ex bibliotheca regia, Claudius Menardus Andibus suum singulos, non nimis quidem antiquos, sed tamen non spernendos, quia ex probatis translatos, præbuerunt: ex quibus tres solidos, meliorem Petavianum, quia serius nosse cœperam, aliquamdiu perpetuum, deinde illustrioribus locis, adhibui. Idem in compluribus Florentinis et Barberino, L. Holstenii apud Cardinalem Franciscum gratia, per temporis angustias mihi Romæ licuit. Accessere inter ipsum opus Vossianus et Gudii unus integer, alterius paucæ schedæ opifici, qui sorores earum jam corruperat, vix pretio subductæ. Per eumdem nonnullis e Florentinorum præcipuo in Addendis (1) hujus

(1) Quæ in prima editione ad calcem voluminis dederat Addenda J. Frid. Gronovius, ea in editione anni 1679 a filio ejus curata in ipsum commentarii corpus revocata, et suo quæque ordine collocata sunt.

tomi frueris. Belli Macedonici primi et Asiatici cum Antiocho exemplaria scripta ex Barberina, Gabrielis Naudæi, Petaviana, Vossiana, (hoc chartaceum, cætera omnia quorum memini, in membranis erant) singula accepi, et integra cum vulgatis relegi : Oxoniensis, Florentini, et Venetus cœnobii D. Antonii (cujus aditum Jac. Philippus Thomasinus mihi fecerat) aliquibus locis consulti servierunt : sed in nullo plus habebatur, quam in editis ante Magontiacensem fuisse diximus. Ex Buslidiano quoque ad utrumque posteriorem tomum communicavit quædam Rubenius. Quæ Muretus alia e veteribus libris notata, alia divinatione colligens, signis appositis, unde dignosci possent, ad Sigonianam primam conjecerat, ea Patrum societatis Jesu quæ Romæ est, voluminis dominorum, humanitati, et singulari officio Gudii debeo. Sed et Tanaq. Faber Salmurio miniatulis suis missis munus nostrum insigniter ornavit. Epitomas Barberinæ, Vossianæ, et binæ Gudii membranæ juverunt.

Hæc fuere cœptis meis præsidia : quæ dum conquiro, vides, amice lector, quæ vincula subire, quantum æris alieni, quam difficulter atque ægre expungendi, contrahere me oportuerit. Sed adeo me stimulat, fodicat, vellicat infinita quædam cupiditas literarum excolendarum, ut, unde T. Livii sinceritatem et dignitatem augeri, unde periculum hoc apparatius effici, et tuis studiis aliquid utilitatum afferri posse opinabar, nihil recusarim.

Quare etiam libens ac prolixo animo, quotquot hoc beneficio me obnoxium tenere viros honoribus, virtutibus, eruditione ac scriptis eminentissimis merito prædicavi, iis hic publice eo nomine laudes gratesque ago : et, si quid ex sententia cessit, non tam labori meo, qui utcunque gnavus, non tamen pari ingenio doctrinaque sustentatus fuit, quam illorum copiis et benignitati adscribendum profiteor.

Vale, et nostris Musis, dum frueris, fave.

TABULÆ
HISTORICÆ

TABULÆ
HISTORICÆ
AD
CATONIANAS RATIONES CONFECTÆ.

REGES ROMANORUM.

Ab U. C. 1. A. C. 751. Olymp. 7, 2. *Romulus.*

A. C. 753, et Olymp. 6, 4, ex Varronis rationibus. A. C. 752 Micha et Archontes decennales Athen. 746-722 Nabonassar et Hiskias. 741-721 bellum Messenium I. 737 Midas Gordii filius. 721 Hoseas et regni Israel. finis, Samaria a Salmanassare expugnata. 719 Candaulem Myrsilum interficit Gyges auctor gentis Mermnadum in Lydia, cui 680 Ardyes II successit. 741 Rhegium conditum, et 739 Naxus, 732 Syracusæ, Corcyra, Hybla; 730 Leontini, 729 Catana, 718 Sybaris.

U. C. 38. A. C. 714. Olymp. 16, 3. *Interregnum.*

U. C. 39. A. C. 713. Olymp. 16, 3. *Numa Pompilius.*

A. C. 712 Sanherib. 706 Sardanapal et Arbaces. 703 Dejoces. 700 Manasse et Zephania. 694 Glaucus Chius primus ferri glutinator. 686 Archilochus Parius, carminis iambici inventor. 683-668 bellum Messenium II, et Tyrteus. Rhœcus et Theodorus primi plastæ et statuarii? 681 sq. Archontes annui Athen. 680-631 Ardyes II. 678 sq. Esarhaddon. 671 sq. Psammetichus. 708 condita Croton, 705 Tarentum, 686 Gela, 682 Locri.

U. C. 82. A. C. 670. Olymp. 27, 3. *Tullus Hostilius.*

A. C. 663 condita Zancle, seu Messana, et 657 Byzantium. 662 Zaleucus, Charondas? Arion Methymnæus. 658-628 Cypselus, Corinthiorum tyrannide potitus, fugatis Demarato aliisque Bacchiadis. 650 Phraortes, Alcman, Lesches. 646 Pisander. 643 Josias. 642 Terpander poeta, qui lyram septichordam seu barbiton fecit. 640-560 septem sapientes Solon, Pittacus, Bias, Cleobulus, Thales, Periander, Chilon.

U. C. 114. A. C. 638. Olymp. 35, 3. *Ancus Marcius.*

A. C. 638-558 Solon. 634 Scythæ in Media. 631-619 Sadyattes. 630 sq. Battus Cyrenes conditor et Battiadæ. 629-554 Stesichorus. 628 sq. Cyaxares I; Periander, Cypselo patri succedens; Jeremias et Obadia. 623 sq. Dracon et Nabopalasar. 619-562 Alyattes II. 617 Necho.

U. C. 138. A. C. 614. Olymp. 41, 3. *L. Tarquinius Priscus.*

A. C. 614 sq. Nebucadnezar II. 610-542 Anaximander. 608 aut 560 sq. Xenophanes. 606 Pittacus, Alcæus, Sappho, Erinna. 600-530 (al. 588-518) exsilium Babyl. expugnatis a Nebucadnezare Hierosol. et regno Jud. deleto; Daniel, Ezechiel. 598 Cylon et Megacles. 598-530 Pherecydes Syrius, Pythagoræ magister et primus Græcorum scriptor prosaicus cum Cadmo Milesio et Acusilao Argivo. 598 condita Camarina, 597 Massilia, 580 Agrigentum. 594 Toxaris et Anacharsis; Zamolxis Geta? 593 Epimenides Cretensis Cylonium scelus expiat Athenis. 592 Solon Archon leges fert. 590-505 Pythagoras. 588-553 Astyages. Galli in Italiam transeunt. 584 sq. Xenophanes. 580 Dipœnus et Scyllis primi sculptores. 578 sq. prima Athenis comœdia a Susarione et Dolone Icariensibus acta.

U. C. 176. A. C. 576. Olymp. 51, 1. *Servius Tullius.*

A. C. 572 Æsopus. 570 Amasis. 569 Mimnermus. 562-

548 Crœsus et Phalaris. 560-528 Pisistratus. 560-475 Anacreon. 555-466 Simonides. 553-530 Cyrus. 550 Anaximenes et Cleostratus. 545 Theognis et Cadmus Milesius. 542 Xenophanes. 540 Hipponax poeta; Bupalus et Anthermus sculptores. 539 Thespis primus Athenis tragœdiam docuit Alcestin. 535 Phocylides.

U. C. 220. A. C. 532. Olymp. 62, 1. *L. Tarquinius Superbus.*

A. C. 532-522 Polycrates Samiorum tyrannus. 530-521 Cambyses; Milon Crotoniates. 528-510 Hipparchus et Hippias filii Pisistrati. 526 Psammenitus; et condita Dicæarchia, seu Puteoli. 525-456 Æschylus-Pratinas, Chœrilus. 521-486 Darius I. 521-435 Pindarus-Corinna; Haggei; Zacharias. 516 sq. Ageladas, sculptor. 510 Zoroaster Phrynichus; Isagoras et Clisthenes, auctor novæ formæ reip. Athen. libertatis ejecto Hippia restitutæ et ostracismi. 509 Sybaris a Crotoniatis diruta. 508 Parmenides et Heraclitus.

CONSULES ROMANORUM.

U. C. 245. A. C. 507. Olymp. 68, 2. (Liv. II, 1. Dionys. V, 1.)

L. Junius Brutus, L. Tarquinius Collatinus, P. Valerius Publicola, Sp. Lucretius Tricipitinus, M. Horatius Pulvillus. Fœdus I inter Romanos et Pœnos ictum.

U. C. 246. A. C. 506. Olymp. 68, 3. (Liv. II, 8. Dionys. V, 20.)

P. Valerius Publicola II, T. Lucretius Tricipitinus. Porsena, Horatius Cocles, Mucius Scævola, Clœlia. Scylax.

U. C. 247. A. C. 505. Olymp. 68, 4. (Liv. II, 15. Dionys. V, 21.)

P. Valerius Publicola III, *M. Horatius Pulvillus II*. Mors Pythagoræ. A. C. 505-477 Amyntas I.

U. C. 248. A. C. 504. Olymp. 69, 1. (Dionys. V, 35.)

Sp. Lartius Flavus, *T. Herminius Aquilinus*.

U. C. 249. A. C. 503. Olymp. 69, 2. (Liv. II, 16. Dionys. V, 36.)

M. Valerius, *P. Postumius Tubertus*. Bellum Sabinum.

U. C. 250. A. C. 502. Olymp. 69, 3. (Liv. II, 16. Dionys. V, 39.)

P. Valerius Publicola IV, *T. Lucretius Tricipitinus II*. Attus Clausus seu Ap. Claudius.

U. C. 251. A. C. 501. Olymp. 69, 4. (Liv. II, 16. Dionys. V, 43.)

P. Postumius Tubertus II, *Agrippa Menenius Lanatus*. Mors Valerii, et bellum cum Auruncis, Ionicumque cum Persis.

U. C. 252. A. C. 500. Olymp. 70, 1. (Liv. II, 17. Dionys. V, 48.)

Opiter Virginius Tricostus, *Sp. Cassius Viscellinus*. Pometia diruitur. A. C. 500-428 Anaxagoras; Zeno Eleates; Hanno (al. 570 et 1000).

U. C. 253. A. C. 499. Olymp. 70, 2. (Liv. II, 18. Dionys. V, 49.)

Postumus Cominius Auruncus, *T. Lartius Flavus*. T. Lartius primus dictator et Sp. Cassius mag. equitum.

U. C. 254. A. C. 498. Olymp. 70, 3. (Liv. II, 19. Dionys. V, 51.)

Ser. Sulpicius Camerinus, *M'. Tullius Longus*. A. C. 498-406 Sophocles.

U. C. 255. A. C. 497. Olymp. 70, 4. (Liv. II, 19. Dionys. V, 59.)

T. Æbutius Elva, *C. Vetusius Geminus*. Pugna cum Latinis ad Regillum lacum. Confucius.

U. C. 256. A. C. 496. Olymp. 71, 1. (Liv. II, 21. Dionys. V, 70.)

Q. Clœlius Siculus, *T. Lartius Flavus II.*

U. C. 257. A. C. 495. Olymp. 71, 2. (Liv. II, 21. Dionys. VI, 1.)

A. Sempronius Atratinus, *M. Minucius Augurinus*. Saturnalia instituta. Aristomedon, Chionides, Diyllus, Amyclæus, Stomius, Somis et Critias statuarii.

U. C. 258. A. C. 494. Olymp. 71, 3. (Liv. II, 21. Dionys. VI, 2.)

A. Postumius Albus Regillensis, *T. Virginius Tricostus*. Ocellus Lucanus? Theano? Phrynichus.

U. C. 259. A. C. 493. Olymp. 71, 4. (Liv. II, 21. Dionys. VI, 20.)

Ap. Claudius Sabinus Regillensis, *P. Servilius Priscus*. Mors Tarquinii, et seditiones plebis ob æs alienum.

U. C. 260. A. C. 492. Olymp. 72, 1. (Liv. II, 28. Dionys. VI, 31.)

A. Virginius Tricostus Cœlimontanus, *T. Vetusius Geminus Cicurinus*. Secessio plebis in Sacrum montem, et primi tribuni plebis. Hellanicus. A. C. 492-472 Anaxilaus Rheginorum tyrannus.

U. C. 261. A. C. 491. Olymp. 72, 2. (Liv. II, 33. Dionys. VI, 43.)

Sp. Cassius Viscellinus II, *Postumus Cominius Aurun-*

cus II. C. Marcii virtus et mors Menenii. Damophilus et Gorgasus plastæ et pictores Cereris ædem Romæ ad Circum max. exornant.

U. C. 262. A. C. 490. Olymp. 72, 3. (Liv. II, 34. Dionys. VII, 1, 59.)

T. Geganius Macerinus, P. Minucius Augurinus. Comitia tributa; et clades Darii I in pugna Marathonia.

U. C. 263. A. C. 489. Olymp. 72, 4. (Liv. II, 34. Dionys. VII, 19.)

M. Minucius Augurinus II, A. Sempronius Atratinus II. C. Marcius Coriolanus. Mors Miltiadis.

U. C. 264. A. C. 488. Olymp. 73, 1. (Dionys. VII, 63.)

Q. Sulpicius Camerinus, Sp. Lartius Flavus II. Empedocles.

U. C. 265. A. C. 487. Olymp. 73, 2. (Dionys. VIII, 1.)

C. Julius Iulus, P. Pinarius Rufus Mamercinus.

U. C. 266. A. C. 486. Olymp. 73, 3. (Liv. II, 39. Dionys. VIII, 16.)

Sp. Nautius Rutilus, Sex. Furius Fusus. A. C. 486-474 Xerxes I. Epicharmus.

U. C. 267. A. C. 485. Olymp. 73, 4. (Liv. II, 40. Dionys. VIII, 73.)

T. Sicinius Sabinus, C. Aquillius Tuscus.

U. C. 268. A. C. 484. Olymp. 74, 1. (Liv. II, 41. Dionys. VIII, 79.)

Sp. Cassius Viscellinus III, Proculus Virginius Tricostus Rutilus. Prima lex agraria. Polycletus Sicyonius, Myron et Pythagoras Rheginus statuarii. A. C. 484-432 Herodotus.

U. C. 269. A. C. 483. Olymp. 74, 2. (Liv. II, 41. Dionys. VIII, 79.)

Ser. Cornelius Maluginensis Cossus, Q. Fabius Vibulanus. Sp. Cassius damnatur.

U. C. 270. A. C. 482. Olymp. 74, 3. (Liv. II, 42. Dionys. VIII, 96.)

L. Æmilius Mamercinus, K. Fabius Vibulanus. A. C. 482-477 Gelon tyrannus Syracus.

U. C. 271. A. C. 481. Olymp. 74, 4. (Liv. II, 42. Dionys. VIII, 100.)

M. Fabius Vibulanus, L. Valerius Publicola Potitus. A. C. 481-393 Veiens bellum.

U. C. 272. A. C. 480. Olymp. 75, 1. (Liv. II, 43. Dionys. VIII, 105.)

Q. Fabius Vibulanus II, C. Julius Iulus II. Xerxes I victus ad Thermopylas, Artemisium et Salamin. Hegias et Onatas statuarius. A. C. 480 sq. Artabazes rex Ponti. 480-430 anni L florentium Græciæ rerum. 480-406 Euripides. 480-410 Antiphon.

U. C. 273. A. C. 479. Olymp. 75, 2. (Liv. II, 43. Dionys. IX, 1.)

K. Fabius Vibulanus II, Sp. Furius Fusus. Mardonius ad Platæas a Pausania et Aristide victus, classisque Persarum eodem die ad Mycalen.

U. C. 274. A. C. 478. Olymp. 75, 3. (Liv. II, 43. Dionys. IX, 5.)

M. Fabius Vibulanus II, Cn. Manlius Cincinnatus.

U. C. 275. A. C. 477. Olymp. 75, 4. (Liv. II, 48. Dionys. IX, 14.)

K. Fabius Vibulanus III, T. Virginius Tricostus Rutilus. A. C. 477-434 Alexander I.

U. C. 276. A. C. 476. Olymp. 76, 1. (Liv. II, 49. Dionys. IX, 19.)

L. Æmilius Mamercinus II, C. Servilius Structus Ahala, C. Cornelius Lentulus Esquilinus. Fabii CCCVI pereunt. A. C. 476-425 Hiero I.

U. C. 277. A. C. 475. Olymp. 76, 2. (Liv. II, 51. Dionys. IX, 23.)

C. Horatius Pulvillus, T. Menenius Lanatus.

U. C. 278. A. C. 474. Olymp. 76, 3. (Liv. II, 51. Dionys. IX, 31.)

A. Virginius Tricostus Rutilus, Sp. Servilius Structus. A. C. 474-424 Artaxerxes I Longimanus, Phidias, Mys.

U. C. 279. A. C. 473. Olymp. 76, 4. (Liv. II, 52.)

C. Nautius Rutilus, P. Valerius Publicola.

U. C. 280. A. C. 472. Olymp. 77, 1. (Liv. II, 54. Dionys. IX, 44.)

L. Furius Medullinus Fusus, A. Manlius Vulso. Hiero Etruscos, Cumanorum hostes, vincit.

U. C. 281. A. C. 471. Olymp. 77, 2. (Liv. II, 54. Dionys. IX, 45.)

L. Æmilius Mamercinus III, Vopiscus Julius Iulus aut *Opiter Virginius.*

U. C. 282. A. C. 470. Olymp. 77, 3. (Liv. II, 56. Dionys. IX, 48.)

L. Pinarius Rufus Mamercinus, P. Furius Fusus. Lex a Volerone Publilio lata; plebeii magistratus fiunt comitiis

tributis. A. C. 470-460 bellum Messenium III. 470-400 Socrates. 470-361 Democritus. 470-390 Thucydides. 470-449 Cimon floret. 470-430 Pericles.

U. C. 283. A. C. 469. Olymp. 77, 4. (Liv. II, 56. Dionys. IX, 53.)

Ap. Claudius Sabinus Regillensis, T. Quintius Barbatus Capitolinus.

U. C. 284. A. C. 468. Olymp. 78, 1. (Liv. II, 61. Dionys. IX, 61.)

L. Valerius Publicola Potitus II, T. Æmilius Mamercinus.

U. C. 285. A. C. 467. Olymp. 78, 2. (Liv. II, 63. Dionys. IX, 68.)

T. Numicius Priscus, A. Virginius Tricostus Cœlimontanus. Mors Aristidis. A. C. 467-394 Andocides.

U. C. 286. A. C. 466. Olymp. 78, 3. (Liv. II, 64. Dionys. IX, 70.)

T. Quintius Barbatus Capitol. II, Q. Servilius Priscus. Mors Themistoclis.

U. C. 287. A. C. 465. Olymp. 78, 4. (Liv. III, 1. Dionys. IX, 74.)

Ti. Æmilius Mamercinus II, Q. Fabius Vibulanus.

U. C. 288. A. C. 464. Olymp. 79, 1. (Liv. III, 2. Dionys. IX, 75.)

Sp. Postumius Albus Regill., Q. Servilius Priscus II. Thrasybulus tyrannus Syracusis ejicitur.

U. C. 289. A. C. 463. Olymp. 79, 2. (Liv. III, 2. Dionys. IX, 77.)

Q. Fabius Vibul. II, T. Quintius Barbatus Capit. III.

U. C. 290. A. C. 462. Olymp. 79, 3. (Liv. III, 4. Dionys. IX, 79.)

A. Postumius Albus Regill., Sp. Furius Medull. Fusus.

U. C. 291. A. C. 461. Olymp. 79, 4. (Liv. III, 6. Dionys. IX, 84.)

L. Æbutius Elva, P. Servilius Priscus.

U. C. 292. A. C. 460. Olymp. 80, 1. (Liv. III, 8. Dionys. IX, 86.)

L. Lucretius Tricipitinus, T. Veturius Geminus Cicurinus. A. C. 460-356 Hippocrates. 460-388 Aristophanes?

U. C. 293. A. C. 459. Olymp. 80, 2. (Liv. III, 10. Dionys. X, 1.)

P. Volumnius Amintinus Gallus, Ser. Sulpicius Camerinus.

U. C. 294. A. C. 458. Olymp. 80, 3. (Liv. III, 15, 19. Dionys. X, 19.)

C. Claudius Sabinus Regill., P. Valerius Public. II, et *L. Quintius Cincinnatus.* A. C. 458-378 Lysias.

U. C. 295. A. C. 457. Olymp. 80, 4. (Liv. III, 22. Dionys. X, 23.)

Q. Fabius Vibulanus III, L. Cornelius Maluginensis Cossus. Esra.

U. C. 296. A. C. 456. Olymp. 81, 1. (Liv. III, 25, 29. Dionys. X, 26.)

L. Minucius Augurinus, C. Nautius Rutilus, Q. Fabius Vibulanus.

U. C. 297. A. C. 455. Olymp. 81, 2. (Liv. III, 30. Dionys. X, 31.)

Q. Minucius Augurinus, C. Horatius Pulvillus II. Decem tribuni plebis. Jon. Melanippides. Ocellus Lucanus?

U. C. 298. A. C. 454. Olymp. 81, 3. (Liv. III, 31. Dionys. X, 37.)

M. Valerius Maximus, Sp. Virginius Tricostus Cœlimont.

U. C. 299. A. C. 453. Olymp. 81, 4, (Liv. III, 31. Dionys. X, 39.)

T. Romilius Rocus Vaticanus, C. Veturius Cicurinus.

U. C. 300. A. C. 452. Olymp. 82, 1. (Liv. III, 31, 65. Dionys. X, 55.)

Sp. Tarpeius Montanus Capitol., A. Aterius Fontinalis. Leges Græcorum arcessuntur. Cratinus et Plato poetæ; Euclides; Phædon; Menedemus.

U. C. 301. A. C. 451. Olymp. 82, 2. (Liv. III, 32. Dionys. X, 60.)

Sex. Quintilius Varus, P. Curiatius Tergeminus, Sp. Furius Fusus.

U. C. 302. A. C. 450. Olymp. 82, 3. (Liv. III, 32, 33. Dionys. X, 64.)

C. Menenius Lanatus, P. Sestius Capitol. Bacchylides. Praxilla poetria. Aristippus. Antisthenes. Cebes. Æschines philos. A. C. 450-360 Xenophon.

U. C. 303. A. C. 449. Olymp. 82, 4. (Liv. III, 33. Dionys. X, 66.)

Decemviri consulari potestate. Leges X tabularum. Pax a Cimone cum victis Persis composita, qua Græci in Asia min. ab horum potestate liberantur.

U. C. 304. A. C. 448. Olymp. 83, 1. (Liv. III, 35. Dionys. X, 67.)

Decemviri consul. pot. Leges XII tabularum. Panænus Phidiæ frater.

U. C. 305. A. C. 447. Olymp. 83, 2. (Liv. III, 38, 55, 70. Dionys. XI, 50.)

Decemviri cons. pot. et Consules *L. Valerius Publicola Potitus, M. Horatius Barbatus.* Leges Valeriæ Horatiæ. Ap. Claudius, L. Icilius, L. Virginius, Virginia. Secessio plebis in Aventinum et Sacrum montem.

U. C. 306. A. C. 446. Olymp. 83, 3. (Liv. III, 65. Dionys. XI, 56.)

Lar Herminius Aquilinus, T. Virginius Tricostus Cœlimontanus. Melissus Samius philos.

U. C. 307. A. C. 445. Olymp. 83, 4. (Liv. III, 65. Dionys. XI, 56.)

M. Geganius Macerinus, C. Julius Iulus. Nehemia.

U. C. 308. A. C. 444. Olymp. 84, 1. (Liv. III, 66.)

T. Quintius Barbatus Capitol. IV, Agrippa Furius Fusus.

U. C. 309. A. C. 443. Olymp. 84, 2. (Liv. IV, 1. Dionys. XI, 57.)

M. Genucius Augurinus, C. Curtius Philo. Lex a C. Canuleio de connubio Patrum et plebis lata, et a IX tribunis pl. de communicando cum plebe consulatu.

U. C. 310. A. C. 442. Olymp. 84, 3. (Liv. IV, 7. Dionys. XI, 66.)

Tribuni militum consulari potestate *A. Sempronius Atratinus, L. Atilius Longus, T. Cæcilius Siculus,* et Consules *L. Papirius Mugillanus, L. Sempronius Atratinus.*

U. C. 311. A. C. 441. Olymp. 84, 4. (Liv. IV, 8. Dionys. XI, 67.)

M. Geganius Macerinus II, T. Quintius Barbatus Capitol. V. Prioris anni consules primi Censores.

U. C. 312. A. C. 440. Olymp. 85, 1. (Liv. IV, 11.)

M. Fabius Vibulanus, Postumus Æbutius Elva Cornicen.

U. C. 313. A. C. 439. Olymp. 85, 2. (Liv. IV, 12.)

C. Furius Pacilus, M. Papirius Crassus.

U. C. 314. A. C. 438. Olymp. 85, 3. (Liv. IV, 12.)

Proculus Geganius Macerinus, M. Menenius Lanatus. Eupolis. Phrynichus?

U. C. 315. A. C. 437. Olymp. 85, 4. (Liv. IV, 13:)

T. Quintius Barbatus Capitol. VI, Agrippa Menenius Lanatus. L. Minucius præfectus annonæ, et Sp. Mælii largitiones suspectæ ac pœna.

U. C. 316. A. C. 436. Olymp. 86, 1. (Liv. IV, 16.)

III Tribuni mil. cons. pot. Malachia.

U. C. 317. A. C. 435. Olymp. 86. 2. (Liv. IV, 17.)

M. Geganius Macerinus III, L. Sergius Fidenas. Mam. Æmilius Dict. et L. Quintius Cincinnatus mag. equitum. Bellum adversus Fidenates et Veientes, quorum rex Lars Tolumnius legatos Rom. trucidari jusserat. A. Cornelius Cossus eo interfecto secunda fert spolia opima.

U. C. 318. A. C. 434. Olymp. 86, 3. (Liv. IV, 21.)

M. Cornelius Maluginensis, L. Papirius Crassus. A. C. 434-336 Isocrates. 434-413 Perdiccas II.

U. C. 319. A. C. 433. Olymp. 86, 4. (Liv. IV, 21.)

C. Julius Iulus II, L. Virginius Tricostus.

U. C. 320. A. C. 432. Olymp. 87, 1. (Liv. IV, 23.)

C. Julius Iulus III, L. Virginius Tricostus II. Mam. Æmilius dictator censuram facit annuam et semestrem.

U. C. 321. A. C. 431. Olymp. 87, 2. (Liv. IV, 25.)

III Tribuni mil. cons. pot. A. C. 431-404 bellum Peloponnesium.

U. C. 322. A. C. 430. Olymp. 87, 3. (Liv. IV, 25.)

III Tribuni mil. cons. pot. Meton astron. et Philonidas poeta.

U. C. 323. A. C. 429. Olymp. 87, 4. (Liv. IV, 26.)

T. Quintius Pennus Cincinnatus, C. Julius Mento. A. Postumius Tubertus Dict. (qui filium securi percussisse dicitur) et L. Julius mag. equitum. Bellum cum Æquis et Volscis. Egestanis in Sicilia Pœni auxilia mittunt adversus Selinuntios. A. C. 429-348 Plato. 429-357 Isæus.

U. C. 324. A. C. 428. Olymp. 88, 1. (Liv. IV, 30.)

L. Papirius Crassus, L. Julius Iulus. Polygnotus Thasius et Micon pictores.

U. C. 325. A. C. 427. Olymp. 88, 2. (Liv. IV, 30.)

L. Sergius Fidenas II, Hostus Lucretius Tricipit.

U. C. 326. A. C. 426. Olymp. 88, 3. (Liv. IV, 30.)

A. Cornelius Cossus, T. Quintius Pennus Cincin. II.

U. C. 327. A. C. 425. Olymp. 88, 4. (Liv. IV, 30.)

C. Servilius Structus Ahala, L. Papirius Mugill. II. Leontini in Sicilia adjuvantur classe Atheniens. adversus Syracusanos.

U. C. 328. A. C. 424. Olymp. 89, 1. (Liv. IV, 31.)

IV Tribuni mil. cons. pot. Gorgias. Antimachus. A. C. 424-403 Darius II Nothus.

U. C. 329. A. C. 423. Olymp. 89, 2. (Liv. IV, 35.)
IV Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 330. A. C. 422. Olymp. 89, 3. (Liv. IV, 35.)
IV Trib. mil. c. p. Damophilus et Neseas pictores.

U. C. 331. A. C. 421. Olymp. 89, 4. (Liv. IV, 37.)
C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Capua ab Samnitibus capta.

U. C. 332. A. C. 420. Olymp. 90, 1. (Liv. IV, 42.)
III Trib. mil. c. p. Aglaophon, Cephissodorus, Phrylus, Evenor pictores; Alcamenes et Agoracritus sculptores.

U. C. 333. A. C. 419. Olymp. 90, 2. (Liv. IV, 43.)
Num. Fabius Vibulanus, T. Quintius Barbatus Capitol. Quatuor Quæstores et promiscue de Patribus ac plebe facti.

U. C. 334. A. C. 418. Olymp. 90, 3. (Liv. IV, 43.)
[*Interreges.*] Agathon tragicus et comicus poeta.

U. C. 335. A. C. 417. Olymp. 90, 4. (Liv. IV, 44.)
IV Trib. mil. c. p. Cumæ a Samnitibus captæ.

U. C. 336. A. C. 416. Olymp. 91, 1. (Liv. IV, 44.)
III Tribuni mil. c. p. Alcibiades, Nicias et Lamachus cum Syracusanis bellum gerentes.

U. C. 337. A. C. 415. Olymp. 91, 2. (Liv. IV, 45.)
III Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 338. A. C. 414. Olymp. 91, 3. (Liv. IV, 47.)
IV Tribuni mil. cons. pot. Bellum Decelicum. A. C. 414-324 Diogenes Sinop.

U. C. 339. A. C. 413. Olymp. 91, 4. (Liv. IV, 47.)

III Tribuni mil. c. p. Protagoras, Diagoras, Hippias et Prodicus Sophistæ. A. C. 413-399 Archelaus rex Maced.

U. C. 340. A. C. 412. Olymp. 92, 1. (Liv. IV, 47.)

IV Trib. mil. c. p. Diocles Syracus. leges fert.

U. C. 341. A. C. 411. Olymp. 92, 2. (Liv. IV, 49.)

IV Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 342. A. C. 410. Olymp. 92, 3. (Liv. IV, 51.)

A. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus. Manasse. Lycius statuarius. Samaritani in Garizim.

U. C. 343. A. C. 409. Olymp. 92, 4. (Liv. IV, 52.)

Q. Fabius Ambustus, C. Furius Pacilus.

U. C. 344. A. C. 408. Olymp. 93, 1. (Liv. IV, 52.)

M. Papirius Atratinus, C. Nautius Rutilus. A. C. 408-328 Lycurgus orator. Pœni Syracusanis bellum inferunt.

U. C. 345. A. C. 407. Olymp. 93, 2. (Liv. IV, 53.)

M'. Æmilius Mamercinus, C. Valerius Potitus. Theophilus, Philistion et Chæremon poetæ.

U. C. 346. A. C. 406. Olymp. 93, 3. (Liv. IV, 54.)

Cn. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus II. Primi Quæstores plebeii. Cyrus junior. Antiphanes et Alexis poetæ.

U. C. 347. A. C. 405. Olymp. 93, 4. (Liv. IV, 56.)

III Tribuni mil. c. p. A. C. 405-368 Dionysius senior. Philistus historicus.

U. C. 348. A. C. 404. Olymp. 94, 1. (Liv. IV, 57.)

IV Tribuni mil. cons. pot. Alcibiades Lysandro et Pharnabazo auctoribus in Phrygia necatur.

U. C. 349. A. C. 403. Olymp. 94, 2. (Liv. IV, 58.)

IV Tribuni mil. cons. pot. Veiens bellum.

U. C. 350. A. C. 402. Olymp. 94, 3. (Liv. IV, 61.)

VI Tribuni mil. cons. pot. A. C. 402-364 Artaxerxes II Mnemon. Mithridates I. Alcidamas orator. Archytas et Timæus philos. Apollodorus Athen. pictor.

U. C. 351. A. C. 401. Olymp. 94, 4. (Liv. IV, 61.)

VI Tribuni mil. cons. pot. Thrasybulus XXX tyrannos Athenis ejicit.

U. C. 352. A. C. 400. Olymp. 95, 1. (Liv. V, 1.)

VIII Tribuni mil. cons. pot. Stipendium militibus datum. A. C. 400-362 Agesilaus successor Agidis fratris. Philoxenus poeta. Dædalus Sicyonius plasta. Naucydes, Dinomenes, Canochus, Polycletus Argivus et Patrocles statuarii.

U. C. 353. A. C. 399. Olymp. 95, 2. (Liv. V, 8.)

VI Tribuni mil. c. p. Conon. Ctesias.

U. C. 354. A. C. 398. Olymp. 95, 3. (Liv. V, 10.)

VI Tribuni mil. c. p. Plato Tarentum et Syracusas venit. A. C. 398-389 Orestes rex Maced.

U. C. 355. A. C. 397. Olymp. 95, 4. (Liv. V, 12.)

VI Tribuni mil. c. p. Zeuxis, Parrhasius? Timanthes, Eupompus pictores.

U. C. 356. A. C. 396. Olymp. 96, 1. (Liv. V, 13.)

VI Tribuni mil. c. p. Nicophron et Nicochares comici poetæ. Lysander in prælio cum Thebanis ad Halyartum cadit.

U. C. 357. A. C. 395. Olymp. 96, 2. (Liv. V, 14.)

VI Tribuni mil. c. p. Conon Pisandrum Spartanorum ducem ad Cnidum, et Agesilaus Athenienses ad Coroneam vincit.

U. C. 358. A. C. 394. Olymp. 96, 3. (Liv. V, 16.)

VI Tribuni mil. c. p. Bellum Corinthiacum.

U. C. 359. A. C. 393. Olymp. 96, 4. (Liv. V, 18.)

VI Tribuni mil. cons. pot. Camillus Dict. Veios diruit. Iphicrates Spartanos vincit ad Corinthum.

U. C. 360. A. C. 392. Olymp. 97, 1. (Liv. V, 24.)

VI Tribuni mil. c. p. A. C. 392-288 (al. 372-268) Theophrastus.

U. C. 361. A. C. 391. Olymp. 97, 2. (Liv. V, 26.)

VI Tribuni mil. c. p. Falerii Camillo dediti. Philolaus Croton. Pythag. Agesilaus agrum Corinth. vastat.

U. C. 362. A. C. 390. Olymp. 97, 3. (Liv. V, 29.)

L. Lucretius Flavus, Ser. Sulpicius Camerinus. Antimachus Colophonius poeta.

U. C. 363. A. C. 389. Olymp. 97, 4. (Liv. V, 31. Dionys. I, 74.)

L. Valerius Potitus, M. Manlius Capitolinus. A. C. 389-368 Amyntas II.

U. C. 364. A. C. 388. Olymp. 98, 1. (Liv. V, 32.)

VI Tribuni mil. c. p. Camillus exsulat.

U. C. 365. A. C. 387. Olymp. 98, 2. (Liv. V, 36, sq.)

VI Tribuni mil. c. p. Clades Alliensis et Roma a Gallis capta. M. Furius Camillus Dict. et L. Valerius mag. equitum. Antalcidæ pax Græcis Asiaticis libertatem adimit. A. C. 387-358 Chabrias floret.

U. C. 366. A. C. 386. Olymp. 98, 3. (Liv. VI, 1.)

[M. Furius Camillus dictaturam continuat.] A. C. 386 sq. bella perpetua Rom. cum Etruscis et Gallis.

U. C. 367. A. C. 385. Olymp. 98, 4. (Liv. VI, 1.)
VI Tribuni mil. c. p. A. C. 385 sq. Datames.

U. C. 368. A. C. 384. Olymp. 99, 1. (Liv. VI, 4.)
VI Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 369. A. C. 383. Olymp. 99, 2. (Liv. VI, 5.)
VI Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 370. A. C. 382. Olymp. 99, 3. (Liv. VI, 6.)
VI Tribuni mil. c. p. Phœbidas Spartanus Cadmeam capit.

U. C. 371. A. C. 381. Olymp. 99, 4. (Liv. VI, 11.)
VI Tribuni mil. c. p. A. C. 381-319 Demosthenes. Æschines orator.

U. C. 372. A. C. 380. Olymp. 100, 1. (Liv. VI, 18.)
VI Tribuni mil. c. p. M. Manlius de saxo Tarpeio dejicitur. A. C. 380-318 Aristoteles; vid. Gell. XVII, 21.

U. C. 373. A. C. 379. Olymp. 100, 2. (Liv. VI, 21.)
VI Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 374. A. C. 378. Olymp. 100, 3. (Liv. VI, 22.)
VI Tribuni mil. c. p. Pelopidas Thebanorum exsulum dux Cadmeam recipit, a Spartanis occupatam.

U. C. 375. A. C. 377. Olymp. 100, 4. (Liv. VI, 22.)
VI Tribuni mil. c. p. A. C. 377 sq. Iphicrates.

U. C. 376. A. C. 376. Olymp. 101, 1. (Liv. VI, 27.)
VI Tribuni mil. c. p. Præneste captum. T. Quintius Cincinnatus Dict. et A. Sempronius Atratinus mag. equitum. Timotheus Spartanos ad Leucaten vincit.

U. C. 377. A. C. 375. Olymp. 101, 2. (Liv. VI, 30.)
VI Tribuni mil. c. p. Eubulus, Anaxandridas, Philetærus, Theopompus, Astydamas et Nicostratus poetæ comici.

U. C. 378. A. C. 374. Olymp. 101, 3. (Liv. VI, 31.)

VI Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 379. A. C. 373. Olymp. 101, 4. (Liv. VI, 32.)

VI Tribuni mil. c. p. M. Fabius Ambustus generique ejus Ser. Sulpicius et C. Licinius Stolo.

U. C. 380-384. A. C. 372-368. Olymp. 102, 1; 103, 1. (Liv. VI, 35.)

L. Sextius Sextinus Lateranus et C. Licinius Calvus Stolo tribuni plebis per quinquennium regnant. A. C. 371 Epaminondas vincit Spartanos ad Leuctra. 370 Eudoxus Cnidius geometer. Scopas Parius sculptor. Polycles, Cephissodotus, Leochares et Hypatodorus statuarii. 368-343 Dionysius junior. 368 Pelopidas cum Ismenia ab Alexandro Pheræo, Thessal. tyranno, in vincula conjicitur, et 367 liberatus ab Epaminonda, sed 364 in prælio invectus in tyrannum victor cadit.

U. C. 385. A. C. 367. Olymp. 103, 2. (Liv. VI, 36.)

VI Tribuni mil. cons. pot.

U. C. 386. A. C. 366. Olymp. 103, 3. (Liv. VI, 36.)

VI Tribuni mil. c. p. Epicrates, Anaxilaus, Theodectes poetæ.

U. C. 387. A. C. 365. Olymp. 103, 4. (Liv. VI, 38.)

VI Tribuni mil. c. p. M. Furius Camillus Dict. et L. Æmilius Mamercinus mag. equitum. Deinde P. Manlius Capitolinus Dict. et C. Licinius Calvus Stolo primus mag. equitum e plebe.

U. C. 388. A. C. 364. Olymp. 104, 1. (Liv. VI, 42.)

VI Tribuni mil. cons. pot. A. C. 364 sq. Perdiccas III. Praxiteles et ejus filii, Pamphilus et Cephissodorus, æqualesque Bryaxis, Timotheus, Pythis sculptores. Euphranor, Athenion et Nicias pictores.

U. C. 389. A. C. 363. Olymp. 104, 2. (Liv. VI, 42; VII, 1.)

L. Sextius Sextinus Lateranus, *L. Æmilius Mamercinus.* Primus consul e plebe: primus prætor et ædilis curulis. Ariobarzanes I. Æneas Tacticus. Epaminondas ad Mantineam victor cadit.

U. C. 390. A. C. 362. Olymp. 104, 3. (Liv. VII, 1.)

L. Genucius Aventinensis, *Q. Servilius Ahala.* A. C. 362-260 Zeno.

U. C. 391. A. C. 361. Olymp. 104, 4. (Liv. VII, 2.)

C. Sulpicius Peticus, *C. Licinius Calvus Stolo.* Primi ludi scenici Romæ acti. A. C. 361-341 Artaxerxes III, Ochus. 361-292 Dinarchus orator.

U. C. 392. A. C. 360. Olymp. 105, 1. (Liv. VII, 3.)

Cn. Genucius Aventinensis, *L. Æmilius Mamercinus II.* L. Manlius Imperiosus dictator clavi figendi causa dictus. A. C. 360-336 Philippus Alexandri M. pater.

U. C. 393. A. C. 359. Olymp. 105, 2. (Liv. VII, 4.)

Q. Servilius Ahala II, *L. Genucius Aventinensis II.*

U. C. 394. A. C. 358. Olymp. 105, 3. (Liv. VII, 9.)

C. Sulpicius Peticus II, *C. Licinius Calvus Stolo II.* T. Manlii Torquati pietas in patrem severum et certamen singulare cum Gallo. Chares et Chabrias. Pamphilus, Apellis magister. A. C. 358-355 Dion.

U. C. 395. A. C. 357. Olymp. 105, 4. (Liv. VII, 11.)

C. Pœtelius Libo Visolus (*Balbus*), *M. Fabius Ambustus.* Alexandri Pheræi mors. Theopompus et Ephorus historici.

U. C. 396. A. C. 356. Olymp. 106, 1. (Liv. VII, 12.)

M. Popillius Lænas, *Cn. Manlius Capitolinus Imperiosus.* Seditio plebis metu belli Tiburtini compressa. Athenienses ducibus Charete, Iphicrate et Timotheo cum sociis bellum

gerunt. Alexander M. nascitur, quo die Herostratus templum Dianæ Ephes. incendit.

U. C. 397. A. C. 355. Olymp. 106, 2. (Liv. VII, 12.)

C. Fabius Ambustus, *C. Plautius Proculus.* Tarquiniense bellum. C. Sulpicius Peticus Dict. Gallos vincit. C. Pœtelius trib. pl. primam fert legem de ambitu. Bellum Phocense s. sacrum.

U. C. 398. A. C. 354. Olymp. 106, 3. (Liv. VII, 16.)

C. Marcius Rutilus, *Cn. Manlius Capit. Imper. II.*

U. C. 399. A. C. 353. Olymp. 106, 4. (Liv. VII, 17.)

M. Fabius Ambustus II, *M. Popillius Lænas II.* C. Marcius Rutilus primus dictator e plebe. Mausolus et Artemisia uxor.

U. C. 400. A. C. 352. Olymp. 107, 1. (Liv. VII, 18.)

C. Sulpicius Peticus III, *M. Valerius Publicola.*

U. C. 401. A. C. 351. Olymp. 107, 2. (Liv. VII, 18.)

M. Fabius Ambustus III, *T. Quintius Pennus Capitolinus Crispinus.* Echion et Therimachus pictores.

U. C. 402. A. C. 350. Olymp. 107, 3. (Liv. VII, 19.)

C. Sulpicius Peticus IV, *M. Valerius Publicola II.*

U. C. 403. A. C. 349. Olymp. 107, 4. (Liv. VII, 21.)

P. Valerius Publicola, *C. Marcius Rutilus II.*

U. C. 404. A. C. 348. Olymp. 108, 1. (Liv. VII, 22.)

C. Sulpicius Peticus V, *T. Quintius Cincinnatus Capitol.*, al. *T.* vel *C.* vel *K. Quintius Pennus.* C. Marcius Rutilus primus censor e plebe. Speusippus succedit Platoni.

U. C. 405. A. C. 347. Olymp. 108, 2. (Liv. VII, 23.)

M. Popillius Lænas III, *L. Cornelius Scipio.*

U. C. 406. A. C. 346. Olymp. 108, 3. (Liv. VII, 24, 25.)

L. Furius Camillus, *Ap. Claudius Crassus.* L. Furius Ca-

millus Dict. et P. Cornelius Scipio mag. equitum. M. Valerii (Corvi) certamen cum Gallo in bello Gallico. Classis Dionysii jun. infestat Italiam inferiorem.

U. C. 407. A. C. 345. Olymp. 108, 4. (Liv. VII, 26, 27.)

M. Valerius Corvus, (XXIII annos natus) *M. Popillius Lænas IV.* Fœdus II cum Pœnis ictum. A. C. 345-337 Timoleon floret.

U. C. 408. A. C. 344. Olymp. 109, 1. (Liv. VII, 27.)

T. Manlius Torquatus Imperiosus, *C. Plautius Hypsæus.*

U. C. 409. A. C. 343. Olymp. 109, 2. (Liv. VII, 27.)

M. Valerius Corvus II, *C. Pœtelius Libo Visolus II.*

U. C. 410. A. C. 342. Olymp. 109, 3. (Liv. VII, 28.)

M. Fabius Dorso, *Ser. Sulpicius Camerinus.* A. C. 342-271 Epicurus. 342-293 Menander et Philemon, novæ comœdiæ auctores.

U. C. 411. A. C. 341. Olymp. 109, 4. (Liv. VII, 28.)

C. Marcius Rutilus III, *T. Manlius Torq. Imper. II.*

U. C. 412. A. C. 340. Olymp. 110, 1. (Liv. VII, 28.)

M. Valerius Corvus III, *A. Cornelius Cossus Arvina.* A. C. 340-269 bellum Samniticum. Campani Sidicinis auxiliati victique a Samnitibus se dedunt Romanis. Demades et Hyperides oratores.

U. C. 413. A. C. 339. Olymp. 110, 2. (Liv. VII, 38.)

C. Marcius Rutilus IV, *Q. Servilius Ahala III.*

U. C. 414. A. C. 338. Olymp. 110, 3. (Liv. VIII, 1.)

C. Plautius Hypsæus II, *L. Æmilius Mamercinus.* Græci a Philippo ad Chæroneam victi. Xenocrates succedit Speusippo.

U. C. 415. A. C. 337. Olymp. 110, 4. (Liv. VIII, 3, 24.)

T. Manlius Torquatus Imperiosus III, *P. Decius Mus.* De

anno conf. Cic. ad Div. IX, 21, 5. L. Papirius Crassus Dict. et L. Papirius Cursor mag. equitum. Latini Campanique bello domiti. Decius se devovet, et Manlii filius securi percutitur jussu patris. Alexander Molossus, Epiri rex et frater generque Olympiadis, matris Alexandri M., classem in Italiam appellit. Autolycus astron. Callisthenes philos. Clitarchus, Anaximenes et Hecatæus historici. Philippides et Alexis poetæ comici. A. C. 337-331 Darius III Codomanus. 337-302 Mithridates II.

U. C. 416. A. C. 336. Olymp. 111, 1. (Liv. VIII, 12.)

Ti. Æmilius Mamercinus, *Q. Publilius Philo*, qui tres leges fert plebi secundissimas, ut plebiscita omnes Quirites teneant, ut Patres fiant auctores legum ante initum suffragium, utque alter utique ex plebe censor creetur. A. C. 336-324 Alexander M.

U. C. 417. A. C. 335. Olymp. 111, 2. (Liv. VIII, 13.)

L. Furius Camillus II, *C. Mænius*. Latium et Campania subacta. Rostra ex Antiatum navibus avulsa. Pyrrho Scepticus.

U. C. 418. A. C. 334. Olymp. 111, 3. (Liv. VIII, 15.)

C. Sulpicius Longus, *P. Ælius Pætus*. Q. Publilius Philo primus Prætor de plebe.

U. C. 419. A. C. 333. Olymp. 111, 4. (Liv. VIII, 16.)

L. Papirius Crassus, *K. Duilius*. Strato II, et Abdolonymus.

U. C. 420. A. C. 332. Olymp. 112, 1. (Liv. VIII, 16.)

M. Valerius Corvus IV, *M. Atilius Regulus*. Apelles, Protogenes, Pausias, Aristides, Amphion, Asclepiodorus, Arcesilaus, Nicanor, Antiphilus et Nicomachus pictores. Pytheas et Euthymenes in mari Atlantico.

U. C. 421. A. C. 331. Olymp. 112, 2. (Liv. VIII, 16.)

T. Veturius Calvinus, *Sp. Postumius Albinus*. Alexandria condita et metata a Dinochare s. Dinocrate.

U. C. 422. A. C. 330. Olymp. 112, 3.

L. Papirius Cursor, C. Pœtelius Libo Visolus. Agis II perit. Callipus chronol. Berosus?

U. C. 423. A. C. 329. Olymp. 112, 4. (Liv. VIII, 17.)

A. Cornelius Cossus Arvina II, Cn. Domitius Calvinus. M. Papirius Crassus Dict. et P. Valerius Publicola mag. eq.

U. C. 424. A. C. 328. Olymp. 113, 1. (Liv. VIII, 18.)

M. Claudius Marcellus, C. Valerius Potitus Flaccus. Veneficia CLXX matronarum. Cn. Quintilius Dictator clavi figendi causa dictus.

U. C. 425. A. C. 327. Olymp. 113, 2. (Liv. VIII, 19.)

L. Papirius Crassus II, L. Plautius Venno.

U. C. 426. A. C. 326. Olymp. 113, 3. (Liv. VIII, 20.)

L. Æmilius Mamercinus Privernas II, C. Plautius Decianus. Hephæstio obit. Heraclides Ponticus. Crates Thebanus.

U. C. 427. A. C. 325. Olymp. 113, 4. (Liv. VIII, 22.)

P. Plautius Proculus, P. Cornelius Scapula. Nearchus, Onesicritus et Androsthenes in oceano Indico.

U. C. 428. A. C. 324. Olymp. 114, 1. (Liv. VIII, 22.)

L. Cornelius Lentulus, Q. Publilius Philo II. M. Claudius Marcellus Dict. et Sp. Postumius mag. equitum. Palæpolitanis bellum infertur. Lysippus, Lysistratus, Sostratus, Silancon et Chares statuarii. Alexander M. et Diogenes moriuntur. A. C. 324 sq. Philippus Arrhidæus, Roxane et Alexander Pergamenus, Barsine et Hercules. Perdiccas, Eumenes Cardianus, Craterus, Neoptolemus, Antipater, Antigonus, Nicanor, Polysperchon, Lysimachus. 324-284 Ptolemæus Lagi.

U. C. 429. A. C. 323. Olymp. 114, 2. (Liv. VIII, 23, 24, 28.)

C. Pœtelius Libo Visolus II, *L. Papirius Mugillanus.* Ob L. Papirii feneratoris fœdam libidinem nexi soluti lataque lex, ne quis nisi criminis causa necteretur. Alexander Epiri rex perit. Bellum Lamiacum, ab Antipatro Græcisque gestum.

U. C. 430. A. C. 322. Olymp. 114, 3. (Liv. VIII, 29.)

L. Furius Camillus III, *D. Junius Brutus Scæva.* L. Papirii Cursoris Dict. severitas et ira in Q. Fabium Max. Rullianum mag. equitum. A. C. 322-318 Phocion.

U. C. 431. A. C. 321. Olymp. 114, 4. (Liv. VIII, 37.)

C. Sulpicius Longus II, *Q. Æmilius (Aulius) Cerretanus.*

U. C. 432. A. C. 320. Olymp. 115, 1. (Liv. VIII, 38.)

Q. Fabius Max. Rullianus, *L. Fulvius Curvus.* A. Cornelius Arvina Dict. et M. Fabius Ambustus mag. equitum.

U. C. 433. A. C. 319. Olymp. 115, 2. (Liv. IX, 1 sq.)

Ti. Veturius Calvinus II, *Sp. Postumius Albinus II.* Furculæ Caudinæ. Aristoxenus musicus.

U. C. 434. A. C. 318. Olymp. 115, 3. (Liv. IX, 7.)

Q. Publilius Philo III, *L. Papirius Cursor II.*

U. C. 435. A. C. 317. Olymp. 115, 4. (Liv. IX, 15.)

L. Papirius Cursor III, (Mugillanus) *Q. Aulius Cerretanus II.* A. C. 317-298 Cassander.

U. C. 436. A. C. 316. Olymp. 116, 1. (Liv. IX, 20.)

M. Foslius Flaccinator, *L. Plautius Venno.* Aristides, Aristocles, Philoxenus, Nicophanes, Antidotus pictores. A. C. 316-284 Demetrius Phalereus Athenis præfectus.

U. C. 437. A. C. 315. Olymp. 116, 2. (Liv. IX, 20.)

C. Junius Bubulcus Brutus, *Q. Æmilius Barbula.* A. C. 315-287 Agathocles tyrannus Syrac.

U. C. 438. A. C. 314. Olymp. 116, 3. (Liv. IX, 21.)

Sp. Nautius Rutilus, M. Popillius Lænas. Euemerus.

U. C. 439. A. C. 313. Olymp. 116, 4. (Liv. IX, 22.)

Q. Publilius Philo IV, L. Papirius Cursor IV.

U. C. 440. A. C. 312. Olymp. 117, 1. (Liv. IX, 24.)

M. Pœtelius Libo, C. Sulpicius Longus III. Hecatæus Milesius geogr.

U. C. 441. A. C. 311. Olymp. 117, 2. (Liv. IX, 28.)

L. Papirius Cursor V, C. Junius Bubulcus Brutus II.

U. C. 442. A. C. 310. Olymp. 117, 3. (Liv. IX, 28, 45.)

M. Valerius Maximus, P. Decius Mus. Bellum Etruscum. Ap. Claudius (Cæcus) et C. Plautius censores. Ap. Claudii via, aqua, et invidiosa senatus lectio, libertinis in Patres lectis. Appius solus censor humiles per omnes tribus dividit. Potitii intereunt.

U. C. 443. A. C. 309. Olymp. 117, 4. (Liv. IX, 30.)

C. Junius Bubulcus Brutus III, Q. Æmilius Barbula II. Duumviri navales. Tribuni mil. seni deni in IV legiones a populo creantur. Tibicines. A. C. 309-282 Seleucus I Nicator, rex Babyl., Syriæ et Maced.

U. C. 444. A. C. 308. Olymp. 118, 1. (Liv. IX, 33.)

Q. Fabius Max. Rullianus II, C. Marcius Rutilus. L. Papirius Cursor Dict. et C. Junius Bubulcus Brutus mag. equitum. Etrusci Umbrique devicti.

U. C. 445. A. C. 307. Olymp. 118, 2. (Liv. IX, 41.)

Q. Fabius Max. Rullianus III, P. Decius Mus II.

U. C. 446. A. C. 306. Olymp. 118, 3. (Liv. IX, 42.)

Ap. Claudius Cæcus, L. Volumnius Flamma Violensis. Euclides. Simmias, Diphilus et Dosiadas poetæ. Nossis poetria.

U. C. 447. A. C. 305. Olymp. 118, 4. (Liv. IX, 42.)

P. Cornelius Arvina, Q. Marcius Tremulus. Hic triumphat de Hernicis. Fœdus III cum Pœnis ictum.

U. C. 448. A. C. 304. Olymp. 119, 1. (Liv. IX, 44.)

L. Postumius Megellus, Ti. Minucius Augurinus et *M. Fulvius Curvus Pætinus.*

U. C. 449. A. C. 303. Olymp. 119, 2. (Liv. IX, 45.)

P. Sulpicius Saverrio, P. Sempronius Sophus, a sapientia in jure civili cognominatus. Cn. Flavius, e scriba factus ædilis curulis, evulgat civile jus; fastos circa forum in albo proponit, et dedicat ædem Concordiæ. Q. Fabius Maximus Rullianus et P. Decius Mus censores. Ille forensem turbam conjicit in IV tribus urbanas, instituitque, ut Equites Idibus Quintil. transvehantur. Samnitibus pax data, et Æqui prope deleti.

U. C. 450. A. C. 302. Olymp. 119, 3. (Liv. X, 1.)

L. Genucius Aventinensis, Ser. Cornelius Lentulus. Mithridates III.

U. C. 451. A. C. 301. Olymp. 119, 4. (Liv. X, 1 sq.)

M. Livius Denter, M. Æmilius Paullus. C. Junius Bubulcus Dict. et M. Titinius mag. equit. M. Valerius Max. Corvus Dict. et M. Æmilius Paullus mag. eq. (Q. Fabius Max. Rullianus Dict. et P. Sempronius Sophus mag. eq.) Etruria et Æqui rebellant. Cleonymus rex Spart. diripit Tarentum: sed naves ejus a Venetis et Patavinis incenduntur. C. Fabius Pictor ædem Salutis pingit.

U. C. 452. A. C. 300. Olymp. 120, 1. (Liv. X, 6.)

M. Valerius Corvus V, Q. Apuleius Pansa. Primi pontifices et augures de plebe. Lex Valeria III de provocatione. Megasthenes hist. Artemon pictor. Eutychides, Euthycrates, Dahippus, Beda, Timarchus statuarii.

U. C. 453. A. C. 299. Olymp. 120, 2. (Liv. X, 9.)

M. Fulvius Pætinus, *T. Manlius Torquatus* et *M. Valerius Corvus VI.* M'. Curius Dentatus trib. pl. cogit Patres ante comitia auctores fieri.

U. C. 454. A. C. 298. Olymp. 120, 3. (Liv. X, 11.)

L. Cornelius Scipio, *Cn. Fulvius Centumalus.* Barba ton deri cœpta. Plin. VII, 59. A. C. 298-293 Philippus II, Antipater I, et Alexander filii Cassandri.

U. C. 455. A. C. 297. Olymp. 120, 4. (Liv. X, 13.)

Q. Fabius Max. Rullianus IV, *P. Decius Mus III.*

U. C. 456. A. C. 296. Olymp. 121, 1. (Liv. X, 16.)

L. Volumnius Flamma Violensis II, *Ap. Claudius Cæcus II.* Bella cum Samnitibus, Tuscis, Umbris et Gallis gesta.

U. C. 457. A. C. 295. Olymp. 121, 2. (Liv. X, 22 sq.)

Q. Fabius Max. Rullianus V, *P. Decius Mus IV.* Decius se devovet. A. C. 295-272 Pyrrhus II rex Epiri; vid. Vell. I, 14.

U. C. 458. A. C. 294. Olymp. 121, 3. (Liv. X, 32.)

L. Postumius Megellus II, *M. Atilius Regulus.* Samnium et Etruria vastata.

U. C. 459. A. C. 293. Olymp. 121, 4. (Liv. X, 38.)

L. Papirius Cursor, *Sp. Carvilius Maximus.* Falisci arma Etruscis jungunt. Samnitium legio sacrata et linteata. Consules triumphant de Samnitibus et Etruscis. P. Cornelius Arvina et C. Marcius Rutilus censores vicesimi sexti. Romani ludos coronati spectant, et palmas dant victoribus. A. C. 293-286 Demetrius Poliorcetes.

U. C. 460. A. C. 292. Olymp. 122, 1. (Liv. X, 47.)

Q. Fabius Maximus Gurges, D. Junius Brutus Scæva. Fabius opera patris, legati, adjutus cædit Samnites et C. Pontium in triumpho ducit. Æsculapius ab Epidauro Romam arcessitur. Brutus vincit Faliscos.

U. C. 461. A. C. 291. Olymp. 122, 2.

L. Postumius Megellus III, C. Junius Brutus Bubulcus. Primum solarium Papirii.

U. C. 462. A. C. 290. Olymp. 122, 3.

P. Cornelius Rufinus, M'. Curius Dentatus. Hic Samnitibus et Sabinis cæsis bis triumphat. Bellum adversus Lucanos. Posidippus poeta.

U. C. 463. A. C. 289. Olymp. 122, 4.

M. Valerius Corvinus VI, Q. Cædicius Noctua.

U. C. 464. A. C. 288. Olymp. 123, 1.

Q. Marcius Tremulus II, P. Cornelius Arvina II. Dicæarchus geogr. Strato philos.

U. C. 465. A. C. 287. Olymp. 123, 2.

M. Claudius Marcellus, C. (Sp.) *Nautius Rutilus.* A. C. 287-212 Archimedes.

U. C. 466. A. C. 286. Olymp. 123, 3.

M. Valerius Potitus, C. Ælius Pætus. Bellum adversus Volsinienses et Gallos. Plebs ob æs alienum secedit in Janiculum, et a Q. Hortensio Dict. reducitur.

U. C. 467. A. C. 285. Olymp. 123, 4.

C. Claudius Canina, M. Æmilius Lepidus.

U. C. 468. A. C. 284. Olymp. 124, 1.

C. Servilius Tucca, L. Cæcilius Metellus. Lycophron. A. C. 284-247 Ptolemæus II Philadelphus.

U. C. 469. A. C. 283. Olymp. 124, 2.

P. Cornelius Dolabella, *Cn. Domitius Calvinus*. Etrusci, Boii et Senones cæsi. Philetærus conditor regni Pergameni.

U. C. 470. A. C. 282. Olymp. 124, 3.

C. Fabricius Luscinus, *Q. Æmilius Papus*. Etruria in deditionem venit. A. C. 282-262 Antiochus I Soter.

U. C. 471. A. C. 281. Olymp. 124, 4.

L. Æmilius Barbula, *Q. Marcius Philippus*. A Tarentinis bellum Romanis illatum Pyrrhusque accitus. Tecta Romæ lateritia pro scindulariis. Plin. XVI, 10, sect. 15. Ptolemæus Ceraunus. Lysimachus Thraciæ rex occiditur a Seleuco.

U. C. 472. A. C. 280. Olymp. 125, 1.

P. Valerius Lævinus, *Ti. Coruncanius*. Callimachus, Aristophanes Byzant., Philetas Cous; Duris Samius hist. Ceretrius, Brennus, Belgius, Lutarius, Leonnorius. A. C. 280-207 Chrysippus. 280-146 fœdus Ætolicum et Achaicum.

U. C. 473. A. C. 279. Olymp. 125, 2.

P. Sulpicius Saverrio II, *P. Decius Mus*. Fœdus IV cum Pœnis ictum.

U. C. 474. A. C. 278. Olymp. 125, 3.

C. Fabricius Luscinus II, *Q. Æmilius Papus II*. Bella cum Tarentinis, Pyrrho, Etruscis et Samnitibus gesta. Septuaginta. Aristeas?

U. C. 475. A. C. 277. Olymp. 125, 4.

P. Cornelius Rufinus II, *C. Junius Brutus Bubulcus II*. Antigonus Gonatas. Nicomedes I. Trocmi, Tolistoboii, Tectosages.

U. C. 476. A. C. 276. Olymp. 126, 1.

Q. Fabius Max. Gurges II, *C. Genucius Clepsina*.

U. C. 477. A. C. 275. Olymp. 126, 2.

M'. Curius Dentatus II, L. Cornelius Lentulus Caudinus. C. Fabricius Luscinus et Q. Æmilius Papus censores. Theocritus, Bion, Moschus. A. C. 275-195 Eratosthenes.

U. C. 478. A. C. 274. Olymp. 126, 3.

M'. Curius Dentatus III, Ser. Cornelius Merenda.

U. C. 479. A. C. 273. Olymp. 126, 4.

C. Fabius Dorso Licinus, C. Claudius Canina II. Castra metandi artem Pyrrhus docet Romanos.

U. C. 480. A. C. 272. Olymp. 127, 1.

L. Papirius Cursor II, Sp. Carvilius Maximus II. Samnites, Bruttii Lucanique domiti. Tarentum captum. Pyrrhus Argos oppugnans moritur, lapide ictus a muliere. Zenodotus, Timon.

U. C. 481. A. C. 271. Olymp. 127, 2.

C. Quintius Claudus, L. Genucius Clepsina.

U. C. 482. A. C. 270. Olymp. 127, 3.

C. Genucius Clepsina II, Cn. Cornelius Blasio. Antigonus Carystius et Melampus medici et phys. Cleanthes poeta. Timæus hist. Aristarchus Samius, horologiorum inventor. A. C. 270-213 Aratus. 270-230 Lycon philos.

U. C. 483. A. C. 269. Olymp. 127, 4.

Q. Ogulnius Gallus, C. Fabius Pictor. Primi nummi argentei. Plin. XXXIII, 3, 13. A. C. 269-215 Hiero II regnat Syracusis. Berosus?

U. C. 484. A. C. 268. Olymp. 128, 1.

Ap. Claudius Crassus, P. Sempronius Sophus.

U. C. 485. A. C. 267. Olymp. 128, 2.

M. Atilius Regulus, L. Julius Libo.

U. C. 486. A. C. 266. Olymp. 128, 3.

N. Fabius Pictor, D. Junius Pera. Universa Italia perpacata et in IV regiones quæstorias divisa.

U. C. 487. A. C. 265. Olymp. 128, 4.

Q. Fabius Max. Gurges III, L. Mamilius Vitulus. Volsinii diruti. A. C. 265-183 Mithridates IV.

U. C. 488. A. C. 264. Olymp. 129, 1.

Ap. Claudius Caudex, M. Fulvius Flaccus. A. C. 264-241 bellum Punicum I.

U. C. 489. A. C. 263. Olymp. 129, 2.

M'. Valerius Max. Messalla, M. Otacilius Crassus.

U. C. 490. A. C. 262. Olymp. 129, 3.

L. Postumius Megellus, Q. Mamilius Vitulus. Solarium a M'. Valerio e Sicilia allatum. Auctor marmoris Parii s. Arundeliani. Zeno Citticus obit. A. C. 262-240 Eumenes I. 262-247 Antiochus II Deus.

U. C. 491. A. C. 261. Olymp. 129, 4.

L. Valerius Flaccus, T. Otacilius Crassus.

U. C. 492. A. C. 260. Olymp. 130, 1.

Cn. Cornelius Scipio Asina, C. Duillius. Navalis victoria ejusque triumphus. Columna rostrata et funale Duillio prælatum tibicine canente. Scipio captivus Pœnorum. Arcesilaus philos. Manetho?

U. C. 493. A. C. 259. Olymp. 130, 2.

L. Cornelius Scipio, C. Aquillius Florus. Sardi, Corsi et Hanno a Scipione victi.

U. C. 494. A. C. 258. Olymp. 130, 3.

A. Atilius Calatinus, Q. Sulpicius Paterculus. M. Calpur-

nii trib. mil. virtus. A. C. 258 sq. Leonidas II, Agis III, Cleombrotus II.

U. C. 495. A. C. 257. Olymp. 130, 4.

C. Atilius Regulus Serranus, Cn. Cornelius Blasio II.

U. C. 496. A. C. 256. Olymp. 131, 1.

L. Manlius Vulso Longus, Q. Cædicius, et *M. Atilius Regulus II*, qui, victis navali prælio Pœnis, in Africam trajicit. Arsaces I.

U. C. 497. A. C. 255. Olymp. 131, 2.

Ser. Fulvius Pætinus Nobilior, M. Æmilius Paullus. Naufragium classis Rom. Regulus ad Bagradam fl. cum ingenti serpente pugnat, et oppida LXXX Africæ expugnat; sed a Xanthippo victus capitur. Theodotus I regni Bactriani conditor.

U. C. 498. A. C. 254. Olymp. 131, 3.

Cn. Cornelius Scipio Asina II, A. Atilius Calat. II.

U. C. 499. A. C. 253. Olymp. 131, 4.

Cn. Servilius Cæpio, C. Sempronius Blæsus. Naufragia.

U. C. 500. A. C. 252. Olymp. 132, 1.

C. Aurelius Cotta, P. Servilius Geminus. P. Sempronius Sophus et M'. Valerius Max. Messalla censores. A. C. 252-182 Philopœmen. Ctesibius mechan.

U. C. 501. A. C. 251. Olymp. 132, 2.

L. Cæcilius Metellus, C. Furius Pacilus.

U. C. 502. A. C. 250. Olymp. 132, 3.

C. Atilius Regulus, L. Manlius Vulso Longus II. Classis iterum paratur a Romanis. L. Metelli victoria ad Panormum. M. Regulus a Pœnis Romam missus. Ti. Coruncanius primus

pontifex max. e plebe creatur, primusque jus civile publice docet s. respondet..

U. C. 503. A. C. 249. Olymp. 132, 4.

P. Claudius Pulcher, L. Junius Pullus. Claudius auspiciis contemptis mari male pugnat, et M. Claudium Glyciam, viatorem suum, dictatorem dicit.

U. C. 504. A. C. 248. Olymp. 133, 1.

C. Aurelius Cotta II, P. Servilius Geminus II. Hamilcar, Carthalonis successor, ex Italia in Siciliam venit. A. C. 248-182 Hannibal.

U. C. 505. A. C. 247. Olymp. 133, 2.

L. Cæcilius Metellus II, N. (M.) *Fabius Buteo.* Lilybæi et Drepani obsidio. Victoriæ Hamilcaris. A. C. 247-227 Seleucus II Callinicus s. Pogon. 247-221 Ptolemæus III Evergeta.

U. C. 506. A. C. 246. Olymp. 133, 3.

M. Otacilius Crassus II, M. Fabius Licinus.

U. C. 507. A. C. 245. Olymp. 133, 4.

M. Fabius Buteo II, C. Atilius Bulbus.

U. C. 508. A. C. 244. Olymp. 134, 1.

A. Manlius Torquatus Atticus, C. Sempronius Blæsus II. Apollonius Pergæus. Apollonius Rhodius.

U. C. 509. A. C. 243. Olymp. 134, 2.

C. Fundanius Fundulus, C. Sulpicius Gallus. Tiridates.

U. C. 510. A. C. 242. Olymp. 134, 3.

C. Lutatius Catulus, A. Postumius Albinus. Lutatius Hannonem ad Ægates vincit. Postumium, quia flamen Mart. est, a sacris recedere vetat L. Cæcilius Metellus pont. max. Primus Prætor peregrinus.

U. C. 511. A. C. 241. Olymp. 134, 4.

A. Manlius Torquatus Atticus II, *Q. Lutatius Cerco.* Finis belli Punici I. Sicilia fit prov. Rom. Falisci capti et in planum translati. L. Cæcilius Metellus pont. max. Palladium servat ex incendio ædis Vestæ. A. C. 241-238 Bellum Africanum Pœnorum cum mercenariis, ab Hamilcare confectum. Romani a Pœnis postulant, ut Sardinia decedant et impensas in apparatum belli factas solvant.

U. C. 512. A. C. 240. Olymp. 135, 1.

C. Claudius Centho, *M. Sempronius Tuditanus.* Floralia instituta. Livius Andronicus. Demetrius II. Aristides Milesius et Philenus Agrigent. hist. A. C. 240-196 Attalus I.

U. C. 513. A. C. 239. Olymp. 135, 2.

C. Mamilius Turinus, *Q. Valerius Falto.* A. C. 239-168 Ennius. Cf. Gell. XVII, 21.

U. C. 514. A. C. 238. Olymp. 135, 3.

Ti. Sempronius Gracchus, *P. Valerius Falto.* Hic Gallos vincit; ille Ligures, deinde Sardos Corsosque : unde Sardi venales.

U. C. 515. A. C. 237. Olymp. 135, 4.

L. Cornelius Lentulus Caudinus, *Q. Fulvius Flaccus.* Bella cum Boiis et Liguribus gesta.

U. C. 516. A. C. 236. Olymp. 136, 1.

P. Cornelius Lentulus Caudinus, *C. Licinius Varus.* Ludi sæculares tertii, ad quos spectandos Hiero Romam venit. Cleomenes III, rex Spart.

U. C. 517. A. C. 235. Olymp. 136, 2.

T. Manlius Torquatus, *C. Atilius Bulbus II.* Janus iterum clausus. Vid. Liv. I, 19.

U. C. 518. A. C. 234. Olymp. 136, 3.

L. Postumius Albinus, *Sp. Carvilius Maximus.* C. Atilius

Bulbus et A. Postumius Albinus censores jurare cives cogunt, se ducturos uxores. A. C. 234-149 M. Porcius Cato Censorius. 234-206 Cn. Nævius.

U. C. 519. A. C. 233. Olymp. 136, 4.

Q. Fabius Max. Verrucosus, M. Pomponius Matho. Sardi et Ligures devicti. Hamilcar partem Hispaniæ expugnat.

U. C. 520. A. C. 232. Olymp. 137, 1.

M. Æmilius Lepidus, M. Publicius Malleolus. C. Flaminius trib. pl. agraria lege lata a patre de Rostris detrahitur.

U. C. 521. A. C. 231. Olymp. 137, 2.

M. Pomponius Matho II, C. Papirius Maso. Sardinia et Corsica provinciæ Rom. Papirius in monte Albano primus triumphat. Primum divortium. Vid. Gell. IV, 3; XVII, 21. Dionys. 2.

U. C. 522. A. C. 230. Olymp. 137, 3.

M. Æmilius Barbula, M. Junius Pera. Bellum Illyricum. C. et L. Coruncanii legati, missi ad Teutam, Illyrici reginam, interficiuntur. A. C. 230-221 Antigonus II Doson.

U. C. 523. A. C. 229. Olymp. 137, 4.

L. Postumius Albinus II, Cn. Fulvius Centumalus. Illyriis pax data. Incrementa rei Punicæ in Hispania. Ibi Hamilcari succedit Hasdrubal gener.

U. C. 524. A. C. 228. Olymp. 138, 1.

Sp. Carvilius Maximus II, Q. Fabius Max. Verrucosus II. Honores Romanis habiti a Græcis. Pactio in Hispania cum Hasdrubale facta, ne Pœni Iberum transirent belli causa.

U. C. 525. A. C. 227. Olymp. 138, 2.

P. Valerius Flaccus, M. Atilius Regulus. Quatuor prætores primum creati, et duo missi cum imperio in Siciliam Sardiniamque provincias. A. C. 227-224 Seleucus III Ceraunus.

U. C. 526. A. C. 226. Olymp. 138, 3.

M. Valerius Messalla, *L. Apustius Fullo.* Bellum cum Insubribus et Boiis.

U. C. 527. A. C. 225. Olymp. 138, 4.

L. Æmilius Papus, *C. Atilius Regulus.* Atroces pugnæ cum Gallis ad Fæsulas et Pisas. Atilius perit; Æmilius triumphat et Britomarum aliosque principes Gallorum accinctos in Capitolium ducit.

U. C. 528. A. C. 224. Olymp. 139, 1.

T. Manlius Torquatus II, *Q. Fulvius Flaccus II.* Boii se dedunt. Hero mechan.

U. C. 529. A. C. 223. Olymp. 139, 2.

C. Flaminius Nepos, *P. Furius Philus.* Quia ob multa prodigia vitio videntur creati, revocantur: sed non parent senatui, et victis Insubribus Liguribusque invito eo triumphant. A. C. 223-188 Antiochus III Magnus.

U. C. 530. A. C. 222. Olymp. 139, 3.

M. Claudius Marcellus, *Cn. Cornelius Scipio Calvus.* Insubres et Gæsatæ victi ad Clastidium a Marcello et Britomarus horum rex cæsus. Spolia opima et triumphus Marcelli. Insubres dediti. A. C. 222-130 Pacuvius. Aristarchus Crit.

U. C. 531. A. C. 221. Olymp. 139, 4.

P. Cornelius Scipio Asina, *M. Minucius Rufus.* Istri victi. Hannibal succedit Hasdrubali. A. C. 221-204 Ptolemæus IV Philopator. 221-179 Philippus III, rex Maced.

U. C. 532. A. C. 220. Olymp. 140, 1.

L. Veturius Philo, *C. Lutatius Catulus*, quibus vitio creatis suffecti sunt *M. Æmilius Lepidus II*, *M. Valerius Lævinus.* Illyricum bellum a Demetrio Phario renovatum. Artabanus I. Q. Fabius Pictor hist.

U. C. 533. A. C. 219. Olymp. 140, 2.

M. Livius Salinator, L. Æmilius Paullus. Pineo Illyriorum regi pax datur. Consules post triumphum accusantur et Livius damnatur. Hannibal Saguntum capit, transitque Pyrenæos et Alpes. Archagathus artem medicam primus Romæ exercet. Agesipolis III. Lycurgus. Chilo.

U. C. 534. A. C. 218. Olymp. 140, 3. (Liv. XXI, 6.)

P. Cornelius Scipio, Ti. Sempronius Longus. A. C. 218-201 bellum Punicum II. Prælia ad Ticinum et Trebiam. Cn. Scipio, Hanno et Hasdrubal in Hispania. Zoilus.

U. C. 535. A. C. 217. Olymp. 140, 4. (Liv. XXI, 57; XXII, 34.)

Cn. Servilius Geminus, C. Flaminius Nepos II, et *M. Atilius Regulus II.* Pugna ad Trasimenum lacum. Q. Fabius Max. Cunctator Dict. et M. Minucius Rufus mag. equitum. Cn. et P. Scipiones, Hasdrubal, Mandonius et Indibilis in Hispania.

U. C. 536. A. C. 216. Olymp. 141, 1. (Liv. XXII, 35.)

C. Terentius Varro, L. Æmilius Paullus II. Pugna Cannensis. Hannibal Capuæ hibernat. Pacuvius Calavius, Vibius Virrius, Decius Magius, Perolla. Servi et capitis rei armantur. M. Claudius Marcellus ad Nolam fugat Hannibalem.

U. C. 537. A. C. 215. Olymp. 141, 2. (Liv. XXIII, 24.)

Ti. Sempronius Gracchus, L. Postumius Albinus III, coque mortuo *M. Claudius Marcellus II;* sed mox, ne duo plebeii consules sint, *Q. Fabius Max. Verrucosus Cunctator III.* Hieronymus, Hieronis nepos et successor, occiditur. Marcellus ad Nolam iterum victor. Res in Hispania, Sardinia et Sicilia gestæ. Philippus Pœnorum socius.

U. C. 538. A. C. 214. Olymp. 141, 3. (Liv. XXIV, 9.)

Q. Fabius Max. Verrucosus Cunctator IV, M. Claudius

Marcellus III. Tertia ad Nolam pugna. Volones duce Ti. Graccho Hannonem vincunt. Syracusæ oppugnantur a Marcello. Bellum Philippo infertur.

U. C. 539. A. C. 213. Olymp. 141, 4. (Liv. XXIV, 43.)

Q. Fabius Max. Cunctatoris filius, et *Ti. Sempronius Gracchus II.* Scipiones amicitiam jungunt cum Syphace, et Pœni cum Gala, patre Masinissæ.

U. C. 540. A. C. 212. Olymp. 142, 1. (Liv. XXV, 2.)

Q. Fulvius Flaccus III, Ap. Claudius Pulcher. Publicanorum fraus, vis et pœna. Pueri XVII annis minores conscribuntur. Tarentum proditur Hannibali. Marcii vatis carmina et ludi Apollinares. Capua circumsidetur. Ti. Gracchus fraude hospitis perit. M. Centenius Penula et Cn. Fulvius Flaccus a Pœno victi. Marcellus expugnat Syracusas, et Archimedes necatur. Scipiones in Hispania pereunt. L. Marcius dux iis suffectus.

U. C. 541. A. C. 211. Olymp. 142, 2. (Liv. XXVI, 1.)

Cn. Fulvius Centumalus II, P. Sulpicius Galba Max. Hannibal frustra Romam petit. Capua capta et incolæ cæsi aut venditi. P. Cornelius Scipio anno ætatis XXIV proconsul creatur in Hispaniam.

U. C. 542. A. C. 210. Olymp. 142, 3. (Liv. XXVI, 22.)

M. Claudius Marcellus IV, M. Valerius Lævinus II. In Sicilia debellatur. Carthago Nova capta a Scipione. Cn. Fulvius Centumalus ad Herdoneam victus. L. Cincius Alimentus prætor Siciliæ JC. et hist.

U. C. 543. A. C. 209. Olymp. 142, 4. (Liv. XXVII, 6.)

Q. Fulvius Flaccus IV, Q. Fabius Max. Verrucosus V. Primus Curio max. ex plebe. C. Valerius flamen Dialis jus priscum in senatum veniendi usurpat. Aurum vicesimarium

promitur. Tarentum proditur Fabio. Hasdrubal a Scipione victus. Edesco, Mandonius, Indibilis, Massiva.

U. C. 544. A. C. 208. Olymp. 143, 1. (Liv. XXVII, 21.)

M. Claudius Marcellus V, *T. Quintius Crispinus*, qui pereunt. Philippi fortuna varia.

U. C. 545. A. C. 207. Olymp. 143, 2. (Liv. XXVII, 34.)

C. Claudius Nero, *M. Livius Salinator II*, qui Hasdrubalem ad Metaurum cædunt et triumphant. Coloni maritimi et volones scribuntur milites. Hannibal in Bruttios repulsus bisque victus a Nerone. Mago, Hanno et Hasdrubal a Scipione et M. Silano victi; Philippus, Achæi, Acarnanes, Bœoti et Eubœi a P. Sulpicio proc., Attalo et Ætolis. Primi nummi aurei; vid. Plin. XXXIII, 3, 13.

U. C. 546. A. C. 206. Olymp. 143, 3. (Liv. XXVIII, 10.)

L. Veturius Philo, *Q. Cæcilius Metellus*. Masinissa transit ad Scipionem, qui Pœnos ex Hispania pellit, et ad Syphacem in Africam trajicit. Seditio in castris Scipionis, eo ægrotante orta, et ludi funebres ab eo editi. Deditio Mandonii et Indibilis. A. C. 206-191 Nabis.

U. C. 547. A. C. 205. Olymp. 143, 4. (Liv. XXVIII, 38.)

P. Cornelius Scipio (Africanus), *P. Licinius Crassus Dives*, JC. et pont. max. Scipio in Sicilia cum Catone quæstore, et C. Lælius in Africa. Locri capti. Q. Pleminii crudelitas. A. C. 205-123 Polybius.

U. C. 548. A. C. 204. Olymp. 144, 1. (Liv. XXIX, 11.)

M. Cornelius Cethegus, *P. Sempronius Tuditanus*. Philippo pax datur. Mater Idæa a Pessinunte Romam advecta et excepta a P. Cornelio Scipione Nasica, viro bonorum optimo et summo JCto. Syphax, ducta Hasdrubalis filia, societatem init cum Pœnis, et Scipio in Africam trajicit. M. Cornelius acerbas quæstiones habet in Etruria. Lex Cincia de donis et

muneribus, a M. Cincio Alimento trib. pl. lata. M. Livius Salinator et C. Claudius Nero censores severi et discordes. A. C. 204-181 Ptolemæus V. Epiphanes.

U. C. 549. A. C. 203. Olymp. 144, 2. (Liv. XXX, 1.)

Cn. Servilius Cæpio, C. Servilius Geminus. Castra Syphacis et Hasdrubalis incensa a Scipione, Lælio et Masinissa. Rex capitur, et Masinissa venenum mittit Sophonisbæ. Mago et Hannibal in Africam revocantur. Mors Fabii.

U. C. 550. A. C. 202. Olymp. 144, 3. (Liv. XXX, 26.)

M. Servilius Pulex Geminus, Ti. Claudius Nero. Hannibal ad Zamam et Vermina vincuntur.

U. C. 551. A. C. 201. Olymp. 144, 4. (Liv. XXX, 40.)

Cn. Cornelius Lentulus, P. Ælius Pætus JC. Finis belli Punici II. Syphax moritur. Regnum Masinissæ ampliatur. Scipionis triumphus et cognomen Africani.

U. C. 552. A. C. 200. Olymp. 145, 1. (Liv. XXXI, 4.)

P. Sulpicius Galba Max. II, C. Aurelius Cotta. Bella adv. Philippum, Gallos, Insubres, Ligures et in Hispania. Pleuratus, Amynander, Attalus, Dardani, Rhodii, Ætoli et Athenienses Romanorum socii. Philippus Atticam diripit.

U. C. 553. A. C. 199. Olymp. 145, 2. (Liv. XXXI, 49.)

L. Cornelius Lentulus, P. Villius Tappulus. Eadem bella.

U. C. 554. A. C. 198. Olymp. 145, 3. (Liv. XXXII, 7.)

Sex. Ælius Pætus Catus JC., T. Quintius Flamininus. Hic, ex quæstore consul factus, terra, et L. Quintius frater mari bellum adv. Philippum et Græcos, ejus socios, gerit. Achæi diu dubii Romanis junguntur opera Aristæni prætoris. Cato feneratores fugat e Sardinia et sumptus a sociis in cultum prætorum factos minuit tollitve.

U. C. 555. A. C. 197. Olymp. 145, 4. (Liv. XXXII, 27.)

C. Cornelius Cethegus, *Q. Minucius Rufus.* Gallia Cispad. subacta. Sex prætores primum creati. Philippus ad Cynoscephalas vincitur a T. Quintio et pacem petit. Ætoli superbi. Acarnanes Romanis se dedunt. Antiochus bellum molitur adv. Ptolemæum et Romanos. Attali mors. A. C. 197-158 Eumenes II.

U. C. 556. A. C. 196. Olymp. 146, 1. (Liv. XXXIII, 24.)

L. Furius Purpureo, M. Claudius Marcellus. Bœoti Romanis irati. Leges pacis Philippo datæ. Græciæ libertas Isthmiis ludis a præcone proclamata jussu T. Quintii. Gallorum clades. Antiochi expeditiones. Triumviri epulones primum fiunt.

U. C. 557. A. C. 195. Olymp. 146, 2. (Liv. XXXIII, 42.)

L. Valerius Flaccus, *M. Porcius Cato*, orator, JC. et hist. Pecuarii damnati. Ver sacrum. Antiochus, Ætoli et Nabis suspecti. Hannibal, severus suffes, cives offendit potentes, et, ne Romanis dedatur, ad Antiochum profugit. Lex Oppia de cultu mulierum abrogatur invito Catone. Egregius hic imperator omnes cis Iberum Hispanos subigit armisque privat; et ex ferrariis argentariisque magna instituit vectigalia. Ti. Quintius Nabidem ad pacem petendam compellit, et Argivorum libertatem Nemeorum die promulgari jubet.

U. C. 558. A. C. 194. Olymp. 146, 3. (Liv. XXXIV, 42, 54.)

P. Cornelius Scipio Africanus II, *Ti. Sempronius Longus.* Sex. Ælius Pætus et C. Cornelius Cethegus censores. Loca senatoria in ludis Rom. secreta a populo. Galli victi. T. Quintius per Græciam Italiamque triumphans invehitur.

U. C. 559. A. C. 193. Olymp. 146, 4. (Liv. XXXIV, 54.)

L. Cornelius Merula, *Q. Minucius Thermus.* Prima Megalesia; quos ludos primum senatus a populo secretus spectat.

Legati Antiochi. Pœnorum et Masinissæ discordia. Res in Hispaniis et Gallia Cisalp. gestæ. Feneratorum fraus et avaritia coercitæ.

U. C. 560. A. C. 192. Olymp. 147, 1. (Liv. XXXV, 10.)

L. Quintius Flamininus, Cn. Domitius Ahenobarbus. Bellum ab Antiocho, Nabide et Ætolis paratur. Hispani et Galli devicti. Artaxias I.

U. C. 561. A. C. 191. Olymp. 147, 2. (Liv. XXXV, 24.)

P. Cornelius Scipio Nasica, M'. Acilius Glabrio. Philopœmen. Nabis ab Alexameno fraudulenter interficitur. Antiochus, in Græciam accitus ab Ætolis, opera Thoantis, principis Ætolorum, multos Græcos sibi conciliat, repudiatque Hannibalis consilia: sed victus ab Acilio ad Thermopylas Ephesum transmittit. Philippus, socius Rom., oppugnatione Lamiæ absistere jubetur. Ætolorum animi franguntur. Boii, Ligures et Hispani victi. A. C. 191-159 Terentius.

U. C. 562. A. C. 190. Olymp. 147, 3. (Liv. XXXVII, 1.)

L. Cornelius Scipio Asiaticus, C. Lælius. P. Scipio Africanus legatus fratris. Ætoli inducias ægre impetrant. L. Scipio in Asiam transit, et Antiocho ad Magnesiam victo dat pacem.

U. C. 563. A. C. 189. Olymp. 147, 4. (Liv. XXXVII, 47.)

M. Fulvius Servius Nobilior, Cn. Manlius Vulso. Ætolis triste responsum a senatu, et perdomitis pax datur. Decem legati componunt res Asiæ. T. Quintius Flamininus et M. Claudius Marcellus censores. Gallogræci a Manlio devicti. Lacedæmonii a Philopœmene ad muros diruendos, revocandos exsules et leges Lycurgi abrogandas compelluntur.

U. C. 564. A. C. 188. Olymp. 148, 1. (Liv. XXXVIII, 35.)

M. Valerius Messalla, C. Livius Salinator. Leges de novis

civibus latæ, et conditiones pacis cum Antiocho factæ. Cn. Manlii impeditum per Thraciam iter.

U. C. 565. A. C. 187. Olymp. 148, 2. (Liv. XXXVIII, 42.)
M. Æmilius Lepidus, *C. Flaminius*. Cn. Manlius et M. Fulvius opera amicorum impetrant triumphum. Scipio Africanus a Petilliis accusatur, et L. Scipio Asiaticus frater damnatur auctore M. Catone, et adversante Ti. Sempronio Graccho, inimico et mox genero P. Scipionis. Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Manlii Asiatico invecta. Ligures domiti. A. C. 187-176 Seleucus IV Philopator.

U. C. 566. A. C. 186. Olymp. 148, 3. (Liv. XXXIX, 6.)
Sp. Postumius Albinus, *Q. Marcius Philippus*. Quæstio et SC. de Bacchanalibus. Q. Marcius in saltu (Marcio) a Liguribus circumventus. Celtiberi victi. Taurilia. Ludi Græci, athletarum certamen et venatio a M. Fulvio primum data. Ludi L. Scipionis ab artificibus Asiaticis editi.

U. C. 567. A. C. 185. Olymp. 148, 4. (Liv. XXXIX, 23.)
Ap. Claudius Pulcher, *M. Sempronius Tuditanus*. Græcorum et Eumenis querelæ de Philippo, qui legatorum Rom. sententia graviter offensus belli consilia agitat. Res in Hispania Liguriaque gestæ.

U. C. 568. A. C. 184. Olymp. 149, 1. (Liv. XXXIX, 32.)
C. Claudius Pulcher, *L. Porcius Licinus*. M. Porcius Cato et L. Valerius Flaccus censores. Legati Rom. missi in Græciam et Demetrius a Philippo patre Romam. P. Cornelius Cethegus, mortuo prætore urbano, utramque jurisdictionem accipit. Plautus obit.

U. C. 569. A. C. 183. Olymp. 149, 2. (Liv. XXXIX, 45.)
M. Claudius Marcellus, *Q. Fabius Labeo*. Philopœmen, Hannibal et P. Scipio moriuntur. Demetrius et Perseus fratres discordes. Aquileia, Mutina, Parma et Saturnia coloniæ. Pharnaces I Lycortas.

U. C. 570. A. C. 182. Olymp. 149, 3. (Liv. XXXIX, 56.)

Cn. Bæbius Tamphilus, L. Æmilius Paullus. Philippus invisus Macedonibus. Poridis et Theoxenæ facinus. Perseus accusator fratris. Contentio Pœnorum cum Masinissa. Res in Liguria et Hispaniis gestæ.

U. C. 571. A. C. 181. Olymp. 149, 4. (Liv. XL, 18.)

P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Tamphilus. Demetrius fratris jussu interficitur. Scripta Numæ inventa. Prælia cum Liguribus, Celtiberis, Lusitanis, Corsis et Iliensibus facta. Prima statua aurata. A. C. 181-147 Ptolemæus VI Philometor. 181-171 Phraates I. Lex sumptuaria, a C. Orchio trib. pl. lata.

U. C. 572. A. C. 180. Olymp. 150, 1. (Liv. XL, 35.)

A. Postumius Albinus (Luscus), C. Calpurnius Piso, et *Q. Fulvius Flaccus,* cujus mater Calpurnium maritum veneno necasse credebatur. Quæstio de veneficiis. Celtiberi cæsi, et Ligures Apuani in Samnium traducti. Gentius, Illyriorum rex, latrocinii maritimi reus.

U. C. 573. A. C. 179. Olymp. 150, 2. (Liv. XL, 43.)

L. Manlius Acidinus Fulvianus, Q. Fulvius Flaccus, fratres germani. Lex annalis a L. Villio trib. pl. lata. M. Æmilius Lepidus et M. Fulvius Nobilior, censores discordes, reconciliantur. Ti. Sempronius Gracchus proprætor Celtiberiam subigit. Philippo mortuo Perseus regnum invadit.

U. C. 574. A. C. 178. Olymp. 150, 3. (Liv. XL, 59.)

M. Junius Brutus, A. Manlius Vulso. Bellum Istricum. Iliensium Balarorumque tumultus in Sardinia. Jesus Siracides.

U. C. 575. A. C. 177. Olymp. 150, 4. (Liv. XLI, 8.)

C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus. Latini, qui Romam commigraverant, in civitates redire jubentur. Istria

pacata. Balari, Ilienses Liguresque victi. Cæcilius Statius poeta.

U. C. 576. A. C. 176. Olymp. 151, 1. (Liv. XLI, 14.)

Cn. Cornelius Scipio Hispallus, Q. Petillius Spurinus et *C. Valerius Lævinus.* Latinæ instauratæ. Sardinia a Ti. Sempronio proc. pacata. Cornelius decedit, et Petillius in Liguria ad Leti jugum perit. Galli Liguresque perdomiti. Perseus inter Dardanos Bastarnasque certamina miscet. A. C. 176-163 Antiochus V Epiphanes s. Epimanes.

U. C. 577. A. C. 175. Olymp. 151, 2.

P. Mucius Scævola, M. Æmilius Lepidus II. Perseus bellum parat. A. C. 175-137 Mithridates I.

U. C. 578. A. C. 174. Olymp. 151, 3. (Liv. XLI, 21.)

Sp. Postumius Albinus Paullulus, Q. Mucius Scævola. Perseus in Græciam proficiscitur, sollicitatque Pœnos et Achæos. Ætolorum bella intestina. In Celtiberia debellatum ab Ap. Claudio. Q. Fulvius Flaccus, qui fratrem senatu movet, et A. Postumius Albinus censores vias sternendas silice in Urbe, glareâ extra eam substruendas marginandasque locant, et faciunt pontes, carceres in Circo, ova, etc. A. C. 174-128 (al. 147-102) Lucilius.

U. C. 579. A. C. 173. Olymp. 151, 4. (Liv. XLI, 28.)

L. Postumius Albinus, M. Popillius Lænas. Impensæ a sociis in magistratus Rom. faciendæ. Corsi Liguresque se dedunt.

U. C. 580. A. C. 172. Olymp. 152, 1. (Liv. XLII, 9.)

C. Popillius Lænas, P. Ælius Ligur, ambo de plebe. Eumenes Romanis suspectum facit Persen, qui in eum percussores mittit. Pœnorum et Gulussæ contentiones in senatu Rom. Apparatus belli adv. Persea. Primi pistores Romæ; vid. Plin. XVIII, 11, 28.

U. C. 581. A. C. 171. Olymp. 152, 2. (Liv. XLII, 28.)

P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Delectus acrior. Legationes et socii Rom. Perseus frustra bellum deprecatur, et victoria uti nescit. Provinciæ avare et crudeliter administratæ. Cotys II.

U. C. 582. A. C. 170. Olymp. 152, 3. (Liv. XLIII, 4.)

A. Hostilius Mancinus, A. Atilius Serranus. Res in Macedonia haud prospere gestæ.

U. C. 583. A. C. 169. Olymp. 152, 4. (Liv. XLIII, 11.)

Q. Marcius Philippus II, Cn. Servilius Cæpio. C. Claudius Pulcher et Ti. Sempronius Gracchus censores, qui delectum edicto adjuvant, sed ordinem equestrem publicanosque offendunt. Res a Marcio bene gestæ in Macedonia. Lex Voconia testamentaria, a Q. Voconio Saxa trib. pl. lata. Gentius et Eumenes suspecti. Rhodiorum stulta postulatio. A. C. 169-116 Ptolemæus VII Evergeta s. Physcon.

U. C. 584. A. C. 168. Olymp. 153, 1. (Liv. XLIV, 17.)

L. Æmilius Paullus II, C. Licinius Crassus. Perseus Rhodios et Antiochum sollicitat, et Eumeni, Gentio Gallisque pecuniam promissam non solvit. L. Anicius prætor Illyricum expugnat et Gentium capit. Eclipsis lunæ prædicta a C. Sulpicio Gallo. Perseus ad Pydnam ab Æmilio victus, et in Samothracia captus. C. Popillius Lænas legatus punit Rhodios, et Antiochum, virga circumscriptum, a bello Ptolemæo inferendo absterret. Libertini in tribum Esquilinam a censoribus conjecti. Metrodorus philos. et pictor.

U. C. 585. A. C. 167. Olymp. 153, 2. (Liv. XLV, 16.)

Q. Ælius Pætus, M. Junius Pennus. Rhodiis dubium datur responsum. Macedonia et Illyricum provinciæ Rom. Triumphus et Æmilii, a Ser. Sulpicio Galba militibusque frustra impeditus, et Anicii. Oratio Æmilii de sua fortuna.

A. C. 167-135 Judas, Jonathan et Simon fratres, Machabæi s. Hasmonæi.

U. C. 586. A. C. 166. Olymp. 153, 3. (Liv. XLV, 44.)

M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus. Prusiæ adventus et humilitas. Eumenes Italia excedere jubetur,ferturque lex, ne cui regi Romam venire liceat.

U. C. 587. A. C. 165. Olymp. 153, 4.

T. Manlius Torquatus JC., Cn. Octavius. Rhodii deprecantes in societatem Rom. recipiuntur.

U. C. 588. A. C. 164. Olymp. 154, 1.

A. Manlius Torquatus, Q. Cassius Longinus. Mors Persei. L. Æmilius Paullus et Q. Marcius Philippus censores. Hic melius horologium in publico, ille Minervam, Phidiæ opus, in æde Fortunæ ponit.

U. C. 589. A. C. 163. Olymp. 154, 2.

Ti. Sempronius Gracchus II, M. Juventius Thalna, qui præ lætitia moritur. C. Sulpicius Gallus, in Græciam et Asiam missus, insolenter agit, et civitates aliquot dissociat a fœdere Achaico. Legati Rom. concordiam restituunt inter Ptolemæos fratres, Philometorem et Physconem, opesque regnorum minuere jubentur. A. C. 163-161 Antiochus V Eupator puer, cujus tutor est Lysias.

U. C. 590. A. C. 162. Olymp. 154, 3.

P. Cornelius Scipio Nasica Corculum, C. Marcius Figulus, P. Cornelius Lentulus, Cn. Domitius Ahenobarbus. Res in Corsica, Liguria et Lusitania gestæ. Ptolemæo Physconi a fratre Cyprus datur jussu senatus Rom.

U. C. 591. A. C. 161. Olymp. 154, 4.

M. Valerius Messalla, C. Fannius Strabo. Lex Fannia sumptuaria. SC. de philosophis et rhetoribus Urbe pellendis. A. C. 161-149 Demetrius I Soter.

U. C. 592. A. C. 160. Olymp. 155, 1.

L. Anicius Gallus, M. Cornelius Cethegus, qui paludes Pomtinas exsiccare cœpit. Cn. Tremellio trib. pl., qui M. Æmilii Lepidi pont. max. (qui etiam bis consul fuerat, et proximo anno princeps senatus quintum lectus est) majestatem verbis violaverat, mulcta dicta. Nicander poeta.

U. C. 593. A. C. 159. Olymp. 155, 2.

Cn. Cornelius Dolabella, M. Fulvius Nobilior. Lex de ambitu lata. P. Cornelius Scipio Nasica Corculum (qui primus clepsydram et sub tecto dedicavit) et M. Popillius Lænas censores tollunt circa forum statuas. Plin. XXXIV, 6, 13.

U. C. 594. A. C. 158. Olymp. 155, 3.

M. Æmilius Lepidus, C. Popillius Lænas II. Ptolemæorum discordia a senatu Rom. iterum sublata. C. Fannius legatus in Dalmatiam et Illyricum missus. M. Fulvius proc. de Eleatibus, Liguriæ populo, triumphat. Hipparchus Nicæensis mathem. A. C. 158-136 Attalus II Philadelphus.

U. C. 595. A. C. 157. Olymp. 155, 4.

Sex. Julius Cæsar, L. Aurelius Orestes. Ariarathes, regno Cappad. ab Oropherne pulsus, sua virtute et Attali opera restituitur. M. Cato in Africam missus propter perpetuas Pœnorum cum Masinissa contentiones.

U. C. 596. A. C. 156. Olymp. 156, 1.

L. Cornelius Lentulus Lupus, C. Marcius Figulus II, JC. Bellum Dalmaticum. Lex Ælia de comitiis, et Fufia, ne omnibus diebus fastis legem ferre liceret.

U. C. 597. A. C. 155. Olymp. 156, 2.

P. Cornelius Scipio Nasica Corculum II, M. Claudius Marcellus II. Carneades, Diogenes Babyl. et Critolaus philosophi et legati ab Atheniens. Romam missi, et Catone auctore mox dimissi. Prusias Attalo bellum infert et eo abstinet jussu

senatus Rom. In eo tractatur causa exsulum Achaicorum. Bella cum Lusitanis, Liguribus et Dalmatis gesta.

U. C. 598. A. C. 154. Olymp. 156, 3.

Q. Opimius, *L. Postumius Albinus* et *M'. Acilius Glabrio.* Ligures victi. Ptolemæorum et Prusiæ Attalique bellum et pax, a Romanis composita. M. Valerius Messalla et C. Cassius Longinus censores. Pacuvius. A. C. 154-124 Mithridates V.

U. C. 599. A. C. 153. Olymp. 156, 4.

Q. Fulvius Nobilior, T. Annius Luscus, qui primi Cal. Jan. magistratum ineunt. Bella in Hispaniis gesta. Bellum Prusiæ et Attali Romanorum opera finitum. Lex Scatinia de nefanda Venere? Nicander poeta et Philo Byzant. mathem.

U. C. 600. A. C. 152. Olymp. 157, 1.

M. Claudius Marcellus III, L. Valerius Flaccus. Pœnis exercitum grandem cogentibus, bellum suadet M. Cato, adversante P. Scipione Nasica, qui legatus Carthaginem mittitur. Marcellus in Celtiberia Nercobricis, Bellis et Titthis dat inducias, et Cordubam condit. Crates Mallotes.

U. C. 601. A. C. 151. Olymp. 157, 2.

L. Licinius Lucullus, *A. Postumius Albinus*, orator et qui græce historiam scripsit. Masinissa nuntiat, Pœnos bellum struere, et decem legati Carthaginem mittuntur. Celtiberia a Marcello pacata. Bellum a Lucullo Vaccæis, Caucensibus et Intercatiensibus illatum. Ser Sulpicius Galba, proprætor et vir eloquentissimus, XXX Lusitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriathini belli causa exstitit.

U. C. 602. A. C. 150. Olymp. 157, 3.

T. Quintius Flamininus, M'. Acilius Balbus. Bellum Pœnorum cum Masinissa. Achæorum exsules reducti, adnitentibus Polybio et P. Scipione. Agatharchides. A. C. 150-100 libri Machab. scripti.

U. C. 603. A. C. 149. Olymp. 157, 4.

L. Marcius Censorinus, *M'. Manilius* JC. Bellum Punicum III. Virtus Scipionis. Lex Calpurnia, prima de repetundis, lata a L. Calpurnio Pisone trib. pl., qui etiam annales scripsit et orationes, consulque fuit A. U. 619, et censor 632. Andriscus s. Pseudophilippus Macedoniam occupat.

U. C. 604. A. C. 148. Olymp. 158, 1.

Sp. Postumius Albinus, *L. Calpurnius Piso Cæsonius.* Prusias Nicomedi filio insidians hujus jussu occiditur. Masinissa decedit, et P. Scipio Æmilianus inter liberos ejus regnum dividit. P. Scipio Nasica et P. Juventius Thalna adv. Andriscum missi. A. C. 148-145 Alexander Balas rex Syriæ.

U. C. 605. A. C. 147. Olymp. 158, 2.

P. Cornelius Scipio Æmilianus (Africanus Numantinus, adolescens, ædilitatem petens), *C. Livius Drusus Mamilianus* JC. Andriscus a Q. Cæcilio Metello Macedonico bis victus ei traditur a Byra Thraciæ regulo. Scipio Megara, Nepherim aliasque Carthaginis partes, præter Byrsam, et castra Hasdrubalis expugnat. Bellum Achaicum et Diæi molimina. Metellus triumphat, et primus ædem ex marmore facit cum porticu.

U. C. 606. A. C. 146. Olymp. 158, 3.

Cn. Cornelius Lentulus, *L. Mummius* Achaicus. Excidium Carthaginis et Corinthi. A. C. 146-140 bellum cum Viriatho Lusitanorum duce.

U. C. 607. A. C. 145. Olymp. 158, 4.

Q. Fabius Max. Æmilianus, *L. Hostilius Mancinus.* Panætius. L. Cassius Hemina. A. C. 145-140 et 130-125 Demetrius II Nicator; Antiochus VI Entheus et tutor ejus Diodotus s. Tryphon.

U. C. 608. A. C. 144. Olymp. 159, 1.

Ser. Sulpicius Galba, L. Aurelius Cotta.

U. C. 609. A. C. 143. Olymp. 159, 2.

Ap. Claudius Pulcher, Q. Cæcilius Metellus Macedonicus. Appius victis Salassis injussu populi triumphat assidente in curru filia, Vestali, ne tribunorum aliquis intercedat. Celtiberi et Numantini a Metello fusi. P. Scipio, Mummius et L. Cæcilius Metellus in Asiam et Ægyptum missi. Lex Didia sumptuaria. A. C. 143-133 bellum Numantinum.

U. C. 610. A. C. 142. Olymp. 159, 3.

L. Cæcilius Metellus Calvus, Q. Fabius Max. Servilianus. P. Cornelius Scipio et L. Mummius censores discordes. Pseudophilippus alter a Cn. Tremellio Scrofa quæstore cæsus cum exercitu. L. Hostilius Tubulus prætor, qui palam pecunias ob res judicandas ceperat, accusatur.

U. C. 611. A. C. 141. Olymp. 159, 4.

Q. Pompeius Rufus Bithynicus, Cn. Servilius Cæpio. D. Junius Silanus prætorius, qui Macedoniam provinciam spoliaverat, a T. Manlio Torquato patre damnatus. Q. Fabius pacem dat Viriatho.

U. C. 612. A. C. 140. Olymp. 160, 1.

L. Lælius Sapiens, Q. Servilius Cæpio. Hic Viriathum per proditores necandum curat; dux militibus invisus et pæne combustus. Q. Pompeius, a Numantinis sæpius fusus, pacem cum iis facit, et metu belli liberatus eam factam inficiatur. Lex Memmia de nominibus virorum, reip. causa absentium, inter reos non recipiendis.

U. C. 613. A. C. 139. Olymp. 160, 2.

Cn. Calpurnius Piso, M. Popillius Lænas. Peregrinarum

religionum cultores et Chaldæi ex Italia pulsi. Lex Gabinia tabellaria. P. Scipio et L. Cotta accusati.

U. C. 614: A. C. 138. Olymp. 160, 3.

P. Cornelius Scipio Nasica Serapio, *D. Junius Brutus* Callaicus. Hic Valentiam condit. Popillius ad Numantiam male rem gerit. C. Matienus, qui exercitum in Hispania deseruerat, graviter punitur. Apollodorus Athen. mythogr. Posidonius Stoicus. Demetrius Scepsius. Castor chronogr.

U. C. 615. A. C. 137. Olymp. 160, 4.

M. Æmilius Lepidus Porcina, *C. Hostilius Mancinus.* Hic malis ominibus profectus et fugatus a Numantinis pacem cum iis facit per Ti. Gracchum. Brutus plurimos Hispaniarum populos perdomat et transit Oblivionis flumen. Diodotus s. Tryphon rex Syriæ. Lex Cassia tabellaria. A. C. 137-128 Phraates II.

U. C. 616. A. C. 136. Olymp. 161, 1.

L. Furius Philus, *Sex. Atilius Serranus.* Gallæci a Bruto devicti. M. Æmilius a Pallantinis in Vaccæis fugatus damnatur. Mancinus Numantinis deditus non recipitur. A. C. 136 bellum servile in Sicilia. Fugitivorum duces Eunus et Cleon. L. Attius s. Accius. A. C. 136-133 Attalus III Philometor.

U. C. 617. A. C. 135. Olymp. 161, 2.

Ser. Fulvius Flaccus, *Q. Calpurnius Piso.* Ardyæi domiti. A. C. 135-106 Joannes Hyrcanus.

U. C. 618. A. C. 134. Olymp. 161, 3.

P. Cornelius Scipio Æmil. II. Africanus, Numantinus, *C. Fulvius Flaccus.* Scipio exercitum Hispanicum, licentia, luxu et ignavia corruptum, ad severam revocat disciplinam. Jugurtha et C. Marius in ejus castris tirocinia ponunt.

U. C. 619. A. C. 133. Olymp. 161, 4.

P. Mucius Scævola. Pont. max., orator et JC. qui primus fundavit jus civile ejusque scientiam in familiam Muciam intulit, *L. Calpurnius Piso Frugi* (vide ad U. C. 603). Pergamus aut potius bona Attali III populo Rom. hereditate relicta. Numantia a Scipione capta deletur. Seditio, leges agrariæ et mors Ti. Sempronii Gracchi trib. pl. Antiochus VII Evergetes s. Sidetes Hierosolyma obsidet.

U. C. 620. A. C. 132. Olymp. 162, 1.

P. Popillius Lænas, P. Rupilius Lupus. Bellum Asiaticum cum Aristonico. Servi victi et capta Enna.

U. C. 621. A. C. 131. Olymp. 162, 2.

P. Licinius Crassus Dives Mucianus (P. Mucii Scævolæ frater, JC., orator et pont. max.), *L. Valerius Flaccus* flamen Mart. Hunc a sacris discedere vetat collega, qui ipse legibus solvitur. Q. Cæcilius Metellus Maced. et Q. Pompeius censores de plebe. C. Papirii Carbonis trib. pl. et oratoris contentio cum P. Scipione, lex tabellaria et rogatio de iisdem tribunis pl. reficiendis. P. Rupilius conficit bellum servile et leges dat Siciliæ.

U. C. 622. A. C. 130. Olymp. 162, 3.

C. Claudius Pulcher, M. Perperna. Crassus ab Aristonico victus perit. C. Atinius Labeo trib. pl. legem fert Atiniam, ut tribuni pl. senatores sint, et Metellum censorem saxo Tarpeio præcipitari jubet. Aristonicus a Perperna captus. Antiochus VII a Phraate victus perit. Ptolemæus VII Evergetes Alexandria pulsus.

U. C. 623. A. C. 129. Olymp. 162, 4.

C. Sempronius Tuditanus, M'. Aquillius. Ille Japydas debellat, hic conficit reliquias belli Asiatici et fontibus venenum

miscet. C. Gracchus, C. Carbo et M. Fulvius Flaccus, triumviri agris dividundis, turbas cient, et P. Scipio Afric., adversarius eorum, in cubiculo suo exanimis reperitur.

U. C. 624. A. C. 128. Olymp. 163, 1.

Cn. Octavius, T. Annius Luscus Rufus. A. C. 128-124 Artabanus II.

U. C. 625. A. C. 127. Olymp. 163, 2.

L. Cassius Longinus Ravilla, L. Cornelius Cinna.

U. C. 626. A. C. 126. Olymp. 163, 3.

M. Æmilius Lepidus, L. Aurelius Orestes. Lex Junia, a M. Junio Penna trib. pl. lata, de peregrinis Urbe pellendis. Eam frustra dissuadet C. Gracchus, qui quæstor in Sardiniam mittitur.

U. C. 627. A. C. 125. Olymp. 163, 4.

M. Plautius Hypsæus, M. Fulvius Flaccus, qui sociis civitatem Rom. daturus turbas movet. Cn. Servilii Cæpionis et L. Cassii Longini severa censura et aqua Tepula. Fregellana rebellio a L. Opimio prætore oppressa. Seleucus V.

U. C. 628. A. C. 124. Olymp. 164, 1.

C. Cassius Longinus, C. Sextius Calvinus. A. C. 124-63 Mithridates VI Eupator Magnus.

U. C. 629. A. C. 123. Olymp. 164, 2.

Q. Cæcilius Metellus Balearicus, *T. Quintius Flamininus.* Baliares s. Gymnesiæ a Metello expugnatæ. M. Fulvius proc. triumphat de Salluviis, Liguribus et Vocontiis, annoque proximo de iisdem C. Sextius proc., qui Aquas Sextias condidit. C. Gracchi trib. pl. leges Semproniæ. Alexander II rex Syriæ.

U. C. 630. A. C. 122. Olymp. 164, 3.

Cn. Domitius Ahenobarbus, *C. Fannius Strabo*. C. Gracchi et M. Livii Drusi tribunorum pl. leges. C. Gracchus, M. Fulvius et Q. Rubrius triumviri coloniæ Carthaginem deducendæ ex lege a Q. Rubrio trib. pl. lata. Bituitus, Arvernorum rex, et Allobroges a Domitio victi. L. Cœlius Antipater, C. Sempronius Asellio, C. Fannius hist. A. C. 122-97 Antiochus VIII Grypus.

U. C. 631. A. C. 121. Olymp. 164, 4.

L. Opimius (unde vinum Opimianum, quod largius provenit hoc anno), *Q. Fabius Max. Allobrogicus*. Ab hoc Arverni cæduntur et Allobroges; ab illius satellitibus C. Gracchus et M. Fulvius Flaccus necantur. Bituitus captus cum filio Cogentiato.

U. C. 632. A. C. 120. Olymp. 165, 1.

P. Manilius, *C. Papirius Carbo* (vide ad a. U. 621). L. Calpurnius Piso Frugi et Q. Cæcilius Metellus Balear censores. P. Decius trib. pl. Opimio diem dicit ob cædem civis Rom. indemnati.

U. C. 633. A. C. 119. Olymp. 165, 2.

L. Aurelius Cotta, *L. Cæcilius Metellus* Dalmaticus, a quo subacti Dalmatæ. C. Carbo, qui Africano vim attulisse credebatur, accusatus a L. Licinio Crasso, summo oratore, cantharidis sumptis judicio se subtrahit. C. Marius Arpinas trib. pl. legem fert de ambitu, ut pontes angustiores fiant, et viatorem mittit ad Cottam cos. prehendendum.

U. C. 634. A. C. 118. Olymp. 165, 3.

M. Porcius Cato, *Q. Marcius Rex*, et Catone mortuo *Q. Ælius Tubero*. Stœni a Marcio devicti, et Narbo Marcius colonia. Micipsa mortuo regnum inter se dividunt Adherbal, Hiempsal et Jugurtha.

U. C. 635. A. C. 117. Olymp. 165, 4.

L. Cæcilius Metellus Diadematus. *Q. Mucius Scævola* JC. et augur. Jugurtha Hiempsalem necat, pellitque Adherbalem, qui jussu senatus Rom. restituitur.

U. C. 636. A. C. 116. Olymp. 166, 1.

C. Licinius Geta, *Q. Fabius Max.* Eburnus. C. Marius de ambitu postulatus. A. C. 116-81 Ptolemæus VIII Soter s. Lathurus.

U. C. 637. A. C. 115. Olymp. 166, 2.

M. Æmilius Scaurus (orator et princeps senatus), *M. Cæcilius Metellus*. C. Marius prætor. Æmilius triumphat de Carnis et a Placentia ad Parmam viam munit. Idem leges, cibariam et de libertinorum suffragiis, fert, coercetque P. Decium prætorem non adsurgentem. L. Cæcilius Metellus Dalmat. et Cn. Domitius Ahenob. censores severi.

U. C. 638. A. C. 114. Olymp. 166, 3.

M'. Acilius Balbus; *C. Porcius Cato*. Lusitania a C. Mario pacata. Cato a Scordiscis fusus. Æmilia, Licinia et Marcia Vestales damnatæ. A. C. 114-95 Antiochus IX Cyzicenus Philopator. 114-25 M. Terentius Varro.

U. C. 639. A. C. 113. Olymp. 166, 4.

C. Cæcilius Metellus Caprarius, *Cn. Papirius Carbo*. A. C. 113-100 Cimbri, Teutoni (a quibus Carbo vincitur), Ambrones et Tigurini.

U. C. 640. A. C. 112. Olymp. 167, 1.

M. Livius Drusus (vide ad A. U. 630), *L. Calpurnius Piso Cæsoninus*. Scordisci a T. Didio proprӕt. et Druso victi. Samaria a Joanne Hircano diruta. Adherbal a Jugurtha occisus.

U. C. 641. A. C. 111. Olymp. 167, 2.

P. Cornelius Scipio Nasica, Serapionis f., *L. Calpurnius Piso Bestia.* A. C. 111-106 bellum Jugurthinum. Charmadas, Clitomachus, Æschines, Metrodorus, Diodorus philosophi.

U. C. 642. A. C. 110. Olymp. 167, 3.

M. Minucius Rufus, *Sp. Postumius Albinus.* Jugurtha Romæ C. Bæbium trib. pl. corrumpit occiditque Massivam. Nova pax ignominiosa.

U. C. 643. A. C. 109. Olymp. 167, 4.

Q. Cæcilius Metellus Numidicus, *M. Junius Silanus.* Ille Jugurtham sæpius fugat; hic a Cimbris vincitur. A. C. 109-32 Atticus. M. Æmilius Scaurus et M. Livius Drusus censores. Ille collega mortuo abdicat, tribunis carcerem minitantibus. Via Æmilia et pons Mulvius opera ejus.

U. C. 644. A. C. 108. Olymp. 168, 1.

Ser. Sulpicius Galba orator, *Q. Hortensius*, *M. Aurelius Scaurus* orator. Marii inimicitiæ cum Metello, et insidiæ Jugurthæ structæ.

U. C. 645. A. C. 107. Olymp. 168, 2.

C. Marius, *L. Cassius Longinus*, *M. Æmilius Scaurus II.* Cassius a Tigurinis cæsus cum L. Pisone et exercitu. Jugurtha et Bocchus, Maurorum rex, a Mario sæpius victi. Lex Cœlia tabellaria, et Thoria agraria.

U. C. 646. A. C. 106. Olymp. 168, 3.

C. Atilius Serranus, *Q. Servilius Cæpio.* Hic diripit Tolosam aurumque Tolosanum intervertit. Jugurtha a Boccho traditur Sullæ, superbo quæstori Marii. Lex Servilia judiciaria, et Acilia de repetundis. Judas Aristobulus. A. C. 106-88 Ptolemæus IX s. Alexander I. 106-148 Cn. Pompeius M. 106-43 M. Tullius Cicero.

U. C. 647. A. C. 105. Olymp. 168, 4.

P. Rutilius Rufus orator, JC. et philos. *Cn. Manlius Maximus.* Hujus et Cæpionis exercitus a Cimbris occidione occisi. M. Scaurus a Boiorige captus et necatus. Imperium Cæpioni abrogatum. Servile bellum in Campania a P. Vettio equite Rom. concitatum et a L. Lucullo prætore oppressum.

U. C. 648. A. C. 104. Olymp. 169, 1.

C. Marius II, *C. Flavius Fimbria.* Lex Domitia de sacerdotiis. A. C. 104-99 bellum servile in Sicilia. Salvius s. Tryphon et Athenio duces fugitivorum. Sulla Marii legatus Gallos fundit, et Copillum regulum capit. A. C. 104-77 Jannæus Alexander.

U. C. 649. A. C. 103. Olymp. 169, 2.

C. Marius III, *L. Aurelius Orestes.* Cilices piratæ a M. Antonio prætore domiti. C. Memmius, T. Albutius, M. Junius Silanus et M. Scaurus accusantur. Cimbri a Celtiberis, Thraces a Pisone, et servi a L. Lucullo fusi. Artemidorus geogr.

U. C. 650. A. C. 102. Olymp. 169, 3.

C. Marius IV, *Q. Lutatius Catulus.* Ad Aquas Sextias primum Ambrones a Mario victi, deinde Teutoni; et captus Teutobodus. Q. Numidicus et C. Caprarius Cæcilii Metelli, fratres patrueles, censores. L. Appuleii Saturnini tribunatus, leges et contentiones cum Q. Metello cens., C. Memmio et Q. Servilio Cæpione quæstore urb. Q. Metelli oratio de maritandis ordinibus.

U. C. 651. A. C. 101. Olymp. 169, 4.

C. Marius V, *M'. Aquillius.* Cimbri a Mario et Q. Catulo in campis Raudiis occidione occisi. Fugitivi ab Aquillio victi. Publicius Malleolus, matre necata, primus culeo insutus et in mare præcipitatus est. Appuleius, opera Marii satellitum-

que ejus, occiso A. Nonio, per vim tribunus pl. fit, et Marius consul, pecunia per tribus divisa.

U. C. 652. A. C. 100. Olymp. 170, 1.

C. Marius VI, *L. Valerius Flaccus*. Leges Serviliæ C. Glaucii prætoris. C. Memmius candidatus consulatus occiditur. Appuleii tribunatus, leges novæ, conspiratio cum C. Glaucia, C. Saufeio quæstore perfidoque Mario, et occisio. Exsilium Q. Metelli. Afranius, C. Titius et Sex. Turpilius poetæ.

U. C. 653. A. C. 99. Olymp. 170, 2.

M. Antonius orator, *A. Postumius Albinus*. Bellum servile a M'. Aquillio confectum. Sex. Titii tribunatus, leges, contentio cum M. Antonio et exsilium. Q. Metelli reditus. P. Furius trib. pl. a populo discerptus. A. C. 99-44 C. Julius Cæsar.

U. C. 654. A. C. 98. Olymp. 170, 3.

Q. Cæcilius Metellus Nepos, *T. Didius Vivius*. Lex Cæcilia Didia de modo legum promulgandarum per trinundinum et de duabus rebus una lege non per saturam ferendis seu conjungendis. M'. Aquillius, repetundarum reus, a M. Antonio defenditur. L. Valerius Flaccus et M. Antonius censores. In Asia Q. Mucius Scævola prætor et P. Rutilius Rufus legatus aut pro quæstore (vid. ad a. U. C. 647), coercent publicanorum injurias. Artavasdes I.

U. C. 655. A. C. 97. Olymp. 170, 4.

Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, *P. Licinius Crassus*. Lex Licinia sumptuaria. Anni magni conversio. A. C. 97-93 Seleucus VI Epiphanes.

U. C. 656. A. C. 96. Olymp. 171, 1.

Cn. Domitius Ahenobarbus, *C. Cassius Longinus*. Cyrena-

rum regnum testamento Ptolemæi Apionis translatum ad Romanos. Celtiberi a T. Didio et virtute Sertorii sæpius victi. Meleager Anthol.

U. C. 657. A. C. 95. Olymp. 171, 2.

L. Licinius Crassus JC. et orator, homo luxuriosus, *Q. Mucius Scævola* JC. et Pont. M., collegæ in omnibus magistratibus, præter censuram. Lex Licinia Mucia de civitate sive civibus regundis, ne quis sit pro cive, qui non sit civis; quæ præcipua fuit causa belli Italici. C. Norbanus trib. pl. diem dicit Q. Servilio Cæpioni. Antiochus X Eusebes.

U. C. 658. A. C. 94. Olymp. 171, 3.

C. Cœlius Caldus, L. Domitius Ahenobarbus. Hispaniæ, a T. Didio et P. Crasso pacatæ, a X legatis ordinatæ.

U. C. 659. A. C. 93. Olymp. 171, 4.

C. Valerius Flaccus, M. Herennius. Prætura et ludi L. Sullæ. Censura Cn. Domitii Ahenob. et L. Licinii Crassi. Antiochus XI et Philippi Philadelphi. A. C. 93-88 Demetrius III Eucærus et Philippus. 93-49 Lucretius.

U. C. 660. A. C. 92. Olymp. 172, 1.

C. Claudius Pulcher, M. Perperna. Injusta condemnatio et exsilium Rutilii (vid. ad A. U. 654). Sulla Tigranem expellit Cappadocia. M. Livii Drusi oratoris tribunatus et leges. Q. Ælius Tubero JC.

U. C. 661. A. C. 91. Olymp. 172, 2.

L. Marcius Philippus orator, *Sex. Julius Cæsar.* Drusus sociorum patronus domi occisus. A. C. 91-88 bellum sociale s. Marsicum et Italicum. Sadducæi, Pharisæi, Esseni, Synedrium. L. Cornelius Sisenna hist.

U. C. 662. A. C. 90. Olymp. 172, 3.

L. Julius Cæsar, P. Rutilius Lupus. Hi male res gerunt

adv. socios, at bene Marius, Sulla, Cn. Pompeius et Ser. Sulpicius. Ariobarzanes et Nicomedes regnis pulsi a Mithridate. Lex Varia Q. Varii Hybridæ trib. pl. de majestate; et Julia de civitate cum iis sociis communicanda, qui fundi (huic legi) fierent, i. e. ejus beneficio uti vellent.

U. C. 663. A. C. 89. Olymp. 172, 4.

Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, *L. Porcius Cato.* Leges Plautiæ, M. Plautii Silvani trib. pl., de judiciis cum equitibus et senatu communicandis, et de vi armatis hominibus. Lex Plautia Papiria (C. Papirii Carbonis trib. pl.) de civitate sociis danda. P. Licinius Crassus et L. Julius Cæsar censores socios, novos cives, rejiciunt in novas postremasque tribus. A. Sempronius Asellio prætor urb. Romæ a feneratoribus, A. Postumius Albinus legatus ab exercitu suo, et Cato consul in prælio a C. Marii filio necatur. A. C. 89-62 bellum Mithridaticum.

U. C. 664. A. C. 88. Olymp. 173, 1.

L. Cornelius Sulla, *Q. Pompeius Rufus.* P. Sulpicii Rufi tribunatus, leges (ut exsules revocentur, ut novi cives et libertini distribuantur per tribus, utque bellum Mithrid., Sullæ mandatum, Mario decernatur) et mors. Bellum civile inter Marium et Sullam. Hic adversarios Urbe pellit, et in Asiam proficiscitur. Marius cum filio in Africam venit. Q. Pompeius auctore Cn. Pompeio, et filius ejus, gener Sullæ, a Sulpicio occisus. Mithridates M'. Aquillium omnesque Romanos, in Asia negotiantes, trucidari jubet. Sex. Pompeius, frater consulis, Stoicus, JC. et geometra. Scymnus. Philo philos. A. C. 88-84 Antiochus XII Dionysus.

U. C. 665. A. C. 87. Olymp. 173, 2.

Cn. Octavius, *L. Cornelius Cinna.* Hic per quatuor annos sævit in Sullanos, et a collega pulsus in Urbem redit scriptis quatuor exercitibus, quibus ipse et Marius, ex Africa revo-

catus, et Q. Sertorius et Cn. Papirius Carbo præsunt. Cn. Pompeius proc., qui utramque partem foverat, fulmine ictus unco trahitur. Mors Octavii, L. Merulæ, Q. Catuli, C. Atilii Serrani, P. Lentuli, C. Cæsaris, M. Bæbii, C. Numitorii, M. Antonii et Crassorum.

U. C. 666. A. C. 86. Olymp. 173, 3.

C. Marius VII, *L. Cornelius Cinna II*, et, Mario mortuo, *L. Valerius Flaccus II*, qui in Asiam missus, ut Sullæ succederet, a C. Flavio Fimbria legato interficitur. Lex Valeria ab eo lata de ære alieno. Archelaus, a Sulla aliquoties victus, se et classem ei tradit. L. Marcius Philippus et M. Perperna censores. Athenæ a Sulla captæ. C. (M.) Marius Gratidianus prætor rem nummariam constituit. Metrodorus geogr.

U. C. 667. A. C. 85. Olymp. 173, 4.

L. Cornelius Cinna III, *Cn. Papirius Carbo*. Mithridates a Fimbria victus ac pæne captus.

U. C. 668. A. C. 84. Olymp. 174, 1.

L. Cornelius Cinna IV, *Cn. Papirius Carbo II.* Cinna ab exercitu suo occisus. Pax Mithridati a Sulla data. Mors Fimbriæ. L. Cornelius Sisenna. A. C. 84-47 Valerius Catulus. 84-31 C. Sallustius Crispus.

U. C. 669. A. C. 83. Olymp. 174, 2.

L. Cornelius Scipio Asiaticus, *C. Junius Norbanus Flaccus.* Pacis conditiones Sullæ et ab eo propositæ. Norbanus ab eo victus, et captus Scipio. Incendium Capitolii. Cn. Pompeius adolescens tres legiones Sullæ adducit, fusisque Bruto, Scipione et Carbone, Imperator ab eo salutatur. A. C. 83-69 Tigranes II.

U. C. 670. A. C. 82. Olymp. 174, 3.

Cn. Papirius Carbo III, *C. Marius* C. F. juvenis XX annis

minor. L. Damasippus (Brutus) prætor Marii jussu Q. Scævolam, L. Domitium, P. Antistium, C. Carbonem Arvinam aliosque Sullanos nobilesque cives Romæ trucidat. L. Murena, ab Archelao incitatus, Mithridati bellum infert. Mors Carbonis et Marii. Prænestini a Sulla occisi. Sullæ crudelitas, proscriptio, leges, dictatura perpetua et cognomen Fausti s. Felicis.

U. C. 671. A. C. 81. Olymp. 174, 4.

M. Tullius Decula, Cn. Cornelius Dolabella. A. Gabinius ad pacem cum Mithridate renovandam missus. Cn. Pompeius res in Africa gerit. Q. Claudius Quadrigarius, L. Licinius Macer, Valerius Antias historici. Ænesidemus. Ptolemæus X. A. C. 81-66 Ptolemæus XI.

U. C. 672. A. C. 80. Olymp. 175, 1.

L. Cornel. Sulla Felix II, Q. Cæcil. Metellus Pius.

U. C. 673. A. C. 79. Olymp. 175, 2.

P. Servilius Isauricus, Ap. Claudius Pulcher. Sulla sponte privatus.

U. C. 674. A. C. 78. Olymp. 175, 3.

M. Æmilius Lepidus, Q. Lutatius Catulus. Sullæ phthiriasis, mors, exsequiæ et sepultura in campo Martio. Lepidus Sullæ acta vult rescindi, et cum exercitu Romam venit: sed a Pompeio victus in Sardiniam fugit, ibique moritur.

U. C. 675. A. C. 77. Olymp. 175, 4.

D. Junius Brutus, Mam. Æmilius Lepidus Livianus. A. C. 77-72 Bellum Sertorianum; 77-67 bellum piraticum cum Cilicibus. Bella cum Thracibus, Sarmatis, Mædis et Dardanis.

U. C. 676. A. C. 76. Olymp. 176, 1.

Cn. Octavius M. F. *C. Scribonius Curio* orator. Res a

Cn. Pompeio et Q. Metello adv. Sertorium, Herculeium quæstorem ejus et M. Perpernam; et a L. Murena adv. piratas gestæ. Oracula Sibyllina undique conquisita.

U. C. 677. A. C. 75. Olymp. 176, 2.

C. Aurelius Cotta, *L. Octavius*. Curio succedit Ap. Claudio mortuo, et cum Dardanis feliciter pugnat. Turbæ propter inopiam annonæ. Lex Aurelia consulis, ut tribuni pl. alios quoque magistratus capere possint. Bithynia Romanis hereditate relicta a Nicomede III, et pars Libyæ a Ptolemæo Apione. Mithridatis bellum III, et fœdus cum Sertorio.

U. C. 678. A. C. 74. Olymp. 176, 3.

L. Licinius Lucullus, *M. Aurelius Cotta*. Hic male, ille bene res gerit. adv. Mithridatem. M. Antonii prætoris avaritia, imperium totius oræ maritimæ et mors. Cæsar a piratis captus. C. Verres prætor urb.

U. C. 679. A. C. 73. Olymp. 176, 4.

C. Cassius Varus, *M. Terentius Varro Lucullus*. Lex frumentaria ab iis lata. Mithridates, ad Cyzicum et Lemnum a Lucullo proc. victus, in Pontum profugit. Dardani a C. Curione proc. domiti. Dejotarus, Gallogræciæ tetrarches, Mithridatis præfectos cædit. A. C. 73-71 bellum Spartacium s. gladiatorium et servile adv. Spartacum, Crixum, OEnomaum et Publipora gestum. A. C. 73-71 C. Verris prætura Sicula.

U. C. 680. A. C. 72. Olymp. 177, 1.

L. Gellius Publicola, *Cn. Cornelius Lentulus Clodianus*. M. Lollius Palicanus trib. pl. Sertorius a M. Perperna, perfido amico, occisus, et hic a Cn. Pompeio.

U. C. 681. A. C. 71. Olymp. 177, 2.

P. Cornelius Lentulus Sura, *Cn. Aufidius Orestes*. M. Crassus prætor et Cn. Pompeius de fugitivis triumphant. Calaguritanorum pertinacia.

U. C. 682. A. C. 70. Olymp. 177, 3.

Cn. Pompeius Magnus, *M. Licinius Crassus Dives*. Feneratores in Asia a Lucullo coerciti. Lex a Pompeio lata de tribunitia potestate restituenda, et Aurelia judiciaria a L. Aurelio Cotta prætore, ut judicia senatoribus, equitibus ac tribunis ærariis communia essent. Machares Mithridatis f. amicus Romanorum. M'. Acilio Glabrione præt. judicium exercente, Cicero accusat Verrem. L. Gellius Publicola, Cn. Cornelius Lentulus Clod. censores. C. Trebatius Testa, A. Cascellius, C. Camillus, L. Octavius Balbus, Verrius Flaccus, A. Ofilius, Alfenus Varus, Hostilius et Aterius JCti. Posidonius. Geminus. Vitruvius. Cornelius Nepos? A. C. 70-18 Virgilius.

U. C. 683. A. C. 69. Olymp. 177, 4.

Q. Hortensius orator, *Q. Cæcilius Metellus* Creticus. Tigranocerta a Lucullo capta. Capitolium a Q. Catulo dedicatum. A. C. 69-58 Phraates III.

U. C. 684. A. C. 68. Olymp. 178, 1.

L. Cæcilius Metellus, *Q. Marcius Vatia Rex*. Creta a Q. Metello proc. subacta. A. C. 68-64 Antiochus XIII Asiaticus et Seleucus.

U. C. 685. A. C. 67. Olymp. 178, 2.

C. Calpurnius Piso, *M'. Acilius Glabrio*. Hic successor Lucullo missus. Bellum piraticum Cn. Pompeio cum infinita potestate mandatum et intra paucos dies confectum. Leges latæ: Acilia Calpurnia de ambitu; Gabiniæ A. Gabinii trib. pl. de fenere, de uno imperatore adv. prædones creando, utque mense toto Febr. senatus daretur legationibus; Roscia theatralis L. Roscii Othonis trib. pl.; Maniliæ C. Manilii trib. pl. de libertinorum suffragiis, et de bello Mithrid. Pompeio mandando; Cornelia C. Cornelii trib. pl. de edictis perpetuis.

A. C. 67-35 Hyrcanus et Aristobulus fratres, hujusque filii Alexander et Antigonus.

U. C. 686. A. C. 66. Olymp. 178, 3.

M'. Æmilius Lepidus, L. Volcatius Tullus. Prætura Ciceronis, L. Catilinæ, P. Vatinii, et C. Aquillii Galli JC. et auctoris Aquillianarum formularum de dolo malo, stipulatione, etc. A. C. 66-62 res a Pompeio in Asia gestæ adv. Mithridatem et Tigranen, horumque filios, Pharnacen et Tigranen. A. C. 66-51 Ptolemæus XII Auletes, Cleopatra, Berenice, Archelaus.

U. C. 687. A. C. 65. Olymp. 178, 4.

L. Aurelius Cotta, L. Manlius Torquatus. Q. Lutatius Catulus et M. Licinius Crassus censores. Lex Papia C. Papii trib. pl. de peregrinis Urbe pellendis. Cæsaris ædilitas et munus gladiat. A. C. 65-8 Horatius.

U. C. 688. A. C. 64. Olymp. 179, 1.

L. Julius Cæsar, C. Marcius Figulus.

U. C. 689. A. C. 63. Olymp. 179, 2.

M. Tullius Cicero, C. Antonius. Conjuratio Catilinaria oppressa. Hierosolyma a Pompeio capta. Lex Cæcilia de ambitu, et Atia de sacerdotiis. P. Cornelii Lentuli Spintheris ædilis cur. ludi magnifici et dibapha Tyria. Luculli triumphus et luxus. Mors Mithridatis. Cæsar pont. max. Augustus nascitur.

U. C. 690. A. C. 62. Olymp. 179, 3.

D. Junius Silanus, L. Licinius Murœna. Bellum Mithrid. a Cn. Pompeio confectum; Pontus et Syria provinciæ Rom., regnaque Asiæ divisa. M. Catonis tribunatus et ejus Ciceronisque contentio cum Q. Metello Nepote. Sacra Bonæ Deæ a P. Clodio polluta. C. Antonius proc. Macedoniam prov. avare administrat: unde biennio post damnatur.

U. C. 691. A. C. 61. Olymp. 179, 4.

M. Pupius Piso Calpurnianus, *M. Valerius Messalla Niger*. Triumphus Pompeii. L. Domitii Ahenobarbi ædilis cur. ludi. C. Octavius et C. Julius Cæsar prætores. Q. Tullius Cicero proprætor Asiæ. P. Clodius reus, stuprator sororum et quæstor in Sicilia.

U. C. 692. A. C. 60. Olymp. 180, 1.

L. Afranius, *Q. Cæcilius Metellus Celer*. Conspiratio Cæsaris, Pompeii et Crassi. L. Flavii trib. pl. lex agraria. Cæsar proprætor Galliæ ult.

U. C. 693. A. C. 59. Olymp. 180, 2.

C. Julius Cæsar, *M. Calpurnius Bibulus*. Leges Juliæ, agraria, de provinciis ordinandis et de repetundis. P. Clodius, a P. Fonteio adoptatus, a C. Herennio et Cæsare ad plebem traducitur. L. Vettii indicis turbæ et mors. P. Vatinii tribunatus et leges de repetundis deque Galliis cum Illyrico in quinquennium Cæsari decernendis. Macedonia a C. Octavio bene administrata.

U. C. 694. A. C. 58. Olymp. 180, 3.

L. Calpurnius Piso Cæsoninus, Cæsaris socer, *A. Gabinius* (vid. ad A. U. 685). P. Clodii Pulchri tribunatus et leges. Exsilium Ciceronis. Prætura L. Domitii Ahenobarbi, C. Memmii Gemelli, L. Flavii, L. Cornelii Lentuli Cruris et P. Nigidii Figuli. M. Æmilii Scauri ædilitas, theatrum et ludi. A. C. 58-49 res a Cæsare in Galliis, Germania et Britannia gestæ adv. Ariovistum, Orgetorigem, Dumnorigem, Cativolcum, Ambiorigem, Cassivelaunum, Vercingetorigem, Commium, al. — Orbilius Pupillus Gramm.

U. C. 695. A. C. 57. Olymp. 180, 4.

P. Cornelius Lentulus Spinther, *Q. Cæcilius Metellus Nepos*. Ciceronis reditus. Cyprus Ptolemæo erepta lege Clodia a

M. Catone propræt. Pompeii procuratio frumentaria cum imperio infinito. Clodii contentiones cruentæ cum tribunis pl., Ciceroni faventibus, T. Annio Milone, P. Sextio, C. Cestilio, M. Cispio, T. Fadio Gallo, M'. Curio, Q. Fabricio, C. Messio. A. C. 57 ad 17, post C. N. T. Livius.

U. C. 696. A. C. 56. Olymp. 181, 1.

Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, *L. Marcius Philippus*. Clodii ædilitas cur. novaque molimina. Reductio Ptolemæi regis Ægyptii, a C. Porcio Catone trib. pl. et senatu impedita, a P. Lentulo et Pompeio frustra expetita, et ab A. Gabinio, quem rex corruperat, perfecta. Macedonia a L. Pisone proc. et Syria ab A. Gabinio proc. male administrata. A. C. 56-57 Orodes I.

U. C. 697. A. C. 55. Olymp. 181, 2.

Cn. Pompeius Magnus II, *M. Licinius Crassus Dives II.* Leges Pompeiæ, judiciaria ac de parricidiis; et Trebonia, a C. Trebonio Aspro trib. pl. lata, ut Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria Parthicumque bellum in quinquennium, et Cæsari Galliæ cum Illyrico in aliud quinquennium decernerentur. Pompeii theatrum et ludi. Hispaniæ per legatos ejus, L. Afranium et M. Petreium, administratæ.

U. C. 698. A. C. 54. Olymp. 181, 3.

L. Domitius Ahenobarbus, *Ap. Claudius Pulcher.* Prætura Milonis, M. Catonis, Cn. Domitii Ahenob., P. Servilii Vatiæ Isaur. et Ser. Sulpicii Galbæ. Absolutio A. Gabinii, P. Vatinii, M. Scauri et Cn. Plancii. Tribunatus Q. Mucii Scævolæ. Expeditio Parthica malis ominibus, intercedente C. Ateio Capitone trib. pl. et infeliciter suscepta a M. Crasso.

U. C. 699. A. C. 53. Olymp. 181, 4.

Cn. Domitius Calvinus, *M. Valerius Messalla.* M. Crassus in bello Parthico perit. Clodius a Milone interficitur. Q. Pom-

peius Rufus trib. pl. rogatione lata, ut Cn. Pompeius dictator diceretur, in carcerem conjicitur a senatu.

U. C. 700. A. C. 52. Olymp. 182, 1.

Cn. Pompeius Magnus III, solus, a quo mense Sextili collega adsciscitur socer *Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio.* Milonis exsilium. Leges Pompeiæ de ambitu, de vi, de provinciis; et Cæcilia de censura restituenda, quæ sublata erat lege Clodia. Parthi victi a C. Cassio, quæstore M. Crassi. A. C. 52-15 Propertius.

U. C. 701. A. C. 51. Olymp. 182, 2.

M. Claudius Marcellus, *Ser. Sulpicius Rufus*, summus JC. et orator. M. Tullius Cicero proc. Ciliciæ et Cypri. M. Calpurnius Bibulus proc. Syriæ. Q. Minucius Thermus propr. Asiæ. P. Attius Varus propr. Africæ. A. C. 51-48 Ptolemæus XIII Dionysus.

U. C. 702. A. C. 50. Olymp. 182, 3.

L. Æmilius Paullus, *C. Claudius Marcellus.* Ap. Claudius Pulcher et L. Calpurnius Piso Cæson. censores ultimi, populi suffragiis creati. C. Sallustius hist. senatu motus. M. Cælius Rufus et M. Octavius ædiles cur. C. Titius, C. Curtius, M. Cato II et M. Livius Drusus prætores. Tribunatus C. Scribonii Curionis, a Cæsare corrupti, et lex viaria et alimentaria. Conon.

U. C. 703. A. C. 49. Olymp. 182, 4.

C. Claudius Marcellus, *L. Cornelius Lentulus Crus.* SCtum de exercitu a Cæsare dimittendo, et de Galliis L. Domitio Ahenob. ac M. Considio Noniano tradendis. Bellum civile inter Cæsarem et Pompeium. T. Labienus Cæsarem deserit. L. Afranius et M. Petreius ad Ilerdam victi. Cæsaris dictatura ac leges Juliæ. M. Æmilius Lepidus prætor urb. et Urbi præfectus. M. Manilius. A. C. 49-17 Tibullus.

U. C. 704. A. C. 48. Olymp. 183, 1.

C. Julius Cæsar II, *P. Servilius Vatia Isauricus*. M. Cælii Rufi, præt. novarumque tabularum auctoris, et Milonis molimina ac mors. Pugna Pharsalica et mors Cn. Pompeii. Bellum Alexandrinum, et bibliothecæ Alexandr. conflagratio. Honores in Cæsarem collati. A. C. 48-30 Ptolemæus XIV Puer et Cleopatra.

U. C. 705. A. C. 47. Olymp. 183, 2.

C. Julius Cæsar Dictator II, qui *M. Antonium* mag. equitum dixit, et in paucos dies consules fecit *Q. Fufium Calenum* et *P. Vatinium*. Prætura C. Sallustii. Tribunatus turbulentus P. Cornelii Dolabellæ, L. Trebellii et C. Asinii Pollionis. Cura Urbis M. Antonio mandata. Bellum Africanum. C. Trebatius Testa JC. et trib. pl.

U. C. 706. A. C. 46. Olymp. 183, 3.

C. Julius Cæsar III et Dict. III, *M. Æmilius Lepidus* cos. et mag. equitum. Pugna ad Thapsum. Mors Afranii, Petreii, Fausti Sullæ, Q. Scipionis, M. Catonis Uticensis et Jubæ. Cæsaris novi honores, triumphi quatuor, spectacula, instituta, leges et fasti. Bellum Hispaniense. Prætores decem. Prætura M. Junii Bruti Cæpionis et D. Junii Bruti Albini. D. Laberius et Publius Syrus.

U. C. 707. A. C. 45. Olymp. 183, 4.

C. Julius Cæsar IV et Dict. IV, *M. Æmilius Lepidus II*, et mag. equitum, nisi potius Cæsar solus fuit consul, et suffecti deinde *Q. Fabius Max.*, *C. Trebonius*, et *C. Caninius Rebilus*. Pugna Mundensis. Mors Cn. Pompeii, T. Labieni et P. Vari. Fuga Sex. Pompeii. Prætores XIV. Cæsaris triumphus, superbia, dictatura perpetua aliique honores summi ac divini.

U. C. 708. A. C. 44. Olymp. 184, 1.

C. Julius Cæsar V, et Dict. V, *M. Antonius*, *P. Cornelius Dolabella*. Magistri equitum *M. Æmilius Lepidus* et *C. Octavius*. Prætores XVI et ædiles VI. Magistratus in plures annos a Cæsare ordinati. Cæsaris opera, vasta consilia, arrogantia, cædes, sepultura, testamentum. M. Antonii et C. Octavii molimina, artes et discordia. Sex. Pompeii varia fortuna et reconciliatio cum senatu. M. Brutus et C. Cassius in Macedoniam Syriamque abeunt.

U. C. 709. A. C. 43. Olymp. 184, 2.

C. Vibius Pansa, *A. Hirtius*; *C. Julius Cæsar Octavianus*, *Q. Pedius*, *P. Ventidius*, *C. Carrinas*. Dolabella et Antonius hostes judicati. Bellum Mutinense. Mors Hirtii et Pansæ. Triumviratus et proscriptiones Octaviani, Antonii et Lepidi. Mors Ciceronis aliorumque. M. Brutus, C. Cassius et D. Brutus lege Pedia damnati absentes. Sosigenes. A. Sabinus. Gratius. Corn. Severus. C. Pedo Albinovanus. A. C. 43 ad 17, P. C. Ovidius.

U. C. 710. A. C. 42. Olymp. 184, 3.

L. Munacius Plancus, *M. Æmilius Lepidus II*. Sicilia a Sex. Pompeio occupata. Divini honores Cæsari, Divi filio, decreti. Prælium Philippense et mors C. Cassii, M. Bruti et Q. Hortensii. Fundanius. P. Nigidius Figulus obit.

U. C. 711. A. C. 41. Olymp. 184, 4.

L. Antonius, *P. Servilius Vatia Isauricus*. Agri proscriptorum præmiaque divisa veteranis tumultuantibus, aut promissa tantum, et data demum A. U. 722. L. Antonii et Fulviæ conspiratio. Bellum Perusinum. M. Antonii et Cleopatræ amores. Ti. Claudius Nero prætor, pater Tiberii Imp. T. Valgius Rufus. L. Varius. Plotius Tucca. M. Annæus Seneca.

U. C. 712. A. C. 40. Olymp. 185, 1.

Cn. Domitius Calvinus II, *Asinius Pollio* (summus orator, hist. et poeta, qui et primus bibliothecam publ. exstruxit), *L. Cornelius Balbus* et *P. Canidius Crassus*. Trucidatio Perusinorum urbisque incendium. Syria a Parthis duce T. Labieno, et Italia a Sex. Pompeio vastatur. M. Antonius cum Sex. Pompeio bellum movet adv. Cæsarem; sed opera L. Cocceii Nervæ, Asinii Pollionis et Mæcenatis pax Brundisina componitur firmaturque nuptiis Octaviæ. Imperium Rom. inter triumviros iterum dividitur. Q. Salvidieni conjuratio et mors. Lex Falcidia C. Falcidii trib. pl. testamentaria de legatis. M. Vipsanii Agrippæ prætura urb. et ludi.

U. C. 713. A. C. 39. Olymp. 185, 2.

L. Marcius Censorinus, *C. Calvisius Sabinus*. Consules in VIII annos, et plures in annum designati. Pax Puteolana fit cum Sex. Pompeio, plebe ob famem sæviente, et impunitas datur proscriptis. Cn. Domitius de Cerretanis, et Pollio de Parthinis triumphat. A. C. 39-36 P. Ventidius Bassus, M. Antonii legatus, homo miræ fortunæ, Parthos et Labienum devincit, primusque triumphat de Parthis. Res prospere ab Agrippa propr. in Aquitania gestæ.

U. C. 714. A. C. 38. Olymp. 185, 3.

Ap. Claudius Pulcher, *C. Norbanus Flaccus*. Prætores LXVII. Triumviri reip. constituendæ in alterum quinquennium. Aradii et Judæi a C. Sosio, Antonii legato, domiti. A. C. 38-35 bellum Siculum cum Sex. Pompeio, ab Agrippa confectum. Sex. Pompeii Menæ s. Menodori fraudulenta molimina. A. C. 38-3 Herodes M.

U. C. 715. A. C. 37. Olymp. 185, 4.

M. Vipsanius Agrippa, *L. Caninius Gallus*, *T. Statilius Taurus*. Portus Julius ab Agrippa factus. Amicitia Cæsaris et Antonii restituta ab Octavia. Dejotarus II. Polemo I. A. C. 37 ad 4 P. C. Phraates IV.

U. C. 716. A. C. 36. Olymp. 186, 1.

L. Gellius Publicola, M. Cocceius Nerva, L. Munacius Plancus II, P. Sulpicius Quirinus. Agrippa, devictis Sex. Pompeio præfectisque ejus, Demochare et Apollophane, corona aurea rostrata donatur. Cn. Domitius triumphat de Hispanis, a quibus aurum accepit coronarium. Honores Cæsari et Agrippæ decreti. Lepidus Cæsari infestus et a legionibus corruptis desertus, honores amittit præter pontificatum max. Res ab Antonio adv. Parthos, et a P. Canidio Crasso, ejus legato, in Armenia, Iberia et Albania gestæ.

U. C. 717. A. C. 35. Olymp. 186, 2.

L. Cornificius, Sex. Pompeius. Sex. F. Sex. Pompeius profugus, reparato in Asia bello, ab Antonii legatis, C. Furnio et M. Titio, occiditur. Iapydæ, Dalmatæ et Pannonii a Cæsare subacti.

U. C. 718. A. C. 34. Olymp. 186, 3.

L. Scribonius Libo, M. Antonius II, L. Sempronius Atratinus, Paul. Æmilius Lepidus, C. Memmius, M. Herennius. Salassi a M. Valerio Messalla domiti. Antonius Artavasden dolo capit et Armeniam dat filio suo ex Cleopatra suscepto.

U. C. 719. A. C. 33. Olymp. 186, 4.

C. Julius Cæsar Octavianus II, L. Volcatius Tullus; P. Autronius Pætus, L. Flavius, C. Fonteius Capito (ad unguem factus homo), *M'. Acilius Aviola, L. Vinucius, L. Laronius.* Agrippæ ædilitas, opera publica, ludi. Mathematici ab eo pulsi Urbe. Dalmatæ a T. Statilio Tauro subacti. Porticus Octaviæ et bibliotheca in ea.

U. C. 720. A. C. 32. Olymp. 187, 1.

Cn. Domitius Ahenob., C. Sosius; L. Cornelius, N. Valerius. Cæsar et Antonius bellum parant. Octaviæ repudium.

Consules ad Antonium abeunt, L. Plancus et M. Titius ad Cæsarem, cui testamentum Antonii produnt.

U. C. 721. A. C. 31. Olymp. 187, 2.

C. Julius Cæsar Octav. III, *M. Valerius Messalla Corvinus* orator; *M. Titius*, *Cn. Pompeius*. Prælium navale ad Actium ludique Actiaci. Agrippa vexillo cæruleo donatus. C. Cilnius Mæcenas eq. Rom., Urbi Italiæque præfectus.

U. C. 722. A. C. 30. Olymp. 187, 3.

C. Julius Cæsar Octav. IV, M. Licinius Crassus, *C. Antistius Vetus*, *M. Tullius Cicero*, oratoris f., et *L. Sænius Balbinus*. Mors Antonii et Cleopatræ. Cæsar Ægypto in provinciæ formam redactæ Cn. Cornelium Gallum equitem dat præfectum Augustalem. Legati Phraatis, Tiridates ab eo pulsus et Herodes ad Cæsarem veniunt. P. Canidius, Cassius Parmensis aliique occisi. M. Lepidus juvenis, bellum in Italia moliens, a Mæcenate necatur. Novi honores Cæsari hoc et proximo anno decreti. Diodorus Sic. Apollonius Sophista Lexicogr. Parthenius. A. Cornelius Celsus. Didymus. Hyginus. Aretas.

U. C. 723. A. C. 29. Olymp. 187, 4.

C. Julius Cæsar Octav. V, *Sex. Appuleius*; *Potitus Valerius Messalla*, *C. Furnius*, *C. Cluvius*. Triumphi Cæsaris. Janus tertium clausus. Consultatio Cæsaris cum Agrippa et Mæcenate habita de imperio deponendo. Daci, Bastarnæ, Mœsi, Getæ Thracesque a M. Licinio Crasso, Hispani a T. Statilio Tauro, et Treviri a Nonio Gallo subacti.

U. C. 724. A. C. 28. Olymp. 188, 1.

C. Julius Cæsar Octav. VI, *M. Vipsanius Agrippa II*. Apollinis in Palatio templum cum bibliotheca dedicatum. Ludi Actiaci quinquennales gymnicique. Census actus a Cæsare et Agrippa. Senatus purgatus suppletusque, et census

senatorum ampliatus. Prætores X et cura ærarii binis Prætoriis mandata.

U. C. 725. A. C. 27. Olymp. 188, 2.

C. Julius Cæsar Octav. VII, M. Vipsanius Agrippa III. Cæsar sententia L. Munacii Planci *Augustus* appellatus. Ejus simulata oratio de imperio deponendo. Vota decennalia. Divisio provinciarum et fiscus. Augusti iter in Gallias Hispaniasque susceptum, et census Galliarum actus. M. Valerius Messalla Aquitaniam in provinciæ formam redigit et triumphat. Sex. Pacuvius trib. pl.

U. C. 726. A. C. 26. Olymp. 188, 3.

C. Julius Cæsar Octav. Augustus VIII, T. Statilius Taurus II. Egnatius et M. Lollius prætores. Scelera, infamia et mors Corn. Galli (vide ad A. U. 722). M. Messalla primus præf. Urbi. Sex. Appuleius ex Hispania triumphat. M. Egnatii Rufi præt. arrogantia. Septa Julia exornat Agrippa. Æmilius Macer poeta.

U. C. 727. A. C. 25. Olymp. 188, 4.

C. Julius Cæsar Octav. Augustus IX, M. Junius Silanus. Ob Cantabrorum rebellionem Augustus Tarraconem secedit. Salassi ab A. Terentio Varrone Muræna; Cantabri a C. Antistio Vetere; Astures a T. Carisio; Celtæ a M. Vinucio subacti. Augusti tropæum in Alpibus, et titulus *Imperatoris.* Amynta mortuo Galatia cum Lycaonia in provinciæ formam redacta. Templum Neptuni, Argonautarum porticus, diribitorium, Thermæ et Pantheon, opera Agrippæ.

U. C. 728. A. C. 24. Olymp. 189, 1.

C. Julius Cæsar Octav. Aug. X, C. Norbanus Flaccus. Janus iterum clausus, Augusto ex Hispania reduce. Senatus jurat in acta Augusti, isque legibus solvitur. Cantabri et Astures a L. Æmilio (L. Ælio Lamia) domiti. M. Lollius

primus Gallogræciam obtinet. Infausta expeditio Ælii Galli, præfecti Aug. Ægypti, in Arabiam Felicem. M. Claudius Marcellus, Octaviæ f. et gener Augusti, ædilis cur. Ti. Claudius Nero quæstor.

U. C. 729. A. C. 23. Olymp. 189, 2.

C. Julius Cæsar Octav. Aug. XI, A. Terentius Varro Murœna, L. Sestius, Cn. Calpurnius Piso. Tribunitia potestas Augusti, repudiata dictatura. Augustus e gravi morbo convalescens opera Antonii Musæ. Mors Marcelli. Tiridates et legati Phraatis Romam veniunt, et filius Phraatis, obses, ea lege remittitur patri, ut captivi signaque militaria Rom. reddat. Agrippa, in Syriam missus, Mitylenen secedit.

U. C. 730. A. C. 22. Olymp. 189, 3.

M. Claudius Marcellus Æserninus II, L. Arruntius. Paul. Æmilius Lepidus et L. Munacius Plancus censores. Conjuratio L. Licinii Varronis Murænæ et Fannii Cæpionis. Cantabri et Astures a C. Furnio, et Æthiopes, duce regina Candace, Ægyptum vastantes, ab ejus præfecto, C. Petronio, devicti. Augustus in Siciliam proficiscitur.

U. C. 731. A. C. 21. Olymp. 189, 4.

M. Lollius, Q. Æmilius Lepidus. Agrippa fit gener Augusti et præf. Urbi. Augustus in Græciam et Samum trajicit.

U. C. 732. A. C. 20. Olymp. 190, 1.

M. Appuleius, P. Silius Nerva. Augustus res ordinat in Asia, Bithynia et Syria, ubi a Phraate recipit signa, captivos et spolia, Crassi et Antonii cladibus amissa, et Indorum legati eum Antiochiæ adeunt. Viæ a prætoriis muniendæ et milliarium aureum. Occiso Artaxia (Artabaze, Artavasde), Tigranes Armeniis ab Augusto rex datus et deductus in re-

gnum a Tib. Nerone. Garamantes a L. Corn. Balbo devicti.

U. C. 733. A. C. 19. Olymp. 190, 2.

C. Sentius Saturninus, *Q. Lucretius Vespillo; M. Vinucius*, *Vipsanius Agrippa*. Morum præfectura aliique honores redeunti ex Syria Augusto decreti. Ab Agrippa pacatur Gallia et Cantabri domantur. Hillel et Schamai.

U. C. 734. A. C. 18. Olymp. 190, 3.

P. Cornelius Lentulus Marcellinus, *Cn. Cornelius Lentulus*. Tribunitia potestas ab Augusto in quinquennium suscepta, Agrippa adscito collega; et senatus ab iisdem purgatus. Conjuratio M. Egnatii Rufi. Germani a M. Lollio victi. Bathyllus et Pylades.

U. C. 735. A. C. 17. Olymp. 190, 4.

C. Furnius, *C. Junius Silanus*. Ludi sæculares quintum acti. Lucius Agrippæ natus adoptatusque cum Caio fratre ab Augusto. Lex Julia de adulteriis.

U. C. 736. A. C. 16. Olymp. 191, 1.

L. Domitius Ahenobarbus, *P. Cornelius Scipio*, *L. Tarius Rufus*. Ob cladem M. Lollii, a Germanis acceptam, Augustus hoc et proximo anno in Gallia, Hispania et Germania res constituit. T. Statilius Taurus præf. Urbi. Ludi quinquennales ab Agrippa editi. Prætura urb. Tiberii et Drusi fratrum. Pannonii et Norici a P. Silio Nerva, Dentheletæ et Scordisci a Claudio Marcello victi. A. C. 16, ad 19 P. C. C. Cæsar Germanicus.

U. C. 737. A. C. 15. Olymp. 191, 2.

M. Livius Drusus Libo, *L. Calpurnius Piso*. Rhæti et Vindelici a Tiberio et Druso, Augusti privignis, domiti.

U. C. 738. A. C. 14. Olymp. 191, 3.

M. Licinius Crassus, *Cn. Cornelius Lentulus.* Agrippa Asiæ, Ponti et Judeæ res ordinat, et Bosporum, a Scribonio quodam occupatum, dat Polemoni.

U. C. 739. A. C. 13. Olymp. 191, 4.

Tiberius Claudius Nero, *P. Quintilius Varus.* Ludi votivi Augusto Romam reverso facti. Theatrum Corn. Balbi dedicatur, et ab Augusto theatrum Marcelli. Mortuo M. Lepido, Augustus pontificatum max. suscipit. Idem tribunitiam potestatem sibi et Agrippæ in alium quinquennium prorogat. Pannonii solo Agrippæ adventu coerciti.

U. C. 740. A. C. 12. Olymp. 192, 1.

M. Valerius Messalla Barbatus, *P. Sulpicius Quirinus*, *C. Valgius Rufus* poeta, *C. Caninius Rebilus.* Agrippa mortuo Tiberius fit gener Augusti, et Pannoniis subactis primus honoratur ornamentis triumphalibus. Eadem dantur et L. Calpurnio Pisoni, devictis Bessis, et L. Domitio Ahenob., Imp. Neronis avo, qui longius, quam quisquam priorum, victor in Germaniam penetravit. Drusus Sygambros, Usipetas, Tencteros et Chamavos domat; componit tumultum, ob censum in Gallia exortum, et aram Augusto dedicat Lugdunensem ad confluentes Araris et Rhodani.

U. C. 741. A. C. 11. Olymp. 192, 2.

Q. Ælius Tubero, *Paullus Fabius Maximus.* M. Valerius Messalla Corvinus primus curator aquarum. Drusi prætura urb. et nova expeditio in Germaniam. Fossæ Drusianæ. Dalmatia et Pannonia a Tiberio expugnatæ. Mors Octaviæ.

U. C. 742. A. C. 10. Olymp. 192, 3.

Iulus Antonius, *Q. Fabius Max. Africanus.* Augustus Flamen Dialis. Getæ, Daci et Dalmatæ a Tiberio, Catti aliique Germanorum populi a Druso devicti. Natalis Augusti et Augustalia celebrantur.

U. C. 743. A. C. 9. Olymp. 192, 4.

Nero Claudius Drusus, T. Quintius Crispinus. Drusi extrema expeditio in Germaniam, mors et honores mortuo collati, nomen *Germanici* ipsi filiisque ejus decretum, etc. Ovatio Tiberii.

U. C. 744. A. C. 8. Olymp. 193, 1.

C. Marcius Censorinus, C. Asinius Gallus. Exercitus ab Augusto in Galliam ductus. Tiberii expeditio in Germaniam, cognomen Imperatoris alterque triumphus. Pomœrium prolatum. Pannonii a Sex. Appuleio victi. P. Quintilius Varus Syriam avare administrat. Mors Horatii et Mæcenatis.

U. C. 745. A. C. 7. Olymp. 193, 2.

Tiberius Claudius Nero II, Cn. Calpurnius Piso II. Tiberius in Germaniam redit. Eadem provincia a C. Sentio Saturnino per plures annos administrata. Urbis regiones XIV et vicorum magistri. Ludi votivi post reditum Augusti a C. Cæsare editi. Dionysius Halic. scribit historiam. M. Verrius Flaccus.

U. C. 746. A. C. 6. Olymp. 193, 3.

D. Lælius Balbus, C. Antistius Vetus; L. Manilius, Q. Nonius Asprenas Torquatus. Tiberius tribunitiæ potestatis in quinquennium fit consors, et Rhodum secedit. Dionysius Periegeta. Nicolaus Damasc. Trogus Pompeius.

U. C. 747. A. C. 5. Olymp. 193, 4.

Augustus XII, L. Cornelius Sulla. C. Cæsar in forum deductus, *princeps juventutis* appellatus ornatusque sacerdotio.

U. C. 748. A. C. 4. Olymp. 194, 1.

C. Calvisius Sabinus, L. Passienus Rufus.

U. C. 749. A. C. 3. Olymp. 194, 2.

L. Cornelius Lentulus, *M. Valerius Messalinus*. P. Quintilius Varus Judæos post mortem Herodis M. rebellantes coercet, eique in Syria succedit P. Sulpicius Quirinus proc. Hujus legatus, Coponius eq. Rom., Judææ præficitur.

U. C. 750. A. C. 2. Olymp. 194, 3.

Imp. Cæsar Augustus XIII, *M. Plautius Silvanus*; *Q. Fabricius*, *C. Caninius Gallus*. L. Cæsar togam virilem induit appellaturque princeps juventutis. Relegatio Juliæ, et pœna adulterorum Iuli Antonii, T. Quintii Crispini, Ap. Claudii, etc. Cn. Calpurnius Piso leg. Aug. proc. Hispaniam avare habet. Census a P. Sulpicio Quirino in Syria et Judæa agitur; sed, quod alii putant, biennio post. Hinc diversæ opiniones de epocha nati Christi. Conf. tamen intpp. evang. Luc. II, 2.

U. C. 751. A. C. 1. Olymp. 194, 4.

Cn. Cornelius Lentulus Cossus Gætulicus, *L. Calpurnius Piso*. M. Vinucii expeditio in Germaniam. M. (Q.) Antistius Labeo, C. Ateius Capito et C. Ælius Gallus JCti.

U. C. 752. Olymp. 195, 1.

C. Cæsar, *L. Æmilius Paullus*. Armenia ad Phraatem desciscit. Hoc anno Christum fuisse natum, multorum opinio est. Conf. ad A. U. 750.

IMPERATORES ROMANORUM.

P. C. 1-14. (A. C. 21; P. C. 14.) *Augustus*.

2, L. Cæsar Massiliæ obit. C. Cæsar Phraatem Armenia cedere cogit, et M. Lollio, comiti et rectori ejus, substituitur P. Sulpicius Quirinus. 3, C. Cæsar in Lycia moritur. 4, Ab Augusto Tiberius, et ab hoc Germanicus Drusi f. adoptatur. Lex Ælia Sentia de manumissionibus. 5, Lex Julia de mari-

tandis ordinibus. Phraataces, 5, 6. Orodes 11. 6, C. Ateius Capito cos. suff. Chauci, Langobardi et Marobod. rex Marcomannorum, a Tiberio, et Gætuli a Corn. Lentulo Gætulico victi. Res adv. Dalmatas, Dacos, Sarmatas et Pannonios a M. Valerio Messalino, A. Cæcina Severo, Tiberio, Germanico, M. Plautio Silvano, C. Vibio Postumo et M. Æmilio Lepido per IV annos gesta. Rhœmetalces et Rhescuporis, Thraciæ reges, socii Rom. Stipendia annua, ærarium militare et, ejus locupletandi causa, centesima auctionum seu rerum venalium et vicesima hereditatium Julia lege instituta. 6-20, Vonones I. 7, Agrippa Postumus relegatur. Quinquagesima mancipiorum. Rhescuporis et Cotys V. 9, P. Quintilius Varus cum tribus legionibus in Germania cæsus ab Arminio. Lex Papia Poppæa. 10, 11, Tiberius et Germanicus procoss. Germaniam pervagantur. C. Poppæus Sabinus Mœsiæ per XXI annos præest. 12, Germanicus cos. cum C. Fonteio Capitone. Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus proc. Syriæ per sex annos. 13, Tiberius censum agit cum Augusto et tribunitia ei potestas prorogatur. Germanicus proc. Galliæ. 13-43, Artabanus III. Judas Galilæus seu Gaulonita. 14, Mors Augusti.

14-37, *Tiberius Nero Cæsar.*

14, Comitia e campo in curiam translata. Mors Agrippæ Postumi et Juliæ. Seditiones legionum in Pannonia et Germania. L. Ælius Sejanus præf. prætorio, et castra prætoriana. C. Junius Blæsus, A. Cæcina, C. Cetronius, L. Apronius et C. Silius Nerva legati. 14-17, Res a Germanico adv. Cheruscos (Arminium et Inguiomerum), Cattos, Angrivarios aliosque Germaniæ populos gestæ. 15, Drusus Cæsar cos. P. Velleius Paterculus hist. prætor cum fratre Magio Celere Velleiano. Lex et judicia majestatis. 16, Clemens Agrippæ Postumi servus. Mathematici Urbe pulsi, T. Statilio Sisenna Tauro et L. Scribonio Libone coss. Jul. Pomponius Græcinus cos. suff. L. Scribonii Libonis Drusi præt. accusatio et

mors. 17, Cappadocia prov. Rom., Archelao rege per fraudem occiso. Tacfarinas, dux Musulanorum in Numidia, victus a M. Furio Camillo proc. Africæ. Triumphus Germanici. Cn. Calpurnius Piso proc. Syriæ. P. Rutilius Lupus, et L. Fenestella. 18, Germanicus iterum consul cum Tiberio et Orienti præpositus. Q. Verannius primus Cappadociam obtinet, et Q. Serveius Commagenen. 19, Germanici iter in Græciam Ægyptumque et mors. Lex Julia Norbana de libertinis Latini nominis seu Latinis Junianis. Drusus discordiam inter Germanos fovet. Maroboduus et Rhescuporis pulsi. Catualda. Vannius. Rhœmetalces II. Cotys VI. Strabo. 20, Cn. Pisonis mors. Tacfarinas a L. Apronio victus. C. Junius Silanus Asiam avare administrat et biennio post damnatur. 21. Drusus iterum consul cum Tiberio patre. Tacfarinas a C. Junio Blæso, Julii Florus et Sacrovir, Trevirorum Æduorumque duces, a C. Visellio Varrone, Cœletæ, Odrysæ et Dii in Thracia a P. Vellæo devicti. 22, Drusi potestas tribunitia. Sejani potentia in dies crescit. Ser. Cornelius Lentulus Maluginensis Asiam non obtinet, quia flamen Dialis est. Q. Vibius Serenus proc. Hispaniæ ult. proximo anno accusatus a filio et damnatus. L. Arruntius absens proc. Hispaniæ cit. 23, Masurius Sabinus et M. Cocceius Nerva (cos. suff. h. a.) JCti. Annæus Cornutus Afer philos. 23, Mors Drusi Cæs. Nero et Drusus, filii jam puberes Germanici, a Tiberio senatui commendantur. Histriones ex Italia pulsi. 23-79, Plinius major. 24, Decennalia imperii Tiberii. Plautius Silvanus parricidii damnatus. Tacfarinas cum suis cæsus a P. Cornelio Dolabella. Servile bellum, a T. Curtisio motum, a Curtio Lupo quæst. opprimitur. C. Fonteius Capito proc. Asiæ. 25, Cremutius Cordus hist. majestatis reus. Cyzicenis libertas ablata. Cn. Domitius Afer, orator, est prætor. Thraces subacti a C. Poppæo Sabino proc. et Pomponio Labeone propr. Mœsiæ, qui nono anno post repetundarum accusatus et voluntaria morte cum Paccia uxore exstinctus est. C. Calpurnius Piso avarus propr. Hispaniæ cit. a Termestinis ob-

truncatus. 25-100, Silius. 26, Tiberius in Campaniam abit. 26-37, Pontius Pilatus. 27-37, Tiberius in Capreas ins. se abdit. 28, Julia, Augusti neptis, in exsilio moritur. Frisiorum rebellio et clades L. Apronio ab iis illata. 29, Mors Christi ex quorumdam sententia (ex aliorum serior fuit triennio) et Liviæ. 30, Divini honores Sejano decreti. Sempr. Proculus et C. Cassius Longinus JCti. 31, Sejani consulatus et mors. Nero et biennio post Drusus necati fame, et falsus Drusus a Poppæo Sabino oppressus. 33, M. Asinius Gallus et Agrippina, Germanici uxor, inedia enecantur. Lesbonax, Valerius Max. 34-62, Persius. 35, Nuptiæ C. Caligulæ. L. Vitellius proc. Syriæ Artabanum, Parthorum regem, ex Armenia pellit et Tiridaten deducit in regnum. 36, Phœnix in Ægypto. 36-44, Herodes Agrippa I. 37, Mors Tiberii.

37-41, *Caius Cæsar Caligula.*

37, Ducentesima auctionum, pro centesima a Tiberio instituta, abrogatur et comitia populo restituuntur. 37-100, Josephus. 38, Philo Judæus et Apio a Judæis, Alexandriæ habitantibus, et ab Avidio Flacco male habitis, legati Romam missi. T. Flavii Vespasiani ædilitas. 38-65, Lucanus. 39, Gallia ab Imperatore expilata, et revocatæ majestatis leges. Cn. Domitius Afer, JC. et orator, Principem, epigrammate offensum, mira arte et adulatione delinit, et consul sufficitur in locum Cn. Domitii Corbulonis. Ser. Sulpicius Galba in Germania superiore succedit Cn. Gætulico, propter militum favorem jussu Caligulæ interfecto, et severa utitur disciplina. 40, Ridicula in Britanniam expeditio. Ptolemæus, Jubæ f. et rex Maurorum, ob divitias in Galliam evocatur et occiditur. Caligula Germanicus ovans ex Germania. Marsi et Chauci a P. Gabinio Secundo superati. Mela. Columella. A. Cornelius Celsus. 40-100, Martialis. 41, Imperator a Cassio Chærea necatus.

41-54, *Claudius Drusus Cæsar.*

41, Imperator addictus tum uxoribus, Messallinæ et ab
a. 49 Agrippinæ, tum libertis Pallanti, Narcisso, Polybio, Posidi, Felici, Arpocræ. Mauri a C. Suetonio Paullino Atlantem usque perdomiti. Ap. Junius Silanus ex Hispania revocatur, et mox dolo Messallinæ et Narcissi perit. M. Furius Camillus Scribonianus in Dalmatia res novas molitur. L. Annæus Seneca insimulatus adulterii cum Julia Agrippinæ sorore et in Corsicam relegatus. 42, Cura annonæ, et portus Ostiensis exstructio. Mauritania a Cn. Hosidio Geta subacta divisaque in Tingitanam et Cæsariensem. 42-100? Quintilianus. 42-121? Juvenalis. 43 seq. Res in Britannia a Claudio legatisque ejus, A. Plautio Silvano, T. Flavio Vespasiano et C. Hosidio Geta gestæ. Vibii Marsi proc. Syriæ contentiones cum Agrippa Judæorum rege. 44, Quæstores duo in triennium ærario præfecti, et prætores duo jurisdictioni de fidei commissis. Cuspius Fadus (Cestius Festus) Judææ impositus. 44-90, Herodes Agrippa II. Berenice. 45, Ser. Sulpicius Galba Africam ordinat. 46, M. Vinucii interitus. Conjuratio Asinii Galli et Statilii Corvini. Tiberius Alexander Judææ præfectus. Ingens per Syriam fames. 47, Ludi sæculares sexti. Mithridates, adjutus opibus Pharasmanis fratris et discordia Gotarzis et Bardanis fratrum regumque Parthorum, Armeniam recuperat. Chauci et Frisii a Cn. Domitio Corbulone subacti, et fossa Corbulonis ducta inter Mosam et Rhenum. L. Salvius Otho proc. Africæ. Q. Curtius Rufus proc. Germaniæ, et forte historicus. 48, Messallinæ et C. Silii connubium ac mors. Census a Claudio et L. Vitellio actus. Phœnix Romam allatus. C. Cassius Longinus JC. Syriam, et Ventidius Cumanus Judæam obtinet. Phædrus. 49, Claudius uxorem ducit Agrippinam Germanici fratris filiam, et Octaviam, filiam suam, L. Julio Silano desponsatam, qui abdicare se prætura et mori cogitur, despondet L. Domitio *Neroni*, Agrippinæ filio. Meherdates, a Claudio Parthis rex datus, capitur a Gotarze, et huic mortuo succedit Vonones II. Mithridates Bosporanus, cum

Cotye fratre bellans, Romam mittitur vinctus. Itaræi et Judæi Syriæ additi. Pomœrium prolatum. T. Flavius Sabinus Mœsiam per septem; Junius Cilo proquæstor Bithyniam cum Ponto per quatuor, et Antonius s. Ti. Claudius *Felix* Judæam per VI annos regit. 50, L. Domitius Nero a Claudio adoptatus præposituque Britannico. Agrippina Augusta, et colonia Agrippinensis. L. Annæus Seneca exsilio revocatus, prætor et Neronis præceptor. P. Atilius Ister proc. Pannoniæ, ubi Vannio, Suevorum regi profugo, agros dat. T. Vinidius Quadratus proc. Syriæ frustra compescere conatur motus Iberorum, Armeniorum ac Parthorum inter se bellantium. Catti a Q. Pomponio Secundo proc. Germaniæ sup. ac poeta, et Britanni a P. Ostorio Scapula propr., capto Caractaco, subacti. Scribonius Largus. 50-130, Plutarchus. 51, Vespasianus cos. suff. Domitianus natus. Toga virilis Neroni maturata : isque cos. design. et proc. Afranius Burrus præf. præt. Lusio Getæ et Rufio Crispino substitutus. 51-90, Vologeses I, Parthorum rex. Is hoc anno Tiridaten fratrem Armeniæ imponit, pulso Rhadamisto Ibero, qui auctore Julio Peligno, proqu. Cappadociæ, regium insigne sumpserat. 52, Faustus Cornelius Sulla, gener Claudii, L. Salvius Otho, et Servilius Barea Soranus consules. Mathematici ex Italia denuo pulsi. Fucinus lacus a Claudio emissus et naumachia in eo exhibita. Quadratus proc. Syriæ discordias inter Galilæos et Samaritanos, ortas auctoribus Felice et Ventidio Cumano procuratoribus Judææ, componit damnato Ventidio, et provincia soli Felici tradita. 53, Nero Octaviam uxorem ducit, et Iliensibus immunitatem, libertatem Rhodiis diserta oratione impetrat. Res ab A. Didio Gallo propr. in Britannia gestæ. T. Statilius Taurus proc. Africæ, cujus hortis Agrippina inhiat, repetundarum damnatus. Helvidius Priscus quæstor et gener Pæti Thraseæ. Onosander. 54, Mors Claudii.

54-68, *Nero Claudius Cæsar.*

45, M. Junius Silanus proc. Asiæ veneno exstinctus. Cn. Domitius Corbulo, proc. Armeniæ et ab anno 60 simul Syriæ totiusque Orientis. Q. Asconius Pedianus. 55, Britannicus veneno sublatus. Dissensio Neronis cum matre ob Actes libertæ amorem. A. Fabricii Veientonis præt. ludi circenses. Idem ex Italia deinde pulsus. Q. Curtius Rufus proc. Africæ, et Vipsanius Lenas Sardiniæ. M. Valerius Probus. 56, Neronis libidines et grassationes nocturnæ. Histriones Italia pulsi. Potestas tribunorum pl. et ædilium imminuta. Potentia Helii, Epaphroditi, Doryphori, Phaontis, Polycleti, libertinorum Neronis, Spori exoleti, et Tigellini præf. præt. Obultronius Sabinus quæstor ærarii ab Helvidio Prisco trib. pl. accusatus: et cura ærarii a quæstoribus ad præfectos et prætura functos translata. Porcius Festus Judæam, Q. Sulpicius Camerinus Pythicus Africam, C. Balbillus Ægyptum, Cossutianus Capito Ciliciam, Epirius Marullus Pamphyliam obtinet. 57, Q. Veranius proc. Britanniæ, Pompeius Silvanus Africæ, L. Antistius Vetus et Pompeius Paullinus Germaniarum, Ælius Gracilis Galliæ Belg. 58, Vologeses et Tiridates a Corbulone victi. C. Vibius Crispus proc. Africæ, C. Suetonius Paullinus Britanniæ, Curtilius Mancia et Dubius Avitus Germaniarum. M. Salvius Otho in Poppææ Sabinæ amorem pellicit Neronem, et Lusitaniam per X annos bene administrat. 59, Nero matricida. C. Vibius Secundus Mauritaniæ, et T. Vinius Rufinus Galliæ Narbon. præfectus. 60, Quinquennalia ludicra, et cometes. A. Vitellius proc. Africæ. Lucceius Albinus Judææ procurator. Tigranes Armeniæ regno impositus a Corbulone. (Conf. ad a. 54.) 61, C. Petronius Arbiter Turpilianus cos. et proc. Britanniæ. Ibi Boudicea, Icenorum regina, magnam Romanis infert cladem, sed mox a Suetonio cum suis cæditur. Ser. Sulpicius Galba proc. Hispaniæ Tarrac. et L. Vitellius Africæ. 62, SC. Trebellianum de fideicommissariis hereditatibus, Trebellio Maximo et L. Annæo Seneca coss. suff. Nero Poppæam Sabinam ducit, Octavia relegata et

mox occisa. Vologeses, Pyria expulsus a Corbulone, Armeniam occupat. Carmina probrosa et relegatio Antistii Sosiani præt. Ignominiosa deditio C. Cæsonii Pæti proc. Armeniæ, Tigrani in subsidium missi et a Vologese obsessi in castris. 63, Vologeses a Corbulone ad pacem petendam compulsus. Asia avare administrata a L. Salvio Othone Titiano, et Africa integerrime a T. Flavio Vespasiano. C. Cestius Gallus Camerinus leg. proc. Syriæ. 64, Roma a Nerone incensa, et Christiani exquisitis pœnis affecti. Rebellio Judæorum, avaritia et credulitate Gessii Flori procurat. mota. Scribonius Proculus et Sulpicius Rufus Scribonianus fratres Germaniis præfecti. Dioscorides. 65, Poppæa a Nerone occisa. Conjuratio C. Pisonis punita morte auctoris et consciorum, C. Julii Attici Vestini et Plautii Laterani consulum, L. Annæl Senecæ, M. Annæi Lucani, Fenii Rufi præf. præt., Subrii Flavi, Sulpicii Aspri et al. Trebellius Maximus proc. Britanniæ. Musonii Rufi et Annæi Cornuti philosophorum, C. Cassii Longini JCti et L. Silani relegatio. Mors L. Antistii Veteris, ex proc. Asiæ reversi. 66, C. Suetonius Paullinus et L. Pontius Telesinus coss. Mors voluntaria L. Annæi Mellæ, qui L. Senecæ et Junii Gallionis frater paterque Lucani erat, C. Petronii, Cerialis Anicii, Rufii Crispini, Thraseæ Pæti et Bareæ Sorani, qui ex proc. Asiæ reversus a P. Egnatio, ejus cliente, præceptore et philos., accusatus erat, et intercessionem Aruleni Rustici trib. pl. deprecabatur. Relegatio Helvidii Prisci et Paconii Agrippini. Tiridates a Corbulone compulsus ad regnum Armeniæ ac diadema Romæ a Nerone accipiendum. Tiberius Alexander Ægypto præfectus L millia Judæorum Alexandriæ tumultuantium trucidari jubet. M. Cocceius Nerva, JC. et pater Nervæ Imp., prætor. 67, Nero in Græciæ oppidis histrionis, citharœdi et aurigæ partes, et Romæ scenicum triumphum agit. Judæa a Vespasiano proc. subacta et obsessa Hierosolyma. C. Julius Vindex propr. Galliæ Transalp. res novas molitur; sed victus a T. Virginio Rufo leg. proc. Germaniæ super., qui im-

perium ab exercitu oblatum respuit, semet interficit. 68, C. Silius Italicus, poeta, consul. Mors Neronis, defectio Galbæ in Hispania.

68, 69, *Ser. Sulpicius Galba.*

68, Defectiones legatorum L. Fonteii Capitonis in Germania inf. et Clodii Macri in Africa. 69, Adoptatio L. Pisonis Frugi Liciniani et mors Galbæ.

69, *M. Salvius Otho.*

69, Alii legatorum ad Othonis partes transeunt, alii ad A. Vitellii, qui Germaniam infer. obtinebat; ad illas Virginius in Germ. sup. et C. Vipsanius Apronianus in Africa; ad has Hordeonius Flaccus, Virginii successor, etsi invitus, Valerius Asiaticus in Gallia Belg., Junius Blæsus in Gallia Lugd., Julius Cordus in Aquitania. Mors Othonis, ad Bedriacum victi a C. Fabio Valente et A. Cæcina legatis Vitellii absentis.

69, *A. Vitellius.*

69, Vespasianus in Judæa imperium capessit, auctoribus Tiberio Alexandro Ægypti procuratore et M. Licinio Crasso Muciano proc. Syriæ. Capitolio incenso Flaviani aut igne pereunt aut capti necantur, in his T. Flavius Sabinus præf. præt. fraterque Vespasiani. Postridie Roma capitur ab Antonio Primo, et Vitellius misere interficitur.

69-79, *T. Flavius Vespasianus.*

69, Potentia ac discordia Muciani et Antonii. Domitianus et Mucianus absente Vespasiano regnant. Prætura Sex. Julii Frontini (cujus duo exstant libri) et Aruleni Rustici. L. Calpurnius Piso proc. Africæ a Valerio Festo successore interemptus. Pompeius Silvanus leg. proc. Dalmatiæ, T. Ampius Flavianus Pannoniæ, M. Aponius Saturninus et Fonteius Agrippa Mœsiæ, Vettius Bolanus Britanniæ. 70, Hierosolyma

a Tito capta ac diruta. Imperium Vespasiano a senatu decretum lege regia. Julius Sabinus Lingo Julii Cæsaris filius putatur salutaturque Cæsar: sed victus fugit et per novem annos latet. Bellum in Batavis, Germania et Gallia motum a Claudio Civile, cui mox junguntur Classicus, Julius Tutor et Julius Sabinus. Res adversus eos gestæ a Petilio Ceriale. Deditio Civilis. Veledæ numen. Vespasianus Alexandriæ vetera ac nova tributa exigit; deinde in provinciis, in Italia et Romæ, ubi et urinæ vectigal instituit. Mathematici Roma pulsi, et sublata majestatis judicia. Cœlius Sabinus JC. et cos. suff. 71, Helvidii Prisci temeraria loquendi libertas ac mors. Demetrius, Hostilius cæterique philosophi præter Musonium Roma pulsi. Cænis, potens et avara Vespasiani amica, moritur. 72, Petilius Cerialis Britanniæ præest. Urbs restituta et exornata; ordo uterque suppletus et purgatus; disciplina militaris emendata; lites terminatæ. 73, Centena annua rhetoribus constituta. Ærearum tabularum tria millia, quæ incendio Capitolii conflagraverant, restituta. 74, Hoc forte anno Pegasus JC. consul, et SC. Pegasianum de fideicommissis hereditatibus. 75, Templum Pacis dedicatur, et colossus Neronis iterum erigitur in via Sacra. Pulcherrima Berenice, quæ cum Agrippa Romam venerat et a Tito unice amabatur, ab eo dimittitur. Diogenis, Heræ aliorumque Cynicorum dicacitas punita. 76, Hoc forsan anno Julius Frontinus Britanniæ præficitur. 78-83, Cn. Julius Agricola propr. res egregie in Britannia gerit. 79, Mors Julii Sabini (vid. ad A. 70), Allieni et Marcelli conjuratorum, ac Vespasiani.

79-81, *Titus Flavius Vespasianus.*

79, Primum Vesuvii incendium, quo Herculanum, Pompeii et Plinius major pereunt. 80, Ingens incendium Romæ sæviens. Dedicatio amphitheatri et thermarum Titi, ludique per centum dies dati. C. Valerius Flaccus. P. Juventius Celsus pater. Onkelos.

81-96, *T. Flavius Domitianus.*

81, Castrari mares vetiti. 83, Domitia Augusta, Paridis histrionis amore deperdita, repudiatur reduciturque; Paris obtruncatur. Julia, Titi filia, a patruo corrupta. Vestales occisæ. 84, Domitiani expeditio Germanica, nullo hoste invento. Honores ei decreti. Aurigarum factiones auctæ. 86-105, Decebalus, rex Dacorum, et bella ab eo cum Romanis gesta. Pax tributo empta. Triumphus Dacicus. 89-163, Justinus Martyr. 90, Finis regni Judaici. Exquisita Christianorum supplicia. 91, Consulatus M. Ulpii Trajani et M'. Acilii Glabrionis. Spectacula epulaque. Multi acubus venenatis necati. Antonius proc. Germaniæ, res novas moliens, a L. Maximo occisus. 91-107, Pacorus II. 93, Mors Agricolæ. 94, Epictetus. Dio Chrysostomus. 95, Censura Domitiani. Philosophi Roma pulsi et quidam interempti, in his Stoici Rusticus Arulenus et Herennius Senecio. Supplicia de Christianis, T. Flavio Clemente cos., Glabrione consulari, qui in Albano et Juvenalibus cum leone pugnaverat, Epaphrodito et aliis sumpta. 96, Conjuratio Domitiæ Augustæ, Parthenii aliorumque. Apollonius Tyanensis, Ephesi præsagiens mortem tyranni. Statius poeta obit.

96-98, *M. Ulpius Cocceius Nerva.*

76, Beneficia superiorum Principum edicto confirmata; et alimenta pueris puellisque per Italiam constituta. Prætor fiscalis. 97, L. Verginius Rufus cos. Conjuratio Calpurnii Crassi. Prætoriani tumultuantes auctore Casperio Æliano præf. Sulpicia. 98, Tacitus cos. suff. Trajanus adoptatus.

98-117, *M. Ulpius Nerva Trajanus.*

100, Sex. Julius Frontinus cos. Javolenus Priscus JC. ex prætura deinde Syriæ et Africæ præpositus. Neratius Priscus JC. Trajano gratissimus et successor aliquando destinatus. Ælianus Tacticus. Philo Biblensis. Sanchoniathon? 100-105,

Bellum cum Decebalo gestum a Trajano ejusque legatis Lusio Quieto, L. Licinio Sura, Claudio Liviano præf. præt. et Longino. 102, Plinius junior cos. suff. 104, Danubius a Trajano junctus ponte lapideo. 105, Mors Decebali. Dacia provincia Rom. et Arabia Petræa ab A. Cornelio Palma leg. proc. Syriæ expugnata. 107, Spectacula CXXIII dierum. Paludes Pontinæ lapidibus stratæ. Bibliotheca, forum, odeum, gymnasium et ingens statua Trajani, ab Apollodoro exstructa: statuæque ab eo amicis suis positæ, Palmæ, Suræ, C. Sosio, L. Celso. 107-134, Cosroes (Osroes?) 110, C. Suetonius Tranquillus, Jul. Obsequens? 114, Trajanus a senatu appellatus Optimus et Parthicus. 114-117, Expeditiones ejus in Armeniam, quæ Parthamasiri, in Adiabenen, quæ Mebarsapi eripitur, in Mesopotamiam, Parthiam, quod regnum Parthamaspatæ datur, in Arabiam, etc. Antiochia aliaque oppida ingenti terræ motu afflicta. Defectio provinciarum in Oriente. 116, Ignatius obit. Papias. Hermas. L. Annæus Florus. 117, Trajanus Selinunte (h. Trajanopoli) in Cilicia moritur, et Hadrianus artibus Plotinæ Augustæ ad imperium pervenit.

117-138, *P. Ælius Hadrianus.*

117, Celsus, Palma, Lusius, Nigrinus, Apollodorus aliique occisi. Euphrates iterum finis imperii in Oriente statutus. 119-135, Iter ab Hadriano per omnes fere provincias factum. Res militaris et disciplina diligentissime constituta. 120, P. Juventius Celsus, filius, JC. Masora. Kabbala. 120-192, R. Juda; R. Jochanan; R. Gamaliel. 122, In Ægypto moritur Antinous, deliciæ Principis. Favorinus. Aquila. 125-160, Claudius Ptolemæus. 129-190, Ælius Aristides. 130, Caius JC. Polemo rhetor et philos. 131. Publicatur edictum perpetuum (jus honorarium), compositum a Salvio Juliano JC. 131-200, Galenus. 133, Ælia Capitolina et ædes Iovis exstructæ in solo dirutæ Hierosolymæ. Hinc Judæi rebellant, et tota fere gens deletur a Julio Severo; qui deinde

Bithyniæ præficitur. Pharasmanes, qui Albanos concitaverat adv. Romanos, venit Romam. Advocatus s. patronus fisci instituitur. Italia, in quatuor provincias divisa, Consularibus regenda datur. Officia palatina, militaria et publica, usque ad Constantinum M. servata. 134, Arrianus. Cornelius Fronto JC. 134-189, Vologeses II, 135, L. Ceionius Ælius Commodus Verus (Ælius Verus) adoptatur, eoque mortuo, 138, T. Aurelius (Arrius, Annius) Fulvus Boionius Antoninus, qui M. Antoninum (M. Annium Verum) et L. Aurelium Verum (L. Ceionium Ælium Commodum Verum Antoninum) adoptare jubetur.

138-161, *Antoninus Pius.*

Princeps Numæ regi similis, a senatu appellatus *Pius.* Britanni victi a Lollio Urbico, ab aliis legatis Mauri, Germani, Daci, Judæi, Achæi, Ægyptii, Alani. Honores et salaria rhetoribus ac philosophis delata in omnibus provinciis. 139, Justinus Martyr. 140, Phlegon. Justinus? 143, Cornelius Fronto et Cl. Herodes Atticus, rhetores, et Junius Rusticus ac Nicomedes Apollonius, philos. Stoici, præceptores Antonini philos. 147, Appianus. 150, Vinidius Verus, Salvius (Aburnus) Valens, L. Volusius Mæcianus, Ulpius Marcellus et Javolenus JCti et consiliarii Principis. Junius Mauricianus; Sex. Pomponius; Sex. Cæcilius Africanus. Taruntenus Paternus et Papirius Justus alii JCti. Hephæstio Gramm. 155-234, Dio Cassius. 160, Antoninus Liberalis; Ælius Herodianus; Ptolemæus geogr.; Apollonius Dyscolus; Maximus Tyrius; Symmachus; L. Appuleius; Fl. Avianus; A. Gellius. Justinus? Dionysius Cato? Praxeas; Noetus; Sabellius; Montanus. Noetiani, Sabelliani, Montanistæ, Nazaræi, Ebionitæ, Ascetæ, Pneumatici et Psychici. Saturninus, Basilides, Carpocrates, Marcion, Cerdo, Gnostici.

161-169, *M. Aurelius Antoninus Philosophus* et *L. Verus* (vid. ad A. 138), *Divi Fratres*, sive *Antoninus et Verus Augusti.*

162-165, L. Verus, consors imperii et gener Antonini, Lucilla filia ejus ducta, bellum Parthicum adv. Vologesen, qui Soæmum ex Armenia pepulerat, per legatos, Avidium Cassium et Thucydiden, gerit, residens Antiochiæ. 165, Polyænus; Athenagoras; Hermogenes rhetor et philos. 168, Melito. 169, L. Verus, socero insidians, venenum haurire cogitur.

169-180, *M. Aurelius Antoninus Philos.* solus.

171, Tatianus. 172-174, Jazyges, Marcomanni et Quadi ab Antonino (Quadi virtute legionis tonantis, e Christianis scriptæ), et Germani a T. Claudio Pompeiano et Pertinace devicti. Ægyptiorum rebellionem, ab Isodoro sacerdote motam, comprimit Avidius Cassius, toti Asiæ præfectus. 174, Pausanias. Oppianus. 175, Avidius Cassius, filius Heliodori oratoris et præfecti Ægypto, a Faustina incitatus, invadit imperium et necatur. Marcius Verus Syriæ præpositus. 176, Commodus, Antonini filius, Neroni quam patri similior, collega imperii assumitur: unde in Digestis memorantur Divus Marcus et Commodus, vel Antoninus et Commodus. Prætor tutelaris, et Juridici loco Consularium in Italia constituti. Imperatoris libri πρὸς ἑαυτόν. 177, Scythæ a Quintiliis Condiano ac Maximo, et a Tarrutenio Paterno præf. præt. domiti.

180-192, *L. Ælius Aurelius Commodus Anton.*

180, Pax cum Marcomannis, Quadis et Burrhiis composita. Quintilii, Paternus, Salvius Julianus, Quadratus, Sextus Condianus aliique nobiles occisi præter Claudium Pompeianum, Pertinacem et Victorinum præf. Urbi. Lucianus; Jamblichus; Pollux; Irenæus; Theodotion; Phrynichus; Palladius. 182, Sarmatæ ab Albino et Nigro, Britanni ab Ulpio Marcello domiti. Rebellio diuturna et a Pertinace præf. Urbi anno demum 192 sedata Britannicarum legionum, quarum furori permittitur Perennis præf. præt. 184, Clean-

der cubicularius potentissimus, qui XXV consules in unum designabat annum, omnesque honores vel vendebat vel pro arbitrio dabat, A. 189 a plebe obtruncatur cum filio. 185-254, Origenes. 189, Multi acubus venenatis et peste pereunt, multi sævitia Principis, in his Julianus præf. præt., Julius Alexander et Dionysius præf. annonæ. Commodus auriga, gladiator et bestiarius; dictus Hercules, Deus, Amazonius et Exsuperatorius. R. Juda et Mischnah. 189-214, Vologeses III. 190, Africana classis adjecta Alexandrinæ. 192, Conjuratio Æmilii Læti præf. præt. et Eclecti cubicularii. Dio Cassius historiæ scribendæ consilium capit.

193, *P. Helvius Pertinax.*

193, Claudius Pompeianus et Acilius Glabrio assessores Principis in senatu. Socer ejus, Flavius Sulpicianus, præf. Urbi. Bonus Princeps a prætorianis, disciplinæ impatientibus et fraudulenta Læti sævitia incensis, die LXXXVII imperii obtruncatur cum Eclecto. Æl. Mœris; Sex. Empiricus; Clemens Alexand.; Theophilus Antiochenus; Nonius Marcellus.

193, *Didius Julianus.*

Hic pronepos Salvii Juliani JCti a prætorianis imperium, licitatione facta et superato Flavio Sulpiciano competitore, mercatur; sed militibus, senatui plebique invisus die imperii LXVI interficitur.

193-211, *L. Septimius Severus.*

Princeps crudelis, sed fortissimus et reip. utilissimus; quare judicio senatus aut nasci non debuisset, aut non mori. 193, 194, *Pescennius Niger* Imperator in Syria salutatur, et a Candido, Valeriano et Anulino, Severi ducibus, ter victus perit. 194-196, Byzantium oppugnatur capiturque. 195, Expeditio Severi adv. Osroenos, Adiabenos et Arabas. 196, 197, *D. Clodius Septimius Albinus,* Cæsar a Commodo dictus, in

Britannia desciscit, et in atroci prælio ad Lugdunum a Severo et Læto superatus sibi necem consciscit. Numerianus gramm. militibus in Gallia scriptis res bene gerit. 199, Vologeses Mesopotamiam occupat; sed a Severo et Læto ad pacem petendam cogitur. Julius Crispus præf. præt. et Lætus necantur. Oppugnatio Atræ. 200, Iter Severi in Palæstinam et Ægyptum. Philostrati. Obsequens. Q. Serenus Sammonicus. Fingal? 203, L. Fulvius Plautianus præf. præt., Sejano similis, cujus filia Plautilla Bassiano seu Caracallæ, Severi filio, a. 202, nupserat, jussu Principis obtruncatur. Damnatio Plautillæ, Plautii, Aproniani, Quintilli Plautiani, Bæbii Marcellini. Vita dissoluta et discordia filiorum Severi. 205-270, Plotinus. 208-211, Res a Severo in Britannia adv. Caledonios et Mæatas gestæ, et vallum ab eo per XXXII millia passuum a mari ad mare ductum. 210, Diogenes Laertius; Agathemer; Dositheus gramm. Julius Paullus JC. M. Minucius Felix. 211, Severus Eboraci moritur.

211-217, *Antoninus Caracalla* seu *Tarantas.*

211, Hic, Caligulæ simillimus, *P. Septimium Getam* fratrem, a patre consortem imperii relictum, ipse sua manu in gremio Juliæ matris obtruncavit, et Æmilium Papinianum, JCtum celeberrimum ac præf. præt., hanc cædem defendere recusantem, Cilonem, præceptorem ac præf. Urbi, Thraseam Priscum aliosque interfici jubet. 212, Stolida Alexandri imitatio. Nova tributa et pecuniarum exactio. Decima hereditatium, manumissionum largitionumque. Civitas omnibus ingenuis, in imperio Rom. viventibus, data. Osroene et Armenia fraudulenter regibus, Augaro et Sanatruci, ereptæ. 213, Alemanni perfide trucidati. Pecunia Cennis aliisque Germanis data. 213-273, Longinus. 214-226, Artabanus IV ultimus Parthorum rex. 216, Bellum adv. Parthos et Armenios gestum. Alexandria direpta. 216, 217, Nova ac perfida expeditio adv. Artabanum. Caracalla occiditur a Macrino præf. præt.

217, 218, *M. Opilius Macrinus*, et *Diadumenianus* filius.

218, Macrinus a Parthis victus pacem emit; mitigatque Tiridatem Armeniæ regem et Dacringos. Idem statuit, omnia superiorum Principum rescripta tollere, ut jure agatur. Sed rebellione militum orta in Syria occiditur cum filio. Mæsæ, sorori Juliæ Domnæ Augustæ, uxoris Severi, et Julio Avito erant duæ filiæ, quarum major Soæmis, Vario Marcello nupta, Avitum, minor, Mammæa, uxor Gessii Marciani, Bassianum pepererat. Hic postea dictus est Alexander Severus, ille, qui Caracallæ credebatur filius et Elagabali dei Syriæ sacerdos Emesæ erat.

218-222, *M. Aurelius Antoninus Elagabal*, seu *Heliogabalus*, puer aviæ matrisque virtute, artibus et largitione a militibus lectus Imperator, qui etiam Pseudantoninus et propter libidines Sardanapal appellatus est. Nestor, Fabius Agrippinus, Picas, Rhianus, Claudius Attalus, Triccianus, Sulla, Seius Caius, Valerianus Pætus, Silius Messala, Pomponius Bassus, Gannys, Principis præceptor, cui imperium ille debebat, Verus et Gellius Maximus interficiuntur. Elagabal fit summum Romanorum numen, et Imperator ejus sacerdos. Circumcisio Principis aliorumque, aurigatio saltatioque. Potentia Eutychiani seu Comazonis, Hieroclis et Aurelii Eubuli. 220, Athenæus; Ammonius Saccas philos. Tertullianus obit. Solinus? Jul. Obsequens? 221, Alexander consobrinus Principis (vid. ad a. 218) ab eo adoptatur.

222-235, *Alexander Severus*, qui consilia Mammeæ matris et Domitii Ulpiani, JC. ac præf. præt., sequutus bene regnat, sed nimis indulget avaritiæ matris et dominandi cupiditati. 225, Claudianus Ælianus. 226-241, Artaxerxes I (Ardschir seu Sassanides I), qui regno Parthico everso Persicum restituit, et Mesopotamiæ Syriæque imminet. 228, Ulpianus a prætorianis occisus auctore Epagatho. 229, Dio Cassius cos. II, qui paullo post in patriam et otium redit.

Curatores Urbis XIV, ex consularibus facti, et negotia urbana cum præf. Urbi curantes. Præfecti præt. senatores et Viri Clarissimi. 230, Herennius Modestinus et Terentianus Maurus. 233-305, Porphyrius.

235, 236, *Maximinus* Thrax, cujus opera Alexander in militum seditione una cum matre occisus erat Moguntiæ, flagitiose et crudeliter regnat, et in oppugnatione Aquileiæ a militibus suis opprimitur.

236, *Gordiani I et II*, pater et filius.

237, *Maximus* et *Balbinus*.

237-244, *Gordianus III*, nepos.

Is bene regnat consiliis Misithei soceri: quo mortuo perit per fraudem Philippi præf. præt., qui jam ei vivo per milites extorserat consortium imperii. 238, Herodianus hist. et Censorinus. 241, Nepos Chiliastes. 241-272, Sapor I. (Schapur.)

244-249, *Philippi*, Arabes, pater et filius.

Imperatores avari et crudeles, quos jam Christianos fuisse quidam contendunt. 248, Annus millesimus Urbis et imperii Rom. ludis sæcularibus actus. 249, Paullus Thebanus et Eremitæ.

249-251, *Decius* cum Messio filio Cæsare regnat, et a Gothis victus perit. 250, Sævissima Christianorum persecutio. Cyprianus. Palladius? Solinus? Cœlius Apicius? 251, Novatianus.

251-253, *Gallus*, *Volusianus* filius et *Hostilianus*.

253-260, *Valerianus* et *Gallienus* filius, postquam *Æmilianus* Maurus per tres menses imperium tenuerat. 260, Valerianus in bello Persico a Sapore dolo capitur, et misera in servitute consenescit.

260-268, *Gallienus,* homo libidinosus, ignavus et servitutis paternæ incuriosus, a quo omnes fere provinciæ desciscunt. 261-277, *Dominatio XXX Tyrannorum,* inter quos eminent Odenatus et Zenobia, uxor ejus, Palmyreni regni conditores. 262, Plotinus. 264-340, Eusebius.

268-270, *M. Claudius.*

Hic insignem de Gothis reportavit victoriam, et imperium reliquit *Quinctillo* fratri, qui illud per XVII dies tenuit.

270-275, *Aurelianus* Princeps necessarius magis, quam bonus, fortissimus adv. hostes et in cives crudelis, qui, cæsis ingentibus Germanorum copiis, Zenobiam captam duxit in triumpho, sed urbanis motibus monetariorum nimium quantum civilis sanguinis fudit. 270, Achilles Tatius; Manes et Manichæi. 272, Hormisdas I. 273-276, Vararanes (Varanes) I. Post interregnum VII mensium successit

275, *Tacitus,* vir gravis, constans et prudens, at sexto mense insidiis aut morbo absumptus; ut paulo post *Florianus,* frater ejus.

276-282, *Probus.*

Imperator belli pacisque artibus insignis, qui reliquos tyrannos oppressit. 276-293, Vararanes II. 279, R. Jochanan auctor Gemaræ Hierosol. Talmud. 280, Olympius Nemesianus.

282-284, *Carus* filiique *Carinus* et *Numerianus.*

Pater ingentes Sarmatarum copias delevit, et in expeditione adv. Persas fulmine ictus periit; nec multo post filii, ille a Diocletiano, hic a socero occisus.

284-304, *C. Aurel. Valer. Diocletianus,* qui victoriis consiliisque pacem terra marique peperit, multasque egregias dedit leges, at civibus et provinciis gravis fuit. 284, Maximianus Cæsar.

286-304, *Diocletianus* et *Maximianus Herculius.*

Christiani crudeliter vexati. Nimiæ copiæ, indictiones tributorum, concisiones provinciarum (v. c. Galliarum in XIV partes), multiplicatio præsidum, officiorum, Rationalium, Magistrorum, Vicariorum præfectorum. 290, Timæus. T. Julius Calpurnius. 292, *Galerius Maximinus* et *Constantius Chlorus*, Claudii Imp. nepos, Cæsares. Administratio provinciarum inter hos et Augustos divisa, non ipsum imperium. 293, Vararanes III. 294-301, Narses. 296-373, Athanasius. 300, Alciphron. Eumenius. Arnobius. Theon? 301-309, Hormisdas II. 301-391, Macarius et scriptores historiæ Augustæ, Æl. Spartianus, Jul. Capitolinus, Æl. Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio et Fl. Vopiscus. 304, Augusti imperio se abdicant, coacti a Galerio, et Diocletianus in privato otio hortisque consenescit, ac primus omnium privatus inter Divos refertur.

304-306, *Galerius Maximinus* et *Constantius Chlorus.*

Hic mitis ac bonus, ille sævus in Romanos, provinciales et Christianos. Divisio orbis Rom., ut hereditatis in duas partes. *Severus* et *Maximinus* Cæsares. Mortuo Constantio,

306, 307, *Galerius* et *Severus* dicuntur Augusti, et *Constantinus*, Constantii f., Cæsar. Sed Severo mox occiso *Maxentius*, Maximiani f., principatum invadit, et ipse senex Maximianus resumit imperium.

307-313, *Galerius*, *Maxentius*, *Maximianus*, *Licinius*, atque Cæsares *Maximinus* et *Constantinus*, qui et ipsi 311 Augusti creantur. Post Consulatus notari exinde cœpti, aliis consulibus a Galerio, aliis a Maxentio creatis. 309-380, Sapor II. 310, Maximianus et 312, Maxentius a Constantino occiduntur. 311, Galerius moritur, et 313, Maximinus, a Licinio victus, se ipse interficit. (310, Jamblichus. Harpocration. 311 sq. Donati et Donatistæ. 312-391, Gregorius Nazianzenus.)

313-323, *Licinius* et *Constantinus*.

Hi Cæsares sibi adsciscunt *Crispum* et *Constantinum* juniorem, Constantini filios, et *Licinium* juniorem. 314-323, Bellum geritur inter Augustos, et Licinius tandem captus necatur. 314-341, Paullus Thebanus Eremita primus. 314-356, Antonius, auctor monachorum et cœnobiorum. 314-386, Cyrillus Hierosol. et Libanius. 316-380, Basilius M. 319, Arius. 320, Aphthonius. Septimius Romanus. R. Hillel II. Dictys ? Dares ? 321, Nazarius et Chalcidius.

323-337, *Constantinus M.* solus (cum aliis 311-323).

Primus imperator Christianus, sed moriens demum baptizatus, et flagitiosissimus, qui præter multos alios Crispum filium et Faustam uxorem diro mortis genere peremit. 325, Concilium Œcumenicum Nicæum. Lactantius. 329-420, Hieronymus. 331, Byzantium fit Roma nova, Constantinopolis et imperii sedes, cui senatus magistratusque iidem, qui Romæ, dantur: unus tamen ibi consul est, alter Romæ. Imperium in IV Præfecturas Prætorianas, Orientis, Illyrici, Galliarum et Italiæ, divisum, et hæ in provinciarum diœceses. Potestas militaris data Magistris Militum, et Equitum et Peditum. Patriciatus, Nobilissimatus aliæque dignitates. Quæstor Palatii et Comites ordinis primi (Consistoriani), secundi tertiique. Institutio follis et chrysargyri seu auri lustralis, tributorum. Indictio (computatio temporum secundum spatia trium quinquennalium) jam ab a. 312 in usu esse cœperat. 335, Dexippus. Gabrias seu Babrias ? 336, Julius Firmicus Maternus. Nonius Marcellus ? Charisius. Gregorius seu Gregorianus et Hermogenianus JCti et auctores Codicum.

337-361, *Constantinus II*, *Constans* et *Constantius II*.

Divisio imperii, gignens bellum fraternum. 340, Constantinus a Constante fusus perit. 341 sq. Photinus. 347-407, Joannes Chrysostomus. 350, *Magnentius*, qui in Rhætia

exercitui præest, Constante insidiis interempto, Imperator salutatur, fratresque Decentium et Desiderium Cæsares dicit. Aurelius Victor. Hilarius. 350-414, Hypatia. 351, Gallus, Constantii patruelis, Cæsar. 353, Magnentius, a Constantio debellatus, Desiderium et deinde semet ipse ut mox Decentius, interficit. 353-361, solus regnat Constantius, Arianorum fautor et homo flagitiosus atque crudelis, qui et initio imperii Dalmatium patruelem, Constantium patruum et Hannibalianum, Nobilissimos ac Cæsares, et a. 354 Gallum interemit. 354, Ælius Donatus. 354-430, Augustinus. 355, Julianus, Galli frater, Cæsar. 358, Aristænetus obit. 360, Himerius, Themistius, Oribasius, Diophantus, Sallustius philos. Gr., Eunomius, Ammianus Marcellinus. Macedonius decedit. 360-398, Ambrosius. 361, Julianus Lutetiæ Paris. nomen Augusti sumit, et Constantius, adversus eum proficiscens, in itinere moritur.

361-363, *Julianus* Apostata, vir doctus et rei militaris peritus, qui, religione per Taurobolium ejurata, auctore Maximo philos., scholas Christianorum claudi gentiliumque aperiri jussit, Judæisque dedit potestatem reficiendi templi Hierosol.; quod tamen divina vi impeditum creditur. 362 sq. Apollinaris. 363, Julianus a Persis cæsus. Succedit ei primicerius protectorum domesticorum,

363, 364, *Jovianus.*

Pax cum Persis facta, et restitutum religionis Christianæ exercitium.

364-375, *Valentinianus* et *Valens* fratres.

Ille Occidentem, hic Orientem administrandum recipit. 365, Antonini Aug. Itinerarium. Marius Victorinus. Sex. Rufus. Pagani. 367, *Gratianus*, Valentiniani filius octennis, Augustus dicitur. 370, Vegetius. Euphræmus Syrus. Ampelius? 372, Gregorius Nyssenus. Avienus. 374 sq. Migratio-

nes gentium. Valentinianus Alemannos et Saxones sæpius vincit, et 375 in Pannonia moritur.

375-378, *Gratianus* et *Valentinianus II* fratres et *Valens.*

Valens, Arianorum fautor, Ulphilam, episcopum Arianum, Gothis mittit, religionem Christianam amplecti cupientibus, et 378, a Gothis et Alanis victus in tugurio crematur. 378, Paullus Alexandr.

378-383, *Gratianus*, *Valent. II* et *Theodosius.*

Huic Oriens permissus. 379, Ausonius cos. Zeno Afer, episcopus Veronensis. Jul. Obsequens? 380-3, Artaxerxes II. 380-450, Socrates Scholasticus, hist. eccles. 381, Concilium œcumen. Constantinopol. 383-8, Sapor III. 383, *Maximus*, Galliæ præses, Lugduni occidit Gratianum, et imperium arripit.

383-392, *Valentinianus II* et *Theodosius.*

388-399, Vararanes IV. 390, Heliodorus, Theon, Pappus, Festus. 392, Valentinianus II, Arianorum fautor et ab a. 388 in Gallia otiose vivens, Viennæ ad Rhodanum insidiis Arbogastis interimitur.

392-395, *Theodosius* M. solus.

Hic imperii æmulos, Maximum, Eugenium et Arbogasten, captos occidit, et, Gothis sæpius profligatis, otium imperio reddidit. Cultus veri dei ubique restitutus. Officia et militaria, et palatina ac civilia aucta, omniaque in IV ordines descripta, Illustrium, Spectabilium, Clarissimorum et Perfectissimorum. 393, Didymus Alex. obit. 393-457, Theodoretus. 394, Symmachus præf. Urbi. 395, Claudianus. Palladius? Vibius Sequester? Theodosio filii succedunt, Honorius in Occidente, Arcadius in Oriente.

395-423, *Honorius.*

Stilico, tutor ejus et affinis, 405, Radagaisum, Gothorum occidental. ducem, profligat, sed 408 necatur, quia cum Alarico, successore ejus, conspirasse creditur. 395-408, Arcadius, cujus imperium affectant Rufinus, tutor perfidus, Eutropius eunuchus et Gainas, dux Gothorum, a Rufino accitus; qui mox omnes pereunt. Quo facto Eudoxia Augusta regnat. 397, Bellum Gildonicum, a Gildone, comite Africæ, motum. 399-420, Izdescherd I. 400, Hesychius, Longus, Hermias, Sozomenus, Eunapius, Servius. 402-417, Innocentius I. 403, Epiphanius obit. 405, Prudentius. Nemesius. Ossianus? 407 sq. Gundaricus et Gensericus. Vandali, Suevi, Burgundi et Alani. 407 sq. in Britannia et Gallia Imperatores salutantur Marcus, Gratianus, Constantinus, Constans, Maximus. 411, Magontiaci Jovinus et Sebastianus. 413, In Africa Heraclianus comes. 408-450, Theodosius II qui anno ætatis VIII imperium Orientis nactus primum saluberrimis Anthemii tutoris et Pulcheriæ sororis, deinde malis consiliis Antiochi Chrysaphii aliorumque cubiculariorum eunuchorumque usus est, et pacem cum Hunnis grandi pecunia redemit. 408, 409, Olympius, et 409 sq. Jovius Stiliconi sufficiuntur, mali homines. 408-410, Roma ter oppugnata ac direpta ab Alarico, et Attalus Imperator constitutus. 410, Alarico succedit Ataulphus propinquus, qui cum Honorio pacem facit, et 414, ducta ejus sorore Placidia, in Hispaniam adversus Vandalos profectus, 415 a suis occiditur. 409 sq. Saxones, Picti et Scoti in Britannia. 410, Nonnus, Pelagius, Synesius, Macrobius, Sulpicius Severus. Xenophon Ephesius? Chariton? 410-476, Hierocles. 412-485, Proclus. 415-419, Wallia rex Gothorum in Hispania, successor Ataulphi. 416. Rutilius Numatianus et Orosius. 419-451, Theodericus I, qui regnum Gothorum in Hispania amplificat. 420-440, Vararanes V. 421-440, Athenais seu Eudocia, Leontii philos. filia et poetria, est uxor Theodosii II, et ab a. 440-460 Hierosolymis vivit aulam relinquere coacta. 421, Constantius, Galliæ co-

mes, qui a. 417 Placidiam, Honorii sororem, duxerat, fit consors imperii, sed mox moritur.

423-425, *Joannes*, Primicerius Notariorum.

425-455, *Valentinianus III*, filius sexennis Constantii et Placidiæ, sub tutela matris est, et 437, uxorem ducit Eudoxiam, Theodosii II filiam. Maximæ imperio Rom. provinciæ a Barbaris eripiuntur propter inertiam libidinesque Imperatoris et discordiam Aetii ac Bonifacii, summorum hujus ævi ducum. 425, Olympiodorus. 427-432, Bonifacius in Africa invitus molitur res novas et necatur. 428 sq. Nestorius. 429 sq. Africæ pars a Genserico (Geiserico) capta. 431, Concilium œcum. Ephesinum, et damnatio Nestorianorum. Cyrillus Alexandr. 433, Zosimus. 437-448, Chlodio seu Glogio. 438, Codex Theodosianus. Salvianus. 440-461, Leo I Episcopus Rom. 440-457, Vararanes VI. 445, Isidorus Pelusiota. 448, Eutyches. 448-456, Merovæus. 449 sq. Hengist et Horst, duces Anglorum, Saxonum et Jutorum, Britanniam occupant. 450, Cœlius Sedulius. 450-457, Martianus, a Pulcheria Theodosii II sorore in tori imperiique consortium receptus in Oriente. 451, Concilium œcum. Chalcedonense; Monophysitæ; Patriarchæ. Attila, Hunnorum rex, ab Aetio in campis Catalaunicis vincitur; sed mox Italiam vastat, et 453 moritur. 451-453, Thorismundus, Theoderici I filius, cui fratres succedunt, 453-466, Theodericus II, et 466-484, Euricus.

455, *Petronius Maximus*, qui Valentinianum III interfecerat, et invitam duxerat Eudoxiam Augustam. Ab ea ex Africa evocatur Gensericus, qui, occiso Imperatore cum Palladio filio Romaque direpta, Eudoxiam cum filiabus, Eudocia et Placidia, in Africam abducit, et Eudociam Honorico filio collocat.

455, 456, *Flavius Mæcilius Avitus.*

456, Ricimer Comes, a regio Suevorum sanguine oriundus et nepos Walliæ (vid. ad a. 415), usque ad a. 472, vel Imperatores facit, vel ipse regnat. 456-481, Childericus.

457-461, *Majorianus.*

Imperium Rom. in Gallia et Hispania restitutum, et expeditio adv. Vandalos. 457-474, Leo I Magnus seu Thrax opera Asparis, Patricii et Gothi, regnum Orientis accipit, et ab Anatolio patriarcha coronatur. 457-488, Hormisdas III, et Pheroses. (Firuz.) 460, Sidonius, et Marcianus Capella.

461-465, *Libius Severus.*

Marcellinus patricius in Dalmatia, et Ægidius in Gallia regnat. 462, Moses Chorenensis.

465-467, *Ricimer.*

Hic regnat, ut jam inde ab a. 461, sed sine titulo Augusti.

467-472, *Anthemius*, gener Leonis M.

470, Stephanus Byzant. 470-524, Boethius. 472, Ricimer capit Romam, et Anthemius perit.

472, 473, *Olybrius*, gener Valentiniani III. Ricimer et Olybrius moriuntur.

473, *Glycerius:*

474, 475, *Julius Nepos.*

474, Leo II, et 474-476, Zeno Isauricus, Imperatores Orient. 475, Orestes, dux et patricius, res novas molitur, et Augustus salutatur filius ejus.

475, 476, *Romulus* (Momyllus) *Augustulus.*

Ultimus Imperator Romanorum, quem Odoacer in exsilium pellit.

N. B. Ab Augusto ad Romulum hunc ultimum Romanorum imperatorem, vix ac ne vix quidem aliquot consules in tabulis commemorat cl. Ruperti. Quotannis tamen in hoc ætatis spatio fuere consules qui anno nomen dederunt: ad imperatores vero qui fere omnia consulum munera induerant, horum tota transierat potestas; ex iisque pauci aliquid memoria dignum egere. Basilius fuit novissimus consul qui nomen anno dederit. (P. C. 541.) Ed.

QUÆDAM ANTIQUITATIS
MONIMENTA

QUÆDAM ANTIQUITATIS MONIMENTA.

I.

DUODECIM TABULÆ LEGUM DECEMVIR.

Tabula I, de in jus vocando.

....
....
....

SIn jus vocatquEat: NIt, antestamino: igitur, em capito.
Si calvitur pedemve strVit, manum endo jacito.
Si morbus aevitasve vitium escit, quIn jus vocabit jumentum dato: si nolet, arceram ne sternito.
Si ensiet, qui in jus vocatum vindicit, miTito.
ASiduo vindex aSidVs esto: proletario cuique volet vindex esto.
Endo via rem, uti paicunt, orato.
NIta paicunt, in comitio aut in foro ab ortu ante meridiem causam conscito, cum perorant ambo praesentes.
Post meridiem praesenti stlitem aDicito.
Sol oCasus suprema tempestas esto.

Tabula II, de judiciis et furtis.

....
....
....
.... vades subvades..........................
extra quam si morbus sonticus......................

votum, absentia rei publicae ergo, aut status dies cum hoste intercedat: nam si quid horum fuat unum judici arbitrove reove, eo die diFensus esto.

....

Cui testimonium defuerit, is tertIs diebus obportum obvagulatum ito.

Si nox furtum faxit, sIm aliquis oCisit, jure caesus esto.

Si luci furtum faxit, sIm aliquis endo ipso capsit, verberator iLique, coi furtum factum escit, aDicitor.

Servus virgis caesus saxo deIcitor: Inpubes Prætoris arbitratu verberator noxiamque decernito.

Si se telo defensint, quiritato endoque plorato: post deinde si caesi escint, se fraude esto.

Si furtum lance licioque conceptum escit, atque uti manifestum vindicator.

Si adorat furto, quod nec manifestum escit, duplione decidito.

SIniuriAlienas arbores caesit, in singulas XXV aeris luito.

Si pro fure damnum decisum escit, furti ne adorato.

Furtivae rei aeternAuctoritas esto.

Tabula III, de rebus creditis.

....

....

Si qui endo deposito dolo malo factum escit, duplione luito.

Si qui unciario feriere amplius feneraSit, quadruplione luito.

....

Adversus hostem aeternAuctoritas esto.

Aeris confeSi rebusque jure judicatis XXX dies justi sunto. Post deinde manus injectio esto, in jus ducito. Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure vindicit, secum ducito, vincito, aut nervo aut compedibus XV pondo ne majore: at si volet minore, vincito.

Si volet, suo VIto: ni suo VIt qui em vinctum habebit, libras faRis endo dies dato: si volet, plus dato.

Ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto. Interibi trinis nundinis continuis in Comitium procitato, aerisque aestimiam judicati praedicato.

Ast si plures erunt rei, tertIs nundinis partis secanto: si plus minusve secuerunt, se fraudEsto: si volent, uls Tiberim peregre venum danto.

....

Tabula IV, de jure patrio et jure connubii.

Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.

Endo liberis justis vitae necis venum dandique potestas ei esto.

Si pater filium ter venundVit, filius a patre liber esto.

Si qui ei in X mensibus proximis postumus natus escit, justus esto.

....
....
....
....
....
....

Tabula V, de hereditatibus et tutelis.

Paterfamilias uti legaSit, super pecuniae tutelaeve suae rei, ita jus esto.

Ast sIntestato moritur, cui sVs heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto.

Si agnatus nec escit, gentilis familiam heres nancitor.

Si libertus intestato moritur, cui sVs heres nec escit, ast patronus patronive liberi escint, ex ea familia in eam familiam proximo pecuniADuitor.

Nomina inter heredes pro portionibus hereditarIs ercta, cita sunto.

Ceterarum familiae rerum ercto non cito, si volent heredes,

erctum faciunto : Praetor ad erctum ciendum arbitros tris dato.

Si paterfamilias intestato moritur, culnpubes suus heres escit, agnatus proximus tutelam nancitor.

Si furiosus aut prodigus existat, ast ei custos nec escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniavEjus potestas esto.

....
....
....

Tabula VI, de dominio et de possessione.

QVm nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaSit, ita jus esto.

SInficias ierit, duplione damnator.

Statuliber emptori dando liber esto.

Res vendita transquedata emptori non adquiritor, donicum satisfactum escit.

VS auctoritas fundi biennium :

aNVs VS esto.

Mulieris, quae aNum matrimonI ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, usus esto.

Si quIn jure manum conserunt, secundum eum qui poSidet : ast si qui quem liberali causa manu adserat, secundum libertatem vindicias dato.

Tignum junctum aedibus vineaeve ne concapEt ne solvito. Ast qui junxit, duplione damnator. Tigna quandoque sarpta, donec dempta erunt, vindicare jus esto.

Si vir mulieri repudium miTere volet, causam dicito harumce unam. ....
....

Tabula VII, de delictis.

Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxiAEstimiam oFerto: si nolet, quod noxit dato.

SIniuria rupitias.......... Ast si casu, sarcito.

Qui fruges excantaSit..........

Qui frugem aratro quaesitam furtim nox pavit secuitve, suspensus Cereri necator. Impubes Praetoris arbitratu verberator noxiamque decernito.

Qui pecu endo alieno impescit.......................

Qui aedes acervumve frumenti ad aedes positum dolo sciens incensit, vinctus verberatus igni necator; ast si casu, noxiam sarcito. Si nec idoneus escit, levius castigator.

Si quInjuriam alteri faxit XXV aeris poenae sunto.

Si qui pipulOcentaSit carmenve conDISit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito.

Qui membrum rupsit, nī cum eo paicit, talio esto.

Qui os ex genitali fudit, libero CCC. servo CL. aeris poenae sunto.

Qui se siriTestarier libripensve fuerit, ni testimonium fariatur, improbus intestabilisquEsto.

Si falsum testimonium dicaSit, saxo deIcitor.

Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit......

Qui malum carmen incantaSit, malum venenum faxit duitve, paRicida esto.

Qui parentem necaSit, caput obnubito culeoque insutus in profluentem mergitor.

Si tutor dolo malo gerat, vituperato, quandoque finita tutela escit, furtum duplione luito.

PatronuSi clienti fraudem faxit, sacer esto.

Tabula VIII, de juribus prædiorum.

Ambitus parietis sextertius pes esto.

Sodales legem quam volent, dum ne quid ex publica coRompant, sibi ferunto.

De finium ratione lex incerta, ad exemplum legis ... Atticae Solonis....

Intra V. P. aeternAuctoritas esto.

Si jurgant adfines, finibus regundis Praetor arbitros tris aDicito.

...hortus......

...haeredium.......

...tugurium........

Si arbor in vicini fundum impendet, XV. P. altius sublucator.

Si glans in EM caduca siet, domino legere jus esto.

Si aqua pluvia manu nocet, Praetor arcendae aquae arbitros tris aDicito, noxaeque domino cavetor.

Via in poRecto VIII. P. in amfracto XVI. P. lata esto.

Si via amsegetes iMunita escit, qua volet, jumentum agito.

....

....

....

....

Tabula IX, de jure publico.

Privilegia ne inroganto.

Nexo soluto, forti sanati siremps jus esto.

Si judex arbiterve jure datus ob rem judicandam pecuniam aCepsit, capital esto.

De capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto.

Quaestores paRicidI, qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creantor.

Si quIn urbe coetus nocturnos agitaSit, capital esto.

Si qui perdueLem concitaSit civemque perdueLi transduit, capital esto.

....

....

....

....

Tabula X, de jure sacro.

....
..... de jure jurando...............................
....

Hominem mortVm in Vrbe ne sepelito, neve urito.
Sumptus et luctum a DeornManium juREmoveto.
Hoc plus ne facito.
Rogum ascia ne polito.
Tribus riciniis et X. tibicinibus foris eFeRe jus esto.
Mulieres genas ne radunto, neve leSum funeris ergo habento.
Homini mortuo oSa ne legito, quo post funus facias, extra quam si beLi endove hostico mortVs escit.
Servilis unctura omnisque circumpotatio auferitor.
Murrata potio mortuo ne inditor.
Ne longae coronae neve aceRae praeferuntor.
Qui coronam parit ipse pecuniave ejus, virtutis ergo arguitor; et ipsi mortuo parentibusquEjus, dum intus positus escit forisvEFertur, se fraude imposita fiet.
Uni plura funera ne facito, neve plures lectos sternito: neve aurum aDito. Ast si cui auro dentes vincti escint, im cum iLo sepelire uREve se fraudEsto.
Rogum bustumve noVum propius LX. P. aedis alienas, si dominus nolet, ne adIcito.
Fori bustive aeternAuctoritas esto.

Tabula XI, Supplem. V prior. Tab.

Quod postremum populus juSit, id jus ratum esto.
Patribus cum plebe coNubI jus nec esto.
....
....
... detestatum... seu de sacris detestandis.
....

....
....
....
....

Tabula XII, Supplem. V poster. Tab.

....
....
....
..... de pignere ....

Si qui rem, de qua stlis fiet, in sacrum dedicaSit, duplione decidito.

Si vindiciam falsam tulit, Praetor rei sive stlitis arbitros tris dato : eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Si servus sciente domino furtum faxit noxiamve noxit, noxae dedito.

....
....
....
....
....

II.

INSCRIPTIO COLUMNÆ ROSTRATÆ DUILIO IN FORO POSITÆ

C. D..... M. F. M N. C.... L............ S. AN. O.........
D. EXEMET. LECIONES. R...... AXIMOSQUE. MACISTRATOS. L..
...... OV. EM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEL.... CNANDOD.
CEPET. ENQUE. EODEM. MACIS.. MNAVEBOS. MARID. COMSOL.
PRIMOS. C.... CLASESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PAL
CUMQUE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. OM.. SUMAS COPIAS
CARTACINIENSIS. PRAESENTE. DICTATOREDOL. OM. IN. ALTOD.
MARID. PVC.... NQVE. NAV.... ET CVM. SOCIEIS. SEPTER...

.... OSQVE. TRIREMOS. QVE NAVEIS X. .... OM. CAPTOM.
NVMEI ∞ ∞ ∞ DCC. ...... TOM. CAPTOM. PRAEDA.
NVMEI. CAPTOM. AES.................................
....
...QVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLON. ..... CARTACINIENSI.
N.... NVOS. L........ FI... CAPT...................

III.

SENATUSCONSULTUM DE BACCHANALIBUS.

MARCIVS. L. F. S. POSTVMIVS. L. F. COS. SENATVM. CONSOLVERVNT. N. OCTOBR. APVD. AEDEM. DVELONAI. SC. ARF. M. CLAVDI. M. F. L. VALERI. F. F. Q. MINVCI. C. F. DE. BACANALIBVS. QVEI. FOIDERATEI. ESENT. ITA. EXDEICENDVM. CENSVERE. NEIQVIS. EORVM. SACANAL. HABVISE. VELET. SEI. QVES. ESENT. QVEI. SIBEI. DEICERENT. NECESVS. ESE. BACANAL. HABERE. EEIS. VTEI. AD. PR. VRBANVM. ROMAM. VENIRENT. DEQVE. EEIS. REBVS. VBEI. EORVM. VTR. A. AVDITA. ESENT. VTEI. SENATVS. NOSTER. DECERNERET. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESENT.... A. RES. COSOLERETVR. BACAS. VIR. NEQVIS. ADIESE. VELET. CEIVIS. ROMANVS. NEVE. NOMINVS. LATIN. NEVE. SOCIVM. QVISQVAM. NISEI. PR. VRBANVM. ADIESENT. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIAD. DVM. NE. MINVS. SENATORBVS. C. ADESENT. QVOM. EA. RES. COSOLERETVR. IOVSISENT. CENSVERE. SACERDOS. NEQVIS. VIR. ESET. MAGISTER. NEQVE. VIR. NEQVE. MVLIER. QVISQVAM. ESET. NEVE. PECVNIAM. QVISQVAM. EORVM. COMOINEM.... ABVISE. VELET. NEVE. MAGISTRATVM. NEVE. PROMAGISTRATVO. NEOVE. VIRVM. NEVE. MVLIEREM. QVIQVAM. FECISE. NEVE. POSTHAC. INTER. SED. CONIOVRASE. NEVE. COMVOVISE. NEVE. CONSPONDISE. NEVE. CONPROMESISE. VELET. NEVE. QVISQVAM. FIDEM. INTER. SED. DEDISE. VELET. SACRA. IN. DQVOLTOD. NE. QVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE. IN. POPLICOD. NEVE. IN. PREIVATOD. NEVE. EXTRAD. VRBEM. SACRA. QVISQVAM. FECISE. VELET. NISEI. PR. VRBANVM. ADIESET. ISQVE. DE. SENATVOS. SENTENTIAD. DVM. NE. MINVS. SENATORIBVS. C. ADESENT. QVOM. EA. RES.

COSOLERETUR. IOVSISENT. CENSVERE. HOMINES. PLOVS. V. OINVORSEI. VIREI. ATQVE. MVLIERES. SACRA. NE. QVISQVAM. FECISE. VELET. NEVE. INTER. IBEI. VIREI. PLOVS. DVOBVS. MVLIERIBVS. PLOVS. TRIBVS. ARFVISE. VELENT. NISEI. DE. PR. VRBANI. SENATVOSQVE. SENTENTIAD. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. HAICE. VTEI. IN. COVENTIONID. EXDEICATIS. NE. MINVS. TRINVM. NOVNDINVM. SENATVOSQVE. SENTENTIAM. VTEI. SCIENTES. ESETIS. EORVM. SENTENTIA. ITA. FVIT. SEI. QVES. ESENT. QVEI. ARVORSVM. EAD. FECISENT. QVAM. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. EEIS. REM. CAPVTALEM. FACIENDAM. CENSVERE. ATQVE. VTEI. HOCE. IN. TABOLAM. AHENAM. INCEIDERETIS. ITA. SENATVS. AIQVOM. CENSVIT. VTEIQVE. EAM. FIGIER. IOVBEATIS. VBEI. FACILVMED. GNOSCIER. POTISIT. ATQVE. VTEI. EA. BACANALIA. SEI. QVA. SVNT. EXTRAD. QVAM. SEI. QVID. IBEI. SACRI. EST. ITA. VTEI. SVPRAD. SCRIPTVM. EST. IN. DIEBVS. X. QVIBVS. VOBEIS. TABELAI. DATAI. ERVNT. FACIATIS. VTEI. DISMOTA. SIENT. IN. AGRO. TEVRANO.

IV.

MONIMENTUM ANCYRANUM (1) AB EDM. CHISHULLO SUPPLETUM.

Rerum gestarum Divi Augusti, quibus orbem terrarum imperio populi Rom. subjecit, et impensarum, quas in rempublicam populumque Romanum fecit, incisarum in dua-

(1) Index rerum ab Augusto gestarum, quem ipse composuit, quemque Ancyrani parietibus vestibuli templi, structi in honorem viri de se optime meriti, tabulis marmoreis insculptum et græce quoque versum affixere. Vitiosum exemplar illustrarunt Casaubonus, Jac. Gronovius et alii; emendatius vero, a Tourneforto a. 1701 acceptum, Edm. Chishull in Antiqq. Asiatt. Lond. 1728, fol. cujus notas prolixiores in epitomen redegi, sequutus exemplum Cel. Wolfii in ed. Suetonii, tom. I, p. 369 sq. et Oberlini in ed. Taciti, tom. II, pag. 837 sq. qui et suas adjecere. Nonnulla ex his excerpsi, et nonnunquam adspersi alia. Græcæ versionis duo fragmenta vid. in Pocockii Inscript. Antiq. cap. 2, art. 1, p. 6, 7.

bus aheneis pilis (2), quæ sunt Romæ positæ, exemplar subjectum (3).

Tabula prima intrantibus a læva.

Annos undeviginti (4) natus exercitum privato consilio et privata impensa comparavi, per quem rempublicam, *obstinatione* factionis oppressam, in libertatem vindicavi. *Senatus* decretis honorificis (5) *ornatus* in *eum* ordinem sum *adlectus a* consulibus (6), *inter consulares ut sententiam dicerem;* locum*que et* imperium mihi dedit respublica ut*i* Prætori simul cum consulibus Ir*tio et Pansa. Huic* autem eodem anno me *suffectum* consulem *quum edi*disset (7) et triumvirum reipublicæ constitue*ndæ* (8), qui parentem *con*ju*rati occidissent*, in exilium expuli judiciis legitimis (9), ultus postea bellum inferentis (10) reipublicæ..........

....

Arma terra marique.... *si*gnaque toto orbe terrarum *circumtuli*, victorque omnibus *supplicib*us civibus pepercì, *et in* exili*o sponte sua de*gentes, quibus tuto *liceret*,

(2) Ita pro *tabulis* legendum esse in Sueton. Aug. 101 extr. non male conj. Lips. ad Tac. Ann. I, 11.

(3) Titulus hic et extrema Indicis verba descriptori, nescio cui, nec tamen recentiori, debentur. Ipse Index continet res annis fere LVII gestas inde ab a. U. 709, ær. Cat.

(4) Conf. Tac. Annal. XIII, 6; Liv. Epit. 119; Cic. ad Att. XVI, 8; Vell. II, 61, ubi vid. Intpp. et Duk. ad Flor. IV, 4.

(5) Conf. Cic. Phil. III, 15, et Dio, XLVI, 29.

(6) Conf. Liv. Epit. 118; Cic. Philipp. V, 17; Vell. II, 61, ibique intpp.

(7) *Suffectum*, scil. Pansæ post prælium Mutinense XIV Cal. Sept. a. U. 709. Conf. Taciti Dialog. de Oratore, cap. 17; Dio, XLVI, 42-46; Appian. Bell. Civ. 82, 94.

(8) Triumvir eodem anno in primum quinquennium factus est cum Antonio et Lepido V Cal. Dec. Vid. lapid. Colot. apud Gruter. p. 289, 1.

(9) Lege Pedia. Vid. Liv. Epit. 120; Vell. II, 69, ibique intpp.

(10) *Inferentis*, i. e. inferentes, sc. Brutum et Cassium. Cf. Suet. Aug. 10, et intp. Cic. ad Div. VIII, 8.

servari quam excidere *malui*... Millia civium Roma*norum* *adacta* sacramento meo fuerunt circiter *quingenta*, ex quibus dedu*xi in colonias*, aut remisi in municipia sua, stipen*diis solu*tis, millia aliquanto *plus* quam trecenta, et iis omnibus agros *adsignavi*, aut pecuniam prop*riam ex* me dedi (11). *Longas* naves cepi sescen*tas* (12) *præter alias*, siquæ minoris *quam trir*emes fuerunt.

Bis ovans triumphav*i* (13), *tris egi* cu*rulis* triumphos, et appella*tus sum viciens et se*mel Imperator (14): *quumque pluris* triumphos mihi se*natus decrevisset, iis tamen agendis supersedi, et tantummodo laurus* deposui in Capitolio (15), *Delmatis et Illuriis* (16) *q*uoque bello nunc *perdomi*tis. Ob res *aut ductu meo aut per legat*os auspiciis meis terra marique prospere gestas q*uæsitamque bello* requiem decrevit Senatus supplicandum esse dis immo*rtalibus*..... Quo *ex* senatusconsulto supplicatum est in deo*rum* (17) .... .vo... um rec.. aut r..... am ter deciens........ æ potes........ me ia...............

(11) Conf. Appian. Bell. Civ. III, 40 sq. V, 3 sq. Dio, XLVI, 46, XLVII, 17; Vell. II, 74. Maximæ distinctionis signum in marmore est 7. Sed plerisque locis desideratur.

(12) Ex omnibus præliis navalibus; CCC ex solo Actiaco; vid. Plutarch. Anton. p. 497. E. *Sescentas* vetus rudiorve scriptura. Sic inf. *quadragensimum, manibiis* (ut *contibernalis*, et ut *simus* pro *sumus* Augustum dixisse tradit Suet. cap. 87, unde emendanda verba Velii Longi apud Putsch. p. 2228, quibus plane contrarium continetur) *duodevicinsimum*, *sexsiens*, *cacivis*, *consacrare*, *incohare*, etc.

(13) Conf. Suet. Aug. 22.

(14) Conf. Tac. Ann. I, 9; Dio, LIII, 41 (ubi leg. ἓν καὶ εἴκοσιν); Noris. ad Cen. Pis. p. 338, et, qui eum refutavit, Eckhell, doctr. NN. vet. tom. VI, p. 140.

(15) Conf. Dio, LIV, 25; LV, 5; ad Sil. IX, 546; ad Tacit. Annal. II, 26, 10.

(16) Vid. Appian. Illyr. 16 sq. Suet. Aug. 22; Dio, LI, 21; Pigh. Ann. ad a. 724.

(17) *In deorum*, suppl. *templis* cum nota numeri, nescio cujus. Rotundum memorat Virg. Æn. VIII, 716, more poetarum.

Tabula secunda a læva.

Patritiorum numerum auxi consul quintum (18) jussu populi et senatus (19). Senatum ter legi. Et in consulatu sexto censum populi, conlega M. Agrippa, egi (20). Lustrum post annum alterum et quadragensimum (21) feci; quo lustro civium Romanorum censa sunt capita quadragiens centum millia et sexaginta tria millia (22). Alterum consusulari cum imperio lustrum *censumque* solus feci Censorino *et* Asinio Cos. (23), quo lustro censa sunt civium Romanorum *capita* quadragiens centum millia et ducenta triginta tria *millia* (24). *Tertium* consulari cum imperio lustrum conlega Tib. *Cæsare feci*, Sex. Pompeio et Sex. Appuleio Cos., quo lustro et*iam censa sunt* Romanorum capitum quadragiens centum mi*llia tr*iginta et septem millia (25).

Legibus nov*is latis* (26) exempla majorum exolescentia *revocavi*, *et fugientia* jam ex no*stro conspectu* avitarum rerum

(18) A. U. 723 Cal. Conf. Tacit. Annal. XI, 25; Dio, XLIX, 43, LII, 42.

(19) Lege Sænia. Conf. Tac. et Dio ll. ll. Suet. Aug. 35. De *jussu populi* silet Dio; qui etiam *quinquies* (a. U. 723, 733, 739, 741, 754) *senatum ab Augusto lectum* dicit LII, 42; LIV, 13, 26, 35; LV, 13.

(20) A. U. 724. Cf. de censu ter acto Suet. Aug. 27 extr. Dio, LIII, 1; Euseb. Chron n. 1989.

(21) Nam L. Gellius et Cn. Lentulus novissimi fuerant censores a. U. 682. Conf. Lips. Elect. I, 27.

(22) Vox *millia* in marmore aliquoties repetitur; quod vix alibi reperias, nisi in sacris literis, 1 Chron. XXI, 5; 2 Chron. II, 17; Num. II, 9.

(23) A. U. 744. Conf. Massoni Janus reser. p. 281. Eodem anno Sextilis mensis dictus est Augustus: de quo vid. SC. apud Macrob. Saturn. I, 12. Conf. Suet. Aug. 31.

(24) Conf. Euseb. Chron. n. 1989. Hinc apud Suidam forte legendum ΥΓ μυριάδες και χιλιάδες ἑπτὰ pro ΥΙ μυριάδες καὶ χίλιοι δέκα ἑπτά.

(25) A. U. 765. Numerus nimis grandis apud Euseb. Chron. n. 2028.

(26) Conf. Suet. Aug. 31, 32, 89; Tacit. Ann. III, 28, IV, 16; Horat. Od. IV, 15, et Epist. II, 1.

exempla imitanda *pro*posui (27)........ atus et sacerdotes...... u tis... efec...... quattuor amplissima collegia (28).. mpejam et municipi.. m uni..apud omnia pulvinaria pro vale*tudine* (29).. usum est in Saliare carmen et sacrosan.. vo.. erea.. tribunitia potestas mihi.. mus... iter m in..... *populo* sacerdotium deferente mihi, quod pater meus *procuravit*, *suscepi id* sacerdotium aliquod (30) post annos, eo mor*tuo* (31) *qui post patrem meum illud procuraverat*. Cuncta ex Italia..... *vale*tudine quanta Romæ nun*quam*...... *P. Sul*picio, C. Valgio consulibus (32).. .. *æ*dis Honoris et Virtutis ad *mem*oriam.. *se*natus consecravit, in qua pon*tifices*.... *a*nniversarium sacrificium facere..... r.. t.. in Urbem ex......... avit.......... pars......... et prin.. a mihi...... onos.. ræ.. *post res in Hispa*nia Gal*liaque pro*vinciis pros*pere* gestas... nep qu.. aram.... *pro* reditu meo *consecrari* (33), *ut* ad eam *sacrum perenne facerent* magistratus et sacer*dotes*........ .. ium.. c.. p...... cussum ess....... per totum *impe-*

(27) Forte leg. *exempla imitanda* ad exercituum et provinciarum rectores et magistr*atus et sacerdotes* misi.

(28) Pontificum, Augurum, VII virorum et XV virorum S. F. quorum collegia curabant quinquennales ludos Actiacos; vid. Dio, LIII, 1.

(29) Hæc spectant ad supplicationem pro valetudine Augusti, qui in XI consulatu a. U. 729, ex ancipiti morbo convaluerat. In supplicatione decantatum *Saliare carmen*, et deinde Augusto *sacrosancta* in perpetuum decreta *tribunitia potestas*. Conf. Suet. Aug. 59; Dio, LIII, 30, 32 (qui hanc tamen potestatem Augusto jam a. 722 tributam dicit LI, 19); ad Tac. Ann. I, 2, 6, et III, 56.

(30) Pro *aliquot*, ut infra *adque* pro *atque*, et contra *set*, *haut*, etc.

(31) Scil. Lepido. Conf. Sueton. cap. 31; ad Liv. Epit. 129; Appian. Bell. Civ. V, 122-131. Lepidus a. U. 716 exutus est honoribus præter pontificatum, isque eo mortuo susceptus ab Augusto a. 739.

(32) A. U. 738, quo irrita Romæ vota facta pro M. Agrippæ *valetudine*.

(33) Pro eo bis honores decreti Augusto, a. 728 et 738. Nostra verba spectant ad a. 738, quo senatus Augusto redeunti *aram* in curia ponendam decrevit; vid. Dio, LIV, 25.

rium populi Romani *parta est terra marique pax*; cum*que a condita Urbe* Ianum *Quirinum* bis omnino clausum *fuisse* prodatur, eum *Senatus* per me Principem *ter* claudendum esse de*crevit* (34).

*Inter fil*ios meos, quos sin*istra sors* mihi eripuit, eorum Caium et Lucium Cæsares (35)......

Tabula tertia a læva.

Honoris mei causa senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentis consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium, et ex eo die, quo deducti sunt in forum, ut interessent consiliis publicis, decrevit Senatus. Equites autem Romani universi Principem juventutis utr*um*que *eo*rum, par*mis et* hastis argenteis donatum, appellaverunt (36).

Plebei Romanæ viritim SS trecenos numeravi ex testamento patris mei (37), et nomine meo quadringenos ex bellorum manibiis (38) Consul quintum dedi, iterum autem in consulatu decimo ex patrimonio meo HS (39) quadringenos

(34) Recte: nam Janus bis tantum ab Augusto clausus est, a. U. 723 et 727. Deinde a. 742 eum quidem tertium claudendum decrevit senatus, sed rem irritam fecit Dacorum Dalmatarumque rebellio; vid. Dio, LI, 20; LIII, 26; LIV, 36. Errant itaque Masson. in templo Jani reser. et Oros. VI, 22; forte et Suet. Aug. 22; nisi is rem destinatam posuit pro facta; quod ibi Cel. Wolf. et jam ante eum Chishul. l. l. et Eckhel in doctr. NN. tom. VI, p. 84 et 89 monuere.

(35) Hæc verba non sejungenda videntur a seqq. Conf. ad ea et seqq. Suet. Aug. 26, 64, in Tib. 23; ad Tac. Ann. I, 3, 15, 17; Noris. ad Cenot. Pis. Sen. Consol. ad Marc. 14, 15.

(36) Conf. Dio, LV, 12 (qui *aureas* parmas hastasque donatas dicit); Eckhel. l. l. p. 171, et nos ad Tac. Ann. I, 3, 14.

(37) Conf. Suet. Cæs. 83 extr. Dio, XLIV, 35; XLV, 6; XLVI, 48.

(38) Vid. not. 12, et ad hæc ac seqq. Dio, LI, 21; LIII, 2, 28; Suet. Aug. 40-42.

(39) Ita lego, ut sit id. qd. HS. s. SS. non *iis*, ut ad *plebem* referatur, sicut paullo post *plebei, quæ acceperunt.*

congiari viritim pernumeravi, et Consul undecimum duodecim frumentationes (40) frumento privatim coempto emensus sum, et tribunitia potestate duodecimum quadringenos nummos tertium viritim dedi (41). Quæ mea congiaria (42) pervenerunt *ad sestert*ium millia nunquam minus quinquaginta et ducenta. Tribunitiæ potestatis duodevicinsimum Consul XII trecentis et viginti millibus plebei urbanæ sexagenos denarios viritim dedi; et cuoivis militum meorum consul quintum ex manibiis viritim millia nummum singula dedi. Acceperunt id triumphale congiarium in *colo-niis* hominum circiter centum et viginti millia. Consul tertium decimum sexagenos denarios plebei, quæ tum frumentum publicum acceperunt, dedi. Ea millia hominum paulo plura quam ducenta fuerunt. Pecuniam *pro* agris, quos in consulatu meo quarto et postea consulibus *M. Crasso et* Cn. Lentulo Augure adsignavi militibus, solvi municipls. Ea sestertium circiter sexsiens (43) milliens fuit, quam *ex* collationibus *pro* præd*iis* (44) numeravi, et circiter bis milliens et sescentiens, quod pro agris provincialibus solvi. Id primus et solus omnium, qui deduxerunt colonias militum (45) in Italia aut in provinciis, ad memoriam ætatis meæ feci; et postea *Ti.* Neroni et Cn. Pisoni (46) consulibus, itemque C. Antistio et D. Lælio Cos. et C. Calvisio et L. Pasieno consulibus et *Lentulo et* Messalino consulibus et

(40) Hoc est, frumenti largitiones, ut apud Suet. Aug. 40, 42.

(41) A. U. 740. Conf. Sueton. cap. 41, et Joseph. Antiq. Jud. XVI, 4.

(42) Scil. singula quatuor, tria pecuniæ, frumenti unum. Mox *triumphale congiarium* de pecunia militibus data ab Augusto triumphante.

(43) *Sexsagesiens* conj. Chishull ex vestigio lacunæ, etsi enormis sit summa.

(44) Bene ita Chishull; vid. Dio, LI, 4. *Prædiatoribus* conj. Gron. et *prætoribus* male Lips.

(45) Conf. Suet. Aug. 46, ibique intpp.

(46) *Neroni* et *Pisoni* sunt ablativi, ut *sorti*, *igni*, *colli*, *amni*, *cædi*, *imbri*, *oneri*, *parti*, etc. vid. ad Silium, VII, 368, VIII, 125, et Liv. IV, 12, 8.

L. Caninio et Q. Fabricio consulibus, *veteranis, quos* emeriteis stipendls in sua municip*ia reduxi*, præm*ia ære numerato* persolvi : quam in rem sest*ertium* mill...... impendi.

Quater pecunia mea juvi ærarium (47), ita ut sestertium milliens et quinquiens ad eos, qui præerant ærario, detulerim : et M. *Æmilio* et L. Aruntio Cos. in ærarium militare, quod ex consilio (48).... co*nstitu*tum est, ex *quo* præmia darentur militibus, qui v*iginti stipendia* emeruissent, HS. milliens et septingenti*ens*. *Tib. Cæsaris* nomine et meo detuli (49)........ *quo* Cn. et P. Lentulus *consu*les fuerunt, cum d .. cerent .... centum millibus hominum ... ibus ... o fru ...

Tabula prima a dextra.

Curiam et continens ei Chalcidicum (50), templumque Apollinis in palatio cum porticibus (51), ædem Divi JulI, Lupercal, porticum ad circum Flaminium, quam sum appellari passus ex nomine ejus (52), qui priorem eodem in solo fecerat, Octaviam, pulvinar ad Circum Maximum, ædes in

(47) Conf. Dio, LIII, 2.

(48) *Liviæ* supplet Gron. ex Dione, LV, 14. *Senatus* Chishull ex ejusd. cap. 24. *Mæcenatis* alii.

(49) Conf. Dio, LV, 24 sq.

(50) Conf. ad hæc et seqq. Sueton. Aug. 29, 30, *Curiam* Juliam, in honorem patris, Julii Cæsaris, conditam ; vid. Dio, LI, 22. *Continens*, conjunctum, *ei Chalcidicum*, templum Minervæ exstructum ad formam alius templi ejusdem nominis, quod Chalcidenses ex Eubœa profugi in hujus deæ honorem Lacedæmone condiderant ; nisi hoc fuit templum *æreum* Minervæ Chalciœcæ, et Minerva potius *Chalcidica* dicta est a Chalcide Syriæ ab Augusto adempta post devictam Cleopatram. Conf. Reimar. ad Dion. LI, 22, et Scalig. ad Eusebii Chron. n. 2105, qui Minervia Chalcidica a Domitiano exstructa memorat.

(51) Conf. Dio, LIII, 1, 2, et Sueton. l. l. ac de *æde D. Julii* Dio, LI, 22.

(52) Cn. Octavii, in reg. IX Urbis. Conf. P. Victor.

Capitolio Jovis Feretri et Jovis Tonantis (53), ædem Quirini, ædes Minervæ et Junonis Reginæ et Jovis, Libertatis in Aventino, ædem Larum (54) in summa Sacra via, ædem Deum Penatium in Velia, ædem Juventatis (55), ædem Matris Magnæ in Palatio feci.

Capitolium et Pompeium theatrum, utrumque opus, impensa grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. Rivos aquarum, compluribus locis vetustate labentes, refeci (56), et aquam, quæ Marcia appellatur, duplicavi, fonte novo in rivum ejus immisso (57). Forum Julium et Basilicam, quæ fuit inter ædem Castoris et ædem Saturni, cœpta profligataque opera a patre meo, perfeci, et eandem Basilicam consumptam incendio, ampliato ejus solo, sub titulo nominis filiorum *meorum* incohavi (58), et, si vivus non perfecissem, perfici ab heredibus *meis jussi*. Duo et octoginta templa Deum (59) in Urbe consul .... refeci, nullo prætermisso, quod *eo* temp*ore* .... mu .. m .. iruminea a .... bi .... præter ... iume linu .. lum ...

Privato solo dedicato Martis Ultoris templum (60) Forumque Augustum, et theatrum ad ædem Apollinis in solo magna ex parte *ad id* ... empto feci, quod sub nomine M. Marcelli generi nitescit (61). Dona ex manibiis in Capi-

(53) Hæc ab Augusto condita, illa vero refecta; vid Sueton. l. l. et 91; Dio, LIV, 4; Liv. IV, 20; Cornel. Nep. in Att. 20, et de *æde Quirini* Dio, LIV, 19.

(54) Scil. publicorum, quam ædem a. 748 ex stipe, a populo ei absenti Cal. Jan. collata, struxit; vid. marm. Farnes. apud Grut. 106, 4.

(55) Quæ incendio consumpta erat; vid. Dio; LIV, 19.

(56) A. U. 748; vid. Gruter. 177, 1.

(57) Conf. Frontin. de aquæduct. cap. 12, et Dio, XLIX, 42.

(58) Sic et in opt. cod. Suet. Aug. 97 extr. Vocem a *caho*, initio rerum, deducebat Verrius Flaccus; vid. Diomed. apud Putsch. lib. I, p. 361.

(59) Conf. Ovid. Fast. II, 59.

(60) Conf. Sueton. cap. 29; Dio, LIV, 8; Ovid. Fast. V, 551 sq. 579; Eckhel. doctr. NN. tom. VI, pag. 94 sq. et 100; quæ loca etiam de alio Martis Ultoris templo agunt; de quo vid. not. 92.

(61) Conf. Dio, LIV, 25-27.

tolio et in æde Divi Juli et in æde Apollinis et in æde Vestæ et in templo Martis Ultoris consacravi; quæ mihi constiterunt HS. circiter milliens (62). Auri coronarI pondo triginta et quinque millia municipiis et colonIs Italiæ conferentibus ad triumphos meos (63) quintum Consul remisi; et postea, quotiescumque Imperator appellatus sum, aurum coronarium non accepi, decernentibus municipiis et con*ferentibus*, *quæ tunc* adque (64) antea decreverant.

*Mu*nus gladiatorium dedi meo nomine, et quinquiens filiorum meorum aut nepotum nomine: quibus muneribus pugnaverunt *hominum circiter* decem millia ... Bis *dedi ferarum* undique accin*ctarum* (65) ..... *spectac*ula pro*prio meo* nomine, et tertium nepo*tum* .... *Ludos* feci meo nomine quater, aliorum autem m*agistratuum* absenti*um* ter et vigiens (66) ... *in collegio* XV virorum magi*ster*, *adlecto in* collegium M. Agrippa, ... per Qui*ndecimviros*, C. Furnio, C. Silano Cos., *quintos feci* ludos *sæculares nulli vivorum visos ante i*d tempus (67), deinde .... *Venationes*

(62) Conf. Suet. cap. 30.

(63) Propr. ad coronas triumphales, χρυσίον ἐς στεφάνους apud Dion. XLIX, 42. Inde dictum proprie *aurum coronarium*: nam ducibus, qni ab exercitu *Imperatores appellabantur*, a provincialibus, sociis regibusque coronæ initio aureæ dono dabantur, more a Græcis petito, et deinde harum loco aurum; qnod seriorihus, Imperatorum maxime, temporibus ah iis tributi instar exactum est; unde *coronarium* dictum de gratuito et bonorario, et honestum exactionis nomen factum. Στεφανικὸν τέλεσμα Ancyranos dixisse πᾶν τὸ ἐν χάριτος μέρει διδόμενον, docet Suidas. Conf. Dio, XLVIII, 42; XLIX, 42; LI, 21; Lips. de Magn. Rom. II, 9; Ernesti Clav. Cic. et Schelleri Lex. Lat.

(64) Conf. not. 30.

(65) Forte leg. *accitarum*.

(66) Conf. Snet. Aug. 43, ibique intpp. *Quater*, scil. et *vicies*.

(67) Conf. Censorin. cap. 17; Grut. p. 295, intpp. Zosimi, II, 4; Eckhel l. l. ad a. 737; Mitscherl. ad Horat. Carm. sæc. et nos ad Tacit. Ann. XI, 11, 1-3. Probabiliori judicio Chishull in notis lacunam h. l. ita explet: «ludos sæculares intermissos ante id tempus, deinde post CX annum, ut edicto monui, repetendos».

*bestia*rum Africanarum, meo nomine et filiorum meorum et nepotum, in circo, aut in foro, aut in amphitheatris populo dedi sexiens et vigiens, quibus confecta sunt bestiarum circiter tria millia et quingentæ.

Navalis proelI spectaculum populo dedi trans Tiberim, in quo loco nunc nemus est Cæsarum (68), cava*to solo in longitudinem mille* et octingentos pedes: in latitudine *mille erant et* ducenti. In quo triginta rostratæ naves, triremes *et quadriremes*, pluris autem minores, inter se conflixerunt. *Atticis et Persicis* classibus pugnaverunt (69), præter remiges, millia *hominum trigin*ta circiter.

In templis omnium civitatium *primarum Europæ* et Asiæ victor ornamenta reposui (70), quæ, spoliatis templ*is*, *is*, *cum* quo bellum gesseram (71), privatim possiderat. *Meæ* statuæ pedestres et equestres et in quadrigeis argenteæ steterunt in Urbe XXC circiter; quas ipse sustuli, exque ea pecunia dona aurea in æde Apollinis, meo nomine et illorum, qui mihi statuarum honorem habuerunt, posui (72).

Tabula secunda a dextra.

Mare pacavi a prædonibus (73). Eo bello servorum, qui fugissent a dominis suis et arma contra rempublicam tule-

(68) A. U. 750. Conf. ad Suet. in Aug. 43 (ubi eadem reperies verba ex h. l. deprompta); ad Tac. Ann.VI, 1, 3; XII, 56, 2; XIV, 15, 5; Vell. II, 100. *Nemus Cæsarum*, Caii et Lucii; *horti naumachiæ proximi* apud Suet. Tib. 72 pr. ubi vid. Ern. Conf. ad Tac. II. II.

(69) Conf. ad Suet. Cæs. 39, et Claud. 21.

(70) Conf. Strabo, XIII, pag. 595 (890), et XIV, pag. 637 (944); Plin. XXXIV, 8, s. 19.

(71) Scil. Antonius: nam vir modestus nusquam nominat duces a se devictos.

(72) Conf. Suet. cap. 52.

(73) Scil. devicto Sex. Pompeio, qui servis conscriptis mare infestabat latrociniis ac prædationibus. Cf. Vell. II, 73; Flor. IV, 8; Dio, XLVIII, 17-23, XLIX, 1-12; Appian. Bell. Civ. IV, 84, V, 144. Hinc et bellum

runt, *trigi*nta fere millia capta dominis ad supplicium sumendum tradidi (74). Juravit in mea verba tota Italia sponte sua (75), et m*e pro* vict*is ducibus* ducem depoposcit. Juraverunt in eadem *verba Gal*liæ, *Hisp*aniæ, *Afr*ica, Sicilia, Sardinia. Qui .... ve .. *Sena*tores plures quam DCC in ... consulibus facti sunt ad eum diem, quo scripta sunt .... circiter CLXX.

Omnium provinciarum (76) ..... quibus finitimæ fuerunt gentes, quæ *nondum subjectæ erant pop. Romano,* fines auxi. Gallias et Hispanias provinci*asque* .... *quas alluit* Oceanus a Gadibus ad ostium Albis fluminis (77) .... *ab usque regi*one ea, quæ proxima est Hadriano mari, *armis perlustravi*, nulli genti bello per injuriam illato (78). Classis Romana ... ab ostio Rheni ad solis orientis regionem, usque ad *orbis extrema* navigavit (79); quo neque terra neque mari quisquam Romanorum ante id tempus adiit. Cimbrique et Chariides et Semnones et ejusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et populi Romani petierunt (80). Meo jussu et auspicio ducti sunt *duo* exercitus eodem fere tempore in Æthiopiam et in *Arab*iam (81): qua ea *tempestate* .... esæ sunt in Sicili .. sat ti .. in .. et h .. us ...

hoc Siculum infra dicitur *servile*, et piratici nomine infamatur; vid. not. 87.

(74) Conf. Dio, XLIX, 12.

(75) Conf. Suet. cap. 17, et ad Tac. Ann. I, 7, 4.

(76) Hæc explicite magis tradit Eutrop. VII, 5.

(77) Cf. Sueton. cap. 21, et ad Tac. Ann. I, 9. Forte leg. « ad ostium Albis fluminis et ad Istrum flumen a regione ea, quæ proxima est Hadriano mari, ad obsequium redegi ».

(78) Conf. Suet. cap. 21 (ubi hæc repetita sunt) et 47.

(79) Conf. Vell. II, 106, et Plin. II, 67.

(80) Conf. Strab. VII, pag. 293 (449). *Chariides* rectius forte *Charudes* (in Chersoneso Cimbrica) dicuntur Ptol., aut *Harudes* Cæs. Bell. G. I, 7.

(81) In hanc a. U. 727, 728, ab Ælio Gallo, in illam a. 730 a Petronio; vid. Strab. XVI, p. 780 (1126), et XVII, p. 820 (1175); Dio, LIII, 29-33; LIV, 5.

.... du .. ni .. b .... nes .. abæ .... pium .. mam ad ... *Arme*niam *ma*jorem, interfecto rege ejus Artax*ia* .. m posse (82) ... ma .... nostrorum exemplo regi .. m id .... *in potes*t*atem* Tigranis regis, per *Ti. Ne*ro*nem diademati ejus capiti imposito* (83), *transtuli Arme*niam gentem. Postea i*nquietam* gentem et rebellantem, d*omitam* per Caium filium meum (84), regi Ari*obarzani gubernandam et frenan*dam tradidi, et post *ejus mort*em filio ejus Artavasdi, quo*dam jure Ariobarz*ane, qui erat ex regio genere Armeniorum oriundus, in id reg*num deducto* (85). Provincias omnes, quæ trans Hadrianum mare vergunt, *et Ponticas Asia*nasque jam ex parte magna regibus eas possidentibus *concessi* (86). *Siciliam et* Sardiniam occupatas bello servili (87) reciperavi.

Colonias in Africa, Sicilia, *Mace*donia, utraque Hispania, *in Gallia Comata et* Gallia Narbonensi, præter præsidia militum, deduxi. Italia au*tem colon*ias, quæ vivo me celeberrimæ et frequentissimæ fuerunt, *IIXXX* deductas habet (88).

Signa militaria complura *per nostros duc*es amissa devictis *legionibus* (89), *recepi* ex Hispania et gen*tibus Delm*ateis (90).

(82) Hæc lacuna explenda est ex Tac. Ann. II, 3. Conf. etiam ad hæc et seqq. Suet. Tib. 9; Vell. II, 94 (ubi vid. intpp.) et 122; Dio, XLIX, 40, 44, LIII, 33, LIV, 9; Joseph. Bell. Jud. XIII extr. XV, 4, 5, et Antiq. Jud. I, 18.

(83) Conf. auctores in nota 82 laudati.

(84) A. U. 755. Res fuse narratur in Cenot. Pis.

(85) Conf. auctores laud. et Tac. Ann. II, 3, 4.

(86) Conf. Suet. c. 48, et de singulis regnis ab Augusto redditis intpp. ejus loci et inprimis Noris. ad Cenot. Pis. p. 224 sq.

(87) Conf. not. 73.

(88) Conf. Suet. cap. 46, ibique Ern.

(89) Scil. Romanis. Sed forsan leg. *devictis iis provinciis*, vel *hostibus recepi*, forte et *ex Hispania et Galatis et Dalmatis*. Conf. not. 94.

(90) Conf. Vell. II, 90; Dio, XLIX, 43; Appian. Illyr. 28.

Parthos trium exercituum Romanorum spolia (91) et signa *restituere* mihi, supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi. Ea autem signa in penetrali, quod est in templo Martis Ultoris (92), reposui.

Pannoniorum gentes, quas ante me Principem populi Romani exercitus nunquam adIt, devictas per Ti. Cæsarem, qui tum præer*at exercitib*us, imperio populi Romani subjeci (93); protulique fines *imperii ad Istri* fluminis *ripam* (94). .. quod a . u .... us exercitus .. eis ... spro ... a .... tusque .... pos .. ucius .... gentes i ......

(91) Sc. M. Crassi, Statiani legati Antoniani et ipsius Antonii. Conf. de his signis et captis et a. 732 restitutis Suet. 21; Vell. II, 82, 91; Justin. XLII, 5; Strab. VI, 4, 2, p. 288; Eckhel doctr. NN. tom. VI, pag. 94 sq. (ubi etiam *supplices* exhibentur Parthi, genu flexo offerentes signa); Dio, LIV, 8.

(92) Scil. eo, quod in Capitolio structum est a. 732, quo signa illa sunt recepta: nam alind Martis templum in foro Augusto conditum, et a. 750 dedicatum est. Conf. not. 60.

(93) Conf. ad Liv. Epit. 139, et Vell. II, 96. Ad victorias Tiberii spectant arcus trinmphalis Carnuntinus in Pocockii *Descr. of the East*, t. II, pag. 100, et Kollarii Annal. Vindob. tom. I, p. 1019, nobilisque achates in Museo Vindob., quem vulgarunt Maffeius in Append. ad Museum Veronense, p. 245; *le Roy*, Kollar. et Lambecius. Pro *præerat exercitibus* Gron. dedit *erat privignus meus*. Conf. not. 94.

(94) Ister et Euphrates imperii Rom. limites positi a natura et ab Augusto statuti. Conf. Tac. Ann. I, 11, et Agric. 13; Strab. 6 extr. et 17 extr. Dio, LVI, 33, et Julian. in Cæs. Ingens, quæ sequitur, lacuna repleri et quædam simul verba præcedd. emendari forte possunt e Fragm. Pocock. (vid. supra not. 1) quod V. C. *Sainte-Croix* in libro Gallico *Magasin Encyclop*. IV, 4, p. 94, et Oberlin in ed. Taciti, t. II, p. 850 sq. ita correxerunt:

τ..... ηλαις
ἀπέλαβον δ' ἐξ Ἱσπανίας καὶ Γαλατίας κ(αὶ)
Δαλματῶν. Πάρθους τριῶν στρατευμά (τ)
(ω)ν σκύλα καὶ σημέας (pro σημαίας) ἀποδοῦναι ἐμοὶ (καὶ φι)
λίαν δήμου Ῥωμαίων ἀξιῶσαι ἠνάγκ (ασα· τάς-
δε τὰς σημέας ἐν τῷ Ἄρεως τοῦ Ἀμύν(τορος ἀ)
δύτῳ ἀπεθέμαν.
Παννονίων ἔθνη, οἷς πρὸ ἐμοῦ ἡγεμό(νων)

Ad me ex Ind*ia* (95) . . . . apud qu . . q . . . m nostram . . . per legat*os* Bastarnarum . . n . . . et Sar*matar*um (96) . . . Tanaimque ultra rec . . . rumo . . rex et Hiber . . .

Ad me supplices confuge*runt* reges Parthorum Tirida*tes* (97) . . . .

Tabula tertia a dextra.

Regis Phratis . . . Medorum . . Arta (98) . . . res Britann . . . damno bella . . et tim . . orum mælo mar omanorum suebo f . . . . *rex* Parthorum Phrates, Orodis filius, filios suos nepo*tesque misit* in Italiam (99), non bello superatus,

τις Ῥωμαίων οὐκ ἤντησεν, ἡσσηθέντα (διὰ Τι.)
Νέρων. ὃς τότ' ἐμοῦ ἦν πρόγονος κ(αὶ ἡγεμών),
ἡγεμονίᾳ δήμου Ῥωμαίων ὑπέταξα
καὶ ὅρια μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ προ(ῆξα).
Τῇδε (ibi) Δάκων διαβᾶσα πολλὴ δύναμις ἐν
νοις κατεκόπη καὶ ὕστερον μεταχ(ωρεῖν στρά)
τευμα πέραν Ἴστρου τὰ Δάκω(ν)
δήμῳ Ῥωμαίων ὑπομένειν.

Versum 10 Schweigh. ita emendat? Νέρωνος τοῦ ἐμοῦ προγόνου καὶ Καίσαρος, et vs. 13 sq. Oberlin: δύναμις ἐν Μύσοις κατεκόπη κ. υ. μ. στρατεύματα, etc. Conjectura ἐν Μύσοις probabilis fit ex Dione, LI, 22, et Floro, IV, 12. Sed vel sic verba sunt manca et in fine quædam excidisse videntur, ita forte restituenda: καὶ ὕστερον μεταχωρεῖν στράτευμα πέραν Ἴστρου, τὰ Δάκων δ' ἔθνη, vel καὶ Δάκων ἔθνη δήμῳ Ῥωμαίων ὑπομένειν τὸ προσταττόμενον ἠνάγκασα, ut apud Polyb. V, 107, 3, et XV, 20, 7. His respondent verba Augusti, si ita suppleutur: « Dacorum vero gentes imperata populo Romano facere coegi ».

(95) *Ex India* bis legati venere ad Augustum, a. 727, quo Tarracone egit, et a. 732, quo Sami hiemavit. Conf. Suet. cap. 21; Dio, LIV, 9 (ubi vid. Reimar.), et Strab. XV, p. 719.

(96) Huc pertinet locus laud. Dionis de multis legationibus.

(97) Conf. Justin. XLII, 5, et intpp. Horat. Od. I, 26, 5.

(98) Forsan *Artabanus*. Alia regum nomina excidere.

(99) Conf. Strab. VI, p. 288 (441). Idem filios Phraatis (Saraspadanem, Rhodaspem, Phraaten et Vononem) sed corrupte nominat lib. XVI, p. 748 (1085); vide ad Tacit. Ann. II, 1, 2.

sed amicitiam nostram per *hæc* suorum pignora petens. Plurimæque aliæ gentes expert*æ sunt Romanam* fidem me Principe, quibus antea cum populo Romano *nullum omnino fuit l*egationum et amicitiæ commercium.

A me gentes Parthorum et Medorum (100) *petierunt per* principes earum gentium regesque per eos acceperunt P*arthi Vononem, regis Phraa*tis filium, regis Orodis nepotem; Medi A*rtabanum* .. regis Artavasdis filium, regis Ariobarzanis nep*otem* ....

In consulatu sexto et septimo (101), *postquam bella civilia* extinxeram, per consensum universorum *Romanorum ci*vium rempublicam ex mea potestate in Senatu*s et populi Romani a*rbitrium transtuli. Quo pro merito meo Sena*tus me appellavit Augu*stum (102), et laureis postes ædium mearum *vinxit* ... ivi casu .. r ... ianuam meam et qua .. st ... r in ulia posi .... us quem ... sc .. r ... m et ... virtutis cle .... est p .. us clupei ..... post .. d ..... ilo amplio ..... coni eo .... *susceptum a me te*rtium dec*imum* consulatus *magistratum. Senatus et eque*ster ordo populus*que* Romanus universus *prodiderunt* memoriæ; idque in vestibu*lo a*edium mearum *i*nscriben*dum jusserunt et* in foro Au*gusto sub* quadr*igas*, quæ mihi *ex* S. C. posit*æ sunt*. Scrip*si hæc*, *quum an*num agerem septuagensi*mum sextum* (103).

Summa pecuniæ, quam dedi*t* (104)..... sis militibus necessarium...

Opera fecit nova: ædem Matris Magnæ Divi Juli, Quiri-

(100) De *Parthis* vid. Tacit. l. l. De *Medis* hæc non legere memini.

(101) Conf. Dio, LIII, 2 sq. et de provinciarum partitione Strab. 17 extr.

(102) A. U. 725, in VII consulatu. Conf. ad Liv. Epit. 134; Suet. cap. 7; Censorin. cap. 21, 22; Dio, LIII, 16, ibique Fabric.

(103) A. U. 765, quo et obiit, Sex. Pompeio et Sex. Appuleio coss., quo ipse supra memoravit in tab. 2 a læva.

(104) Hæc omnia sunt ab aliena manu, nescio qua, adjecta, repetitiones fere eorum, quæ Augustus supra memoriæ prodidit.

ni, Minervae...... Larum; Deum Penatium, Juv*entatis*.. . Ad Circum Curiam cum *Chalcidico*.... Juliam, *the*atrum M. Marcelli.... basilicam Cai et Luci Cæsarum..... Refecit Capitolium... usque a.... theatrum Pompei, aqu*am* Ma*rciam*, la...... Impensis r.... gladiatorum..... *ter*ræ motu incendioque. Censum..... usque quorum census explevit (105).

(105) Conf. Suet. cap. 41.

NOTITIA LITERARIA

NOTITIA LITERARIA

DE

T. LIVIO

EX

JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, TOM. I, CAP. II.

Livii ætas.

Titus Livius anno Urbis Romæ 695 (1) natus Patavii (2) oppido vetustissimo Italiæ ad Timavum fluvium, Romæ postea Claudii Imperatoris studia moderatus, ut colligas e Suetonii Claud. cap. 41, scriptor sublimi et lactea sermonis ubertate: unus res Romanas æquare feliciter ausus, obiit in

(1) Si Eusebio fides in Chronico.

(2) Hinc Asinius Pollio, teste Quintiliano, lib. I, cap. 5, et lib. VIII, cap. 1, aiebat se in Livii scriptis *Patavinitatem* quamdam, hoc est, dictiones nonnullas Patavinis proprias et Romanis auribus insolentes observasse, quarum tamen nulla in scriptis ejus, quæ hodie supersunt, vestigia superesse contendit Salmasius in Funere linguæ Hellenisticæ, pag. 236, et Dan. Georgius Morhofius in libro singulari de Patavinitate Liviana, Kilon. 1685, et inter alias ejus diss. Hamb. 1669, in-4. In hujus libri capite 3 Morhofius disserit etiam de sepulcro ac monumento Livii, quod Patavini hodieque ostentant, ac pluribus celebravit Jac. Philippus Tomasinus in T. Livii vita (Patav. 1630, in-4, Amstelod. 1670, in-12), cap. 9. Confer, si placet, Sertorii Ursati Marmora erudita, Epist. VIII, et Monum. Patav. pag. 27 et 202; Trewenschrœderi Fastos Livianos, p. 304, et Joannem Mabillonium, t. I Musei Italici, p. 30. Marquardus vero Gudius V. C. observavit, monumentum hoc non esse

patria septuagenario major, quarto anno Tiberii Imp., Urbis 770, post C. n. 17. Ab Augusto Livius dictus est *Pompeianus*, quod tantis laudibus extulisset Pompeium: neque id tamen amicitiæ eorum offecisse testatur Tacitus, Annal. IV, 34. Quum viveret, paucis probatum, sed post fata demum meritos honores consequutum affirmat vetus auctor apud Suidam in Κορνοῦτος. Tamen nec vivi exiguam famam fuisse, fidem facit Gaditanus (1) ille, qui Livii nomine gloriaque excitatus ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venit, statimque ut viderat, abiit. Nec mortuo impetum (2) quorumdam, aut criticorum (3) rigorem constat pepercisse. *Candidissimum omnium magnorum ingeniorum æstimatorem* vocat M. Seneca, Suasoria VII, et Tacitus, Annal. IV, 34, *eloquentiæ ac fidei præclarum inprimis*, magno et vero elogio. Livii lectione a morbo convaluisse narrant Ferdinan-

T. Livii, sed cnjusdam ejus liberti, cui T. Livius Halys nomen erat, filiæ. De Liviana Patavinitate Ptolemæus Flavius Anconitanus, cap. 44 conjectaneor. editorum Anconæ, 1522, in-8, et in tomo I Lampadis artium Gruterianæ, p. 972, et D. Balthasar Stolbergius de barbarismis et solœcismis N. T. objectis, cap. 20. Nonnulla nuper in dictione Livii reprehendere ausus est Schurzfleischius præfatione ad dissertationes academicas; quemadmodum ejus scribendi genus et stylnm defendit Jo. Tolandus in præf. ad Adesidæmonem.

(1) Refert Plinius, Epist. lib. II, 3, et S. Hieronymus, Epist. 103 ad Paullinum.

(2) Caligulam de scriptis T. Livii abolendis cogitasse narrat Sneton. c. 34. Idem de Gregorio I Pontifice infra referam. Caligula vero Livium reprehendit ut verbosum in historia negligentemque, Gregorius ut prodigiorum nimis frequentem prædicatorem. Mentitum in quibusdam notavit etiam Vopiscus Aureliano, cap. 2.

(3) Jo. Brodæus ad Anthol. III, 23, pag. 379: « Livium citare quid attinet, sempiternum Gallorum adversarium, sicuti recte collegit Glar. cujus fides merito infamatur, atque ut invidiæ plena ab Antonino Pio (respicit locum in Antonini Itinerario), ut gloriæ a Plinio (præfat. Hist. Nat.), ut mendacii ab Augusto, Liviomastige scilicet, Pompeianum eum appellante (Tac. Annal. IV, 34), ut perperam cum Halicarnasseo, Diodoro, Polybio, a multis, ut secum pugnans, a Laurentio Valla; ut fabulosa veluti de Caco et Evandro liquet, notatur lactea illa uber-

dum Catholicum: perinde ut Curtii Alphonsum Arragoniæ regem. Buchananus vero ut Livium nobis alterum exhiberet, libros ejus superstites a capite usque ad calcem traditur perlegisse non minus vigesies (1), atque ita ad opus Historiæ Scoticæ componendæ se accinxisse. Alia in Livii laudem Augustus Buchnerus, Dissert. Academica 393. Citatur a Livio *Fabius Pictor*, scriptorum antiquissimus, I, 44; II, 40; VIII, 30; X, 37. Tum *Valerius Antias*, IV, 23; XXV, 39; XXVI, 49; XXIX; 35; XXX, 19, 29; XXXII, 6; XXXIII, 10, 30, 36; XXXIV, 15; XXXVI, 19, 38; XXXVIII, 23; *et Macer Licinius*, IV, 7, 20, 23; atque *Q. Tubero*, IV, 23; X, 9. Ex Græcis scriptoribus *Polybius*, quem non incertum auctorem appellat, XXXIII, 10; XXXIV, 10; XXXVI, 19; XXXIX, 62. Sæpe etiam mentionem facit *librorum linteorum*, quorum fide, tamquam auctoritate actorum publicorum, scriptores antiquissimi sunt usi, sed de illis dictum infra lib. IV, cap. 5, n. x. De defectu fide dignorum monumentorum (2) antiquioribus temporibus caliginem offundente queritur tum alibi, tum VIII, 40: *Et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa, nec quisquam æqualis temporis illius scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur.*

Historiæ Romanæ libri CXLII.

Historiam Romanam, sive, ut ipse XLIII, 13, et Julius Firmicus (3) appellat, *Annales* ab Urbe condita ad bellum

las, etc. » Jac. Palmerius in Exerc. ad optimos auctores Græcos, p. 188 seq. carpit, ut aretalogum et Romanorum mancipium, plagiarium Polybii, Galli nominis inimicum, etc.

(1) Elias Francus, in præfat. programmatum, editorum Islebiæ, 1699, in-8.

(2) Hinc *frequentissime dubitare* Livium scribit Quintilian. lib. II, cap. 4.

(3) Vide Jo. Friderici Gronovii Monobiblon Observationum in scriptores ecclesiasticos, p. 95.

Germanicum mortemque Drusi, h. e. ad annum 744, persequutus est libris CXLII (1), quos scripsit aliquot et forte pluribus, ut videtur (2), annis post clausum ab Augusto Imp. prima vice templum Jani, quum ille anno Urbis 725 in pugna Actiaca M. Antonium vicisset. Ex his non exstant plures hodie quam 35, in quorum secundi capite 21 queritur, haud facile fuisse etiam illis temporibus certi quid et explorati de antiquioribus Romanorum ætatibus tradere. « Tanti, inquit, errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate non rerum modo, sed etiam auctorum, dicere possis ». In temporum notatione Livius, perinde ut Dionysius Halicarnass. sequutus est rationes Catonianas, quæ æram Urbis Varroniana biennio faciunt recentiorem. Vide H. Dodwelli dissert. X de Cyclis § 59, 80, 87, ad initium Tab. XIII, et appendice ad prælect. Cambdenian. atque in Apparatu ad Dionysii Halicarnassei Chronologiam, et in Chronologia ipsa, quæ Dionysio in editione Oxoniensi subjicitur, Liviique singulis paginis editionis a Thom. Hearne curatæ est adscripta. In re militari Romana peccasse aliquando Livium, confundentem tempora ac diversas ætates, notavit Salmasius, lib. de Re Militari Rom. p. 1295, 1300, 1302, 1310,

(1) *Epitomas* habemus librorum tantummodo CXL. Sed libri CXXXVI et CXXXVII epitome desideratur, ut observatum Sigonio, qui in MS Codice vacuum intervallum deprehendit, adeoque assentitur Petrarchæ, libros non CXL, sed CXLII a Livio scriptos esse testanti. Vide tomum tertium editionis Gronovianæ, pag. 1076.

(2) Lipsius, lib. I, cap. 20 Electorum; Voss. de Hist. Lat. et Hanckius V. C. lib. I de Scriptoribus Rer. Rom. cap. 9, ante Cantabros A. U. C. 729 domitos scriptum librum saltem primum Historiarum Livii non dubitant. Sed Joannes *Masson*, Historiæ et Chronologiæ veteris peritissimus lib. de Jani templo Christo nascente reserato, pag. 51 seq. et 165, serius Livium in Historiam scribendam incubuisse non absurdis contendit argumentis. Anno Urbis 725 cœpisse scribere Livium, et a. 745 ultimam Historiæ suæ manum imposuisse, H. Dodwelli conjectura est in Annalibus Velleianis, p. 65.

1319 sq. 1416, etc. t. X thesauri Antiquitatt. Rom. Græviani.

Ex his supersunt XXXV.

Ex illis XXXV (1) libris, quos dixi exstare, sunt *primi decem*, qui origines Urbis historiarumque usque ad annum 460 complectuntur. Deinde *vicesimus primus*, et qui sequuntur, *usque ad quadragesimum quintum*, quibus historia ab initiis belli Punici secundi, quod anno 536 cœpit, ad an. 586 perducitur. Symmachi et Sidonii ætate, Livii quos hodie desideramus libri adhuc exstabant. « Revolve, inquit Symmachus, IV, Epist. 17, « Patavini scriptoris extrema, quibus res C. Cæsaris explicantur ». Sidonius, Epist. IX, 14, *Burgundioni*, panegyricum Julii Cæsaris meditanti, commendat *quæ titulis Dictatoris invicti scripta Patavinis sunt Voluminibus*. Librum centesimum tertium citat Serenus Sammonius, ubi de carbunculo morbo :

> Tertia namque tibi simul et centesima Livi
> Charta docet, ferro talem candente dolorem
> Exsectum, aut poto raparum semine pulsum.

Guilelmus Malmesburiensis, lib. II rerum Angliæ, p. 183 : *Julium Cæsarem Livius commemorat quinque solum cohortes habuisse, quando civile bellum inchoavit, cum quibus, inquiens, Orbem terrarum adorsus est.* Ex eodem Livio, p. 162, videtur afferre dictum Scipionis : *Imperatorem me mater mea, non bellatorem peperit.* Livii *Macedonica*, quæ laudat Angelus Decembrius libro VII politiæ literariæ, p. 552, non

(1) Ita malui Libros quam Decadas numerare, quia Livium in Decadas non ipse qui scripsit, sed legentium ignavia scidit, ut pridem monitum Francisco Petrarchæ in Epistola ad Boccaccinm, p. 1001. Vide Petrum Crinitum, XII, 7, de honesta disciplina, et Sigonium in limine notar. Vossium Arte Historica, p. 131. Ut Livius in Decadas, sic Olympiodori Historiarum libri in δεκαλόγους dividuntur apud Photium, Cod. LXXX. Lib. CXXXVI allegatur a Censorino, cap. 17. Librum CXIII bis citat Priscianus.

alia sunt, quam quæ editis historiarum libris continentur XXXIX, sqq. Dolendum est, lucem non vidisse Lambecii, quam lib. II, p. 944, 977, promisit, dissertationem de XII Codicibus MStis Livii, qui una cum duabus et triginta ejusdem Historici præcipuis editionibus in Bibl. Cæsarea Vindobonensi asservantur.

Epitomæ.

Epitome librorum Livianorum, sive *breviarium T. Livii*, quod notis Sigonii, Martini Antonii Delrii (1), Jo. Doujatii et J. F. Gronovii illustratum habemus, etiam eorum librorum, qui interciderunt, duobus forte 136 et 137, ut supra dixi, exceptis, a *L. Annæo Floro* scriptum esse vulgo existimatur, cum cujus libris quatuor epitomes rerum Romanarum sæpissime prodiit: etsi vel ideo, quod in his subinde a Livio dissentit, nonnulli duos diversos voluerunt Floros comminisci, ut Balthasar Bonifacius, XV, 5, Hist. ludicræ: alii vero, ut Dionysium Gothofredum facere memini, suspicati sunt, Livium ipsum, ex more Veterum, epitomas illas, veluti indices, præfixisse singulis libris, quæ deinde cum altera epitome rerum Romanarum confundi, atque adeo ad Florum auctorem referri facile potuerint. *Junium* quoque *Maximum*, æqualem Statii Poetæ, Historias Sallustii Liviique in epitomen contraxisse, viri docti observant ex his verbis IV Silvar. 7, *Omne queis mundi senium remensus Orsa Sallusti brevis et Timavi Reddis alumnum.* Notum præterea est ex Servio ad Æneid. X, 388: *Rufum Festum Avienum* totum Livium iambis olim expressisse. Sed et illa Avieni metaphrasis pridem intercidit.

Epitomæ hæ *Livii* cum *Floro* sæpius editæ prodierunt, etiam separatim, Venet. 1521, in-8, apud Aldum, et Basil. 1590, in-8; et cum *Car. Sigonii* atque Antonii *Delrii* notis Genev.

(1) Brevia Delrii in Epitomen Livii scholia prodierunt cum ejus notis in Solinum, Antwerp. 1571, in-8. Edita est etiam Epitome illa cum Sigonii et Delrii notis, Genev. 1606, in-8.

1606, in-8; quam editionem Gervasiensem vocat Thomas Hearne, qui in Livio suo Oxonii edito, breviarum istud Livii summo studio ad Codices MSS et impressos exegit, collatis etiam, quæ Petrus Pithœus ad id annotaverat. Sed etiam in edd. recentioribus, ut Gronovianis, earum cura est habita, diligentissime autem in Drakenborchiana, in qua et *Sigonii Delrüque*, et *Dukeri* ipsius notæ egregiæ accessere.

Vir eruditiss. Janus Vincentius Gravina, Orat. 1 de instauratione studiorum, p. 12, Romanorum res gestas initio per compendium petere suadet ab hac epitome Liviana, ut quæ longe simplicior et candidior sit Flori et Velleii libris, resque exprimat propriis et convenientibus verbis, absque fuco et argutiis, quibus non satis uterque illorum abstinuerit, e quibus periculum sit, ne puerorum animi fallacibus illis et meretriciis orationis ornamentis a nervosa et civili scribendi consuetudine abducantur. Præterea *Johannes Jensius*, consulturus juvenum studiosorum tempori, quorum plerique mole Livii deterriti, ultra primam decadem haud progrediuntur, atque adeo delibatis modo adolescentis populi Romani rebus, maturum adulti ejusdem populi vigorem intactum relinquunt, *epitomen* novam *Historiæ Rom. totius Livii*, verbis ejus contextam, neque multo grandiorem una Livii decade composuit, inscripsitque *T. Livii Patavini Historiarum corpus concinnius*, ex Gymnasio Dordraceno, typis Bramiis luculentis, anno 1711, in-8. Cæterum Livium ipsum evolvere cupientibus hoc compendio suo neutiquam e manibus excutere voluit florentissimum scriptorem, sed tantum iis, qui magnitudine operis removeri se ab ejus lectione patiuntur, succurrere, ut Historiam Romanam Livianam totam intra brevius spatium absolvere possint. Speciem ista habent. Qui historiæ Rom. compendium requirant, iis vero ita consuli possit: nec ad notitiam generalem historiæ Rom. Liviana lectione opus sit. Qui autem Livium cognoscere velint, iis talibus libellis non consulitur: et possunt etiam juvenes longius progredi in Livio cognoscendo, si modo

vera ratio in eo tractando in scholis adhibeatur, de qua videndus Gesnerus in præfatione ea, quam editioni Lips. a. 1735 præmisit. Sed opus est magistro, qui ipse intelligat, nec opus habeat ad singulas horas trepidare in præparatione ad locum intelligendum, quem explicare vult.

Supplementa.

Perditos Livii libros ingenio quodammodo restituit vir doctissimus *Jo. Freinshemius*, argumento eorum ex epitomis petito, et adhibitis græcis et latinis, quæ exstant, monumentis, explicato tanta industria et felicitate, ut ipse non dubitet profiteri, *se neutiquam metuere, ne quis ex omnibus his scriptoribus, qui sunt in hominum manu, aliquid efficiat in hoc genere concinnius, copiosius, verius.* Primi decem libri Reginæ Christinæ dicati viderunt lucem Holmiæ 1649, in-12. Libri sexaginta deinde Argentorati an. 1654, in-4: quos Gallice etiam vertit Petrus Ryerus (*Du Ryer*) (1). Denique adjunctis XXXV postumis, quos ab heredibus Calli redemerant, universi libri XCV supplementorum vulgati sunt a Jo. Dujatio, in editione Livii ad usum Delphini; sed vulgati tum sunt parum emendate, ut dolet Jo. Clericus V. C. t. III Bibl. selectæ, p. 366; correxit vero Creverius. Ac dolendum est, ea hodie vix legi. Qui judicare possunt, fatebuntur, egregium opus esse, quale singulis sæculis vix singuli conficere possint. *Fragmenta* e libris Livii deperditis servavere Grammatici latini veteres, interdum simpliciter : quæ ad calcem edd. quarumdam, nominatim ed. Drakenborchianæ, t. VI, reperiuntur. Est vero etiam e Codice Laudino prolata ῥῆσις, quæ pro fragmento Livii esset. Id est hujusmodi, pertinetque ad Liv. XXII, 18, post verba *Allifas loco alto m. consedit :* Et reparando suggressu manu haud magna Allifæ mœnia, quasi palans perveniens, ex op-

(1) Et tout récemment M. Noel, ancien professeur de l'université de Paris. Voyez ci-après la notice des traductions françaises de Tite-Live. BARBIER.

pido bellum instructa armamentis erupit, quam consul vi captam trucidatis, qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quibus curæ pusillum inerat, in diem alterum umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, et Allifas, Rufium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum, augurio nomen imponunt accolæ ».— Super hoc fragmento legenda Dodwelli Dissertatio supra memorata, in Hearnii notis, et t. VII ed. Drak. qui historiam, quæ est in fragmento, explicat et defendit: nec tamen sibi satisfacit et pronuntiare audet, eam veram esse, vel fragmentum hoc esse Livii. Spurium recte judicat Cuperus libro de Elephantis in nummis, cap. 4, ut et alii.

Scripta Livium illustrantia.

Sunt et alia quædam scripta recentiorum, quibus Livio, vel ejus rebus, aut scriptis lux nonnulla affertur. Sunt autem duplicis generis: alterum est Criticum et Grammaticum; alterum Politicum. Ex illo genere, ut mittam eos, qui non peculiaribus libris id fecere, sed per occasiones varias, ut *Perizonius* excellentibus et numquam satis laudandis Animadversionibus historicis, *Pighius* in Annalibus, *Lipsius* et alii; ex illo igitur genere sunt *F. Ursinus* in Notis in varios hist. Antverp. 1595, in-8; *Marcellus Donatus* in Dilucidationibus similis instituti, non tamen admodum probatis elegantibus judicibus. *Latinus Latinius* in Bibl. t. II, *Jo. Velcurio,* qui notas in Liv. I, II, edidit; *Petrus Nannius* in Liv. III, Lovan. 1545, in-4; *Jo. Saxonius* ad Liv. XXI et XXII, Bas. 1547 (de quo vid. Suffridus Petri Scriptt. Fris. p. 104); ut taceamus eos, quos t. VII inseruit Drakenborchius: *Faernus* in Censura Emend. Sigonii, *Averanius* in Diss. XXXI ad loca Livii, t. II Operum.

Ex genere altero sunt: *Nicol. Machiavelli* in Decadem primam Livii dissertationes tribus libris distributæ, et Italice primum, deinde Latine, Gallice denique, atque in aliis

forte linguis editæ, deque Republica et religione Romanorum veterum, etiam de re militari, Folardo judice (1) acutissime disputantes. *Casparis Facii Politica Liviana*, quibus artibus comparatum auctumque, et quibus erroribus ac vitiis amissum Imperium veteris Romæ fuerit, Altenburg. 1617, in-4. *Antonii Cicarelli de Foligno* dissertationes in Livium, Rom. 1589, in-4, Italice. *Jo. Schefferi* in Librum I Livii Exercitationes VII, Upsal. 1665, in-4. *Nic. Belli* sive Bellemontani (2) Dissertationes in optimos veteris ac novæ Historiæ scriptores, inprimis Curtium, Suetonium, Tacitum, Livium, etc. Francof. 1626. *Jo. Gillejus* in laudem Hannibalis apud Livium, Basil. 1550, in-8. *Georgii Martini Dorn* Specimen Institutionis Politicæ Livianæ, Giessæ, 1657, in-8. *Justi Reiffenbergii* monita, exempla, consilia Politica Liviana, Francof. 1629, in-8. *Phil. Loniceri* Icones Livianæ versibus illustratæ, ibid. 1573, in-8. *Sebastiani Maccii* de Historia Liviana volumen satis amplum laudat Erythræus pinacotheca I, p. 277.

Ad prius genus referre possis et hos: Livium cum Thucydide, ut Tullium cum Demosthene, contulit Renatus Rapinus singulari diatriba (3), Gallice plus semel excusa, post editionem Paris. 1681, in-12. De *Polybii* Liviique diversa scribendi ratione, et quantum hic illum imitatus fuerit, consulendæ sunt Jo. Henr. Bœcleri Lectiones Polybianæ, p. 199 sq. Is. Casauboni præfatio ad Polyb. et Fulvius Ursinus in notis ad excerpta de legationibus, Is. Casaubonus in Casaubonianis, p. 73. Vere prædicat Quintilianus, lib. X, cap. 1, lacteam Livii ubertatem, aitque, eum quum in narrando miræ esse jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari possit, eloquentem. Quis unquam Camillum brevius vel dignius laudavit, quam ubi

(1) Observatt. in Polybium, tom. I, p. 223.

(2) Nomen ut videtur fictitium, vid. Thomas. de plagio, § 238. Lib. ipse undique corrasus, nec magnæ adeo rei.

(3) Vid. tom. I hujus edit. Præfat. p. xxI. En.

Livio est *vir unicus pace et bello*? Quis Catonem, quam ex Livio Hieronymus Proœmio lib. II, in Oseam: « Cujus gloriæ neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, quum utrumque summis præditi fecerint ingeniis ». Inprimisque admirabilis est in narrationibus rerum majorum et ornatis, ut de Horatiis et Curiatiis; in descriptionibus porro rerum et locorum, denique in Elogiis virorum magnorum, ut Hannibalis, Fabii, Scipionis, quæ solet vel in principio rerum ab iis gestarum, vel post mortis narrationem ponere. *Henr. Chr. Crellii* de Tit. Liv. dictione progr. prodiit Francof. ad Viadr. 1729, in-4. *Ejusd.* de T. Livio aptissimo styli cultioris magistro, ibid. 1732, in-4. De lactea Livii ubertate disp. scripsit *J. H. Parreidt.* Lips. 1746. De Livio ejusque virtutibus diss. *Jo. Chr. Briegleb.* Coburg. 1778. Orationes sive Conciones CXCIII e Livio excerptæ cum notis Joach. Perionii, Paris. 1532, in-8, Antv. 1535, in-8, et Basil. 1545, in-8, item e Livio et aliis Latinis, tum Græcis quoque Historicis excerptæ cura H. Stephani prodierunt a. 1570, f. Atque illæ quidem e Latinis Historicis frequenter deinde recusæ sunt, Coloniæ et in Belgio, tum Lipsiæ, Joach. Gesenio recensente, denique ex accuratiore recognitione Christophori Cellarii V. C. Lips. 1699, in-12. Sic in orationes e decade tertia Rhetoricam et dialecticam analysin contexuit, et miscellanea, observationes, et apophthegmata a se enotata subjunxit Reinhardus Lorichius Hadamarius, Francof. 1537, in-8. Orationes rectas in Livio et Sallustio olim reprehendit Pompeius Trogus, teste Justino, XXXVIII, c. 4, nullas nisi obliquas in historia ferens. Neque dubium est, Orationes ejusmodi Livium ex ingenio suo probabiliter composuisse, ut illustris Norisius, diss. 1, Cenotaph. Pisan. cap. 1, demonstrat exemplo petito e Livii XXXIV, 5; ubi L. Valerius tribunus inducitur, M. Porcio Catoni, 37 vix annos nato, Origines ipsi scriptas objiciens, de quibus illa ætate Cato ne quidem cogitaverat. Sed tota hæc caussa Orationum in historicis Latinis, hic

accurate explicari non potest: quæ a paucis satis recte intelligitur. Metium vero Pompusianum a Domitiano Imp. interfectum narrat Xiphilinus, pag. 222, quod Conciones Imperatorum Ducumque apud Livium frequenter lectitans imperium affectare videretur. T. Livius, quem merito πολιτικώτατον scriptorem appellat Thomas de Pinedo (1), in aphorismos et porismata redactus est, in Recreationibus (2) Academicis Grosianis, *Christiani Adami*, liberi Baronis Gros de Torkau, Erlangæ, 1713, in-4, tomo tertio. *Sententiose* (3) a Livio dicta collegit Nic. Cragius, Hafniæ, 1582, in-12, et Jacobus Corbinellius, Paris. 1694, in-12: *Les anciens Historiens Latins réduits en maximes. Premier volume, Tite-Live.* Lexicon Livianum moliti sunt quidam, item Indices latinitatis: ut *G. P. Schulzius*, Prof. Francof. *Joach. Borghesius*, Prof. Groninganus, et alii: nemo perfecit. Nunc Glossarium exquisitioris latinitatis Liv. habemus in editione nupera Lips. Cæsarem et Livium ex antiquis nummis 983, et inscriptionibus 542, insigni studio *Henrici van der Borcht*, Comiti Arundello familiaris, illustratum habebat Francofurti ad Mœnum Zacharias Conradus ab Uffenbach.

MSSti Codices Liviani multi exstant, quorum magno numero usus est Drakenborchius, item Hearnius, Crevierius, etc. Inprimis insignis est Puteanus, literis uncialibus, et nulla ferme vocum distinctione exaratus: de quo Salmasius Epistola ad Sarravium, pag. 188, edit. Ultraject. post Epistolas Gudianas. *Jani Gebhardi* varias lectiones Codicum trium MSS Livii Palatinorum ex auctione Bibl. Gudianæ

(1) Pinedo, notis ad Steph. Byz. pag. 557.

(2) De his Acta Erudiior. a. 1714, pag. 81.

(3) Laudavit merito Livium eo nomine Corbinellius, quod sententias non ita historiæ suæ intexuit, ut emineant extra corpus orationis expressæ, sed intexto vesti colore niteant. Conf. Bælii Lexicon in *Theon*, nota C.

nactus *Henr. Leonh. Schurzfleischius* (1) specimen illarum in librum primum vulgavit Halæ Sax. 1712, in-4 (2).

Libri deperditi frustra exspectati.

Perditorum ex Livii historia librorum sæpe vana spes

(1) Acta Erud. a. 1717, p. 406.

(2) Depuis l'époque où Fabricius a fait imprimer cette notice, on a vu paraître différents ouvrages qui contribuent à la parfaite connaissance de Tite-Live. En voici la liste :

J. F. Eschenbach Dissertatio qua fides Livii defenditur adv. Joecheri aliorumque objectiones. Lipsiæ, 1774, in-4.

J. H. L. Meierotto Progr. de testimoniorum Livii fide. Berolini, 1797, in-fol. — Ejusdem Progr. de Livii arte narrandi. Berolini, 1798, in-fol.

Ch. Kruse Dissert. de fide Livii recte æstimanda. Lipsiæ, 1812, in-4.

A. G. Mirus Progr. Livius Augusti Cæs. adulator in histor. de Cossii spoliis opimis caute legendus. Helmstadt, 1767, in-4.

J. G. C. Klotzsch Dissert. de diligentia Livii in enarrandis prodigiis recte æstimanda. Wittenberg, 1789, in-4.

Ch. Th. Wernsdorf de Livii aliquot codd. Helmstad. *dans les* Nova Acta Soc. lat. Jen. vol. I. Lipsiæ, 1806, in-8.

J. Th. Kreyssig Dissertatio de codicis membr. Livii fragmento in biblioth. Murriana. Lipsiæ, 1813, in-4.

J. H. Martini Progr. Conjecturæ in aliquot Livii loca. Annæb. 1762, in-4.

Imm. J. G. Scheller Progr. Specimen Animadv. criticarum in Livium. Lubbenæ, 1769, in-4.

J. M. Heinze Observ. Livianæ, *dans le* Sylloge opusculor. scholastic. Gœttingue, 1788, in-8, p. 182.

Ch. G. Mullerі Progr. Observationum Livianarum specimen. Cizæ, 1789, in-4.

S. Nyhoff Diatribe crit. in Livium, *dans les* Act. lit. Soc. Rheno-Traj. tom. III, p. 194; tom. IV, p. 300.

F. H. Bothe Obs. crit. in Livii priores V libros, *dans* Beckii Comm. Societatis Philol. Lips. tom. III.

F. G. E. Rost Progr. Explicatio quorumd. locorum Livii. Lipsiæ, 1810, in-4.

G. L. Walchii Emend. Livianæ. Berolini, 1815, in-8.

A. F. Landau Spicil. crit. in Thucyd. et Liv. Vratislæ, 1817, in-4.

Barbier oncle et neveu.

facta, vani sumptus impensi, qua de re legendus doctiss. Morhofius libro de Livii Patavinitate, capite I. Apud Arabes quidem libros Livii universos exstare pridem affirmavit Thom. Erpenius, Orat. 2, de lingua Arabica. Et in CPolitana Bibliotheca integrum fuisse Livium Arabice, non dubitavit Petrus de Valle, part. 1 Itinerar. Epist. IX: sed oblatis a Magno Duce Florentino 5000 piastrorum, et a legato Regis Christianissimi decies mille thaleris, inveniri nusquam potuit: longe majore etiam 50000 scutatorum proposito præmio, vanus promissor fuit Justinianus Chius. Alii in Fessana Bibliotheca asservari scripserunt. « Utinam ex Fessanis tenebris, inquit Abr. Hinkelmannus præfat. ad Coranum Arabice editum lit. k. incomparabilis Livius integer erueretur, et vel rudi versione in lucem ederetur! sane qua felicitate Curtium Freinshemius, eadem, et forte majore, Livium illustris Gronovius nobis facile restitueret ». Richardus Montacutius præf. in Apparatum ad Origines Ecclesiasticas negat, *Decades Livii unquam restaurandas, nisi forsitan, ut splendide mentitur Hispanus quidam* παντονοραψῳδὸς, *apud ultimos hominum Æthiopes in montis Amaræ* Βιβλιοταφίῳ. Latina ipsa Livii traditur habuisse, et ex Bibliotheca Drunthemensi in Norvegia accepisse Martinus Grœningius, Cantor Bremensis Capituli a. C. 1521 denatus. Aliud librorum Livii deperditorum exemplar scriptum in membranis fertur fuisse in Gallia in Abbatia fontis Ebraldi, quod ab Abbatissa thesauri ignara concessum pharmacopolæ cuidam, ab hoc venditum homini, qui membranis illis reticula sphærulis sive pilis volantibus mittendis et accipiendis obducebat, quod a viro aliquo docto forte observatum tunc demum est, quum membranæ illæ ad unam omnes essent consumptæ, ut ex ore Joannis Capellani accepit Colomesius in Opusculis, p. 105, et in Bibl. selecta, p. 31 seq. ubi etiam Epistolam ejusdem Capellani profert de hoc argumento. Idem relatum memini in Pithœanis, et in parte II Menagianorum, p. 97. Bonnetus Bourdelotius in notis ad bibliothe-

cam selectam Colomesii, cum auctario recusam Parisiis, 1731, in-12, p. 41. *L'an 1682, je vis à Saint-Germain des Grecs de l'Isle de Chio, qui venaient pour traiter avec M. Colbert d'un Tite-Live entier, qu'ils disaient avoir dans leur Isle, et qui avait été sauvé de l'incendie de la Bibliothèque de Constantinople. On dit que le marché en avait été conclu à* 60000 *livres, et qu'on avait envoyé dans l'Isle pour le copier, de peur que le vaisseau qui l'apporterait, venant par malheur à périr, la perte ne fût irréparable. On ne parlait dans ce temps-là que du plaisir qu'auraient les gens de lettres de voir un Tite-Live entier: car le Roi, disait-on, le faisait imprimer à ses frais, et le donnait au public à bon marché. Mais depuis ce temps-là on n'a point entendu parler ni des Grecs de Chio, ni du Tite-Live.* Quod autem in Catalogo MSS Bibl. Bodlejanæ, p. 60, inter libros Guil. Laudi, num. 127 memoratur *T. Livii Decas secunda*, error est, nam tertiam legi debere in præfatione Voluminis annotatur. Porro Gregorio I Pontifici Livianorum librorum jacturam tribuere non dubitat Rich. Montacutius præf. ad Analecta, quoniam in Antonini Summa legitur, Gregorium M. (ita Imp. Caligula olim cogitavit de Virgilii Liviique scriptis abolendis, teste Suetonio) quoscumque nancisci potuit Livii codices combussisse, quod nempe ab eo multa prodigia (1)

(1) Tot prodigia Livio commemorata, quibus integrum librum Julius Obsequens implevit, ita defensitavit homo minime superstitiosus e Gallis Mottanus Vayerus : « Ce n'est pas dire qu'il ait eu intention de faire « croire ce dont il n'était pas lui-même persuadé ; au contraire, il débite « tous ces prodiges de telle sorte, qu'on voit bien qu'il n'a eu d'autre but « que de faire comprendre de quelles erreurs le peuple était alors abusé, « les lois de l'histoire l'obligeant à cela ». Tom. I Opp. pag. 117, edit. in-fol. Add. pag. 227 et 371. Idem dicere liceat de Dione, Appione, et Pausania, historicis Græcis, qui superstitione populari abrepti arguuntur. Uti e contrario palam prodigia illa flocci pendens Polybius contemptæ religionis reus audit, mediam sententiam probante Plutarcho, quo judice τοῖς τοιούτοις καὶ πιστεύειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν, æque durum et periculosum est in Camillo, f. 132. Confer, si placet, J. Rualdum in Plutarchi vita, cap. 29. Neque omnibus fidem habuisse se Livius ipse

narrarentur, quæ facerent ad idolorum superstitionem probandam. Hanc Antonini narrationem in dubium vocat Jacobus Gretserus, lib. I de jure prohibendi libros malos, cap. 30. Librorum Livii, qui exstant, exemplum eleganter scriptum ut a. 1455 a Poggio Florentino sibi compararet, agrum, quem habebat, vendere non dubitavit Antonius Beccatellus, Panormitanus, ut ex ejus Epistola ad Arragoniæ Regem Alfonsum refert Gallæsius (*le Gallois*) libro de Bibliothecis, p. 186. In Leibnitianis, sive Otio Hanoverano nobilissimi Viri Jo. Frid. Felleri, pag. 156, legas, Patrem Zwenbruckium sancte affirmasse Patri Gamansio, se in manibus habuisse Bremæ MStum Livii plenius, sed quum mercator justo carius vendere vellet, neglexisse: quum rursus quæreret, post mercatoris mortem, non comparuisse. His adde, quæ ex J. Renneri Chronico Bremensi ad an. 1521 de Martino Groningo, qui deperditos Livii libros habuerit, narrantur in Bibliotheca Bremensi historico-theologica tomo sive classe 2, fasc. 1, p. 143 seq. (1)

pluribus locis testatur, ut XXIV, 10: « Prodigia eo anno multa nuntiata sunt, quæ quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo plura nuntiabantur ». Sed Tacit. Hist. III, 55, post prodigia quædam memorata: « Sed præcipuum, inquit, ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, improvidus consilii ».

(1) Il est possible d'ajouter de curieux détails à ceux que donne Fabricius. En 1773, M. Giovenazzi, savant antiquaire, découvrit un fragment du XCI^e livre de l'Histoire romaine de Tite-Live. Il le fit imprimer à Rome cette même année, in-4, avec des notes; et la même année encore il en donna une nouvelle édition in-8, à Naples, avec de nouvelles notes. A la même époque, M. Paul-Jacques Bruns fit imprimer le même fragment à Hambourg, petit in-fol. Il fut réimprimé à Paris, et J. E. Hardouin, avocat, le reproduisit avec une traduction française, Paris, 1794, in-12. Quant à la prétendue traduction arabe, un abbé Vella, Sicilien, fit annoncer en 1788, dans plusieurs journaux de l'Europe, qu'il possédait le manuscrit du LXe livre de Tite-Live, qui était perdu. Le chevalier Favray avait trouvé ce MS et plusieurs autres sur la corniche de Sainte-Sophie à Constantinople. Il les apporta à Malte, et en fit présent au grand-maître Pinto, qui en gratifia l'abbé Vella. Le savant M. Hager, se trouvant en Sicile en 1794,

Scripta ejus alia deperdita.

Scripta Livii etiam alia apud Veteres memorantur, ut *Dialogi*, quos non magis Philosophiæ quam Historiæ annumerari potuisse, ait Seneca Epistola centesima : *Libri Philosophici*, sive ex professo Philosophiam continentes, id. *Epistola ad filium*, qua Demosthenem atque Ciceronem illi legendos unice suasit, brevissima et tutissima ad eloquentiam via, Quintil. X, 1. Fragmenta duo insignia Livii de Cicerone, quæ exstant apud M. Senecam Suasoria sexta, ex Historiarum libro CXX petita sunt. Etiam Livii filii scriptis usum se profitetur Plinius libro V Hist. natural. *nisi locus mendosus est*, inquit Harduinus, *et ex præpostera Livii repetitione Livii filii conficta vox*. Si Henr. Dodwellum audimus, desunt hodie in Livio præter tot libros integros, et quæ in quinque, qui exstant, postremis a Jo. Dujatio ex ingenio suppletæ sunt lacunæ, etiam hinc inde quædam, ubi nulla sunt in editis Codicibus neque in MSS hiatuum vestigia : « Desunt in rebus Coriolani bina Consulum paria e Dionysio Halicarnasseo supplenda, Livii ipsius rationibus plane necessaria. Et anni quoque U. C. Catoniani 179 tribunos militares consulari potestate omissos ex ipso Livio evincimus. Et in censorum successione multa supponit Livius, frustra plane in hodiernis Livii exemplaribus quærenda. Deest etiam in eodem locus, quo tertii inierint decemviri, quum tamen tertium illius Magistratus annum supponant ejus rationes. Sic etiam in tribunorum plebeiorum decennali seditione et Magistratuum

fut curieux de vérifier ce fait : l'abbé Vella lui montra des médailles cufiques, dont 1300, disait-il, étaient en or; une collection de vases sarrasins trouvés en Sicile, et différents manuscrits arabes; mais, pour le manuscrit de Tite-Live, il éluda toujours les demandes du voyageur, et finit par lui donner l'extrait du LXe livre en italien. L'ayant confronté avec l'epitome de Florus, M. Hager vit que ce n'était que la traduction littérale de cet epitome. L'abbé Vella s'est fait connaître depuis par d'autres impostures. Voyez le Magasin Encyclop. année 1799, t. VI, p. 330. BARBIER oncle.

Curulium Anarchia deest annus, quem tamen non agnoscunt modo, verum etiam exigunt ejus calculi recte et pro ipsius mente positi. » Hæc Dodwellus, diss. 10 de Cyclis et in Chronologia Dionysii Halicarnassei, et in diss. de fragmento Livii, quod e MS Laudino primum editum est. De reliquiis corporis T. Livii, si Diis placet, inventis Patavii, ad animum lectoris recreandum juvat adscribere hæc ex paralipomenis ad propylæum Papebrochianum Actis Sanctorum Maii præmissum, p. 145 : « Abhinc duobus circiter sæculis (1) nescio quo casu in quodam angulo nobilis monasterii S. Justinæ Patavii detecta est plumbea sandapila, ossa quædam servans. Additum erat Epitaphium T. Livii nomen præferens. Mox desiderium honorandi memoriam scriptoris tam clari impulit Patavinos, ut depositum tam carum in Curiæ atrium transferrent, ubi magnificum erexere monumentum. Andreas Dandulus Senator Venetus, tresque simul aut quatuor Equites læti humeros feretro subjecere; Zacharias Trevisanus, et Leonardus Mocenigus, duo Reip. Magistratus, funus inclytum prosequebantur, solenni cum pompa, per nobiliores urbis vicos circumductum. Alphonsus Rex Arragonum, literatorum amator insignis et æstimator, simul atque thesaurum hunc erutum agnovit, transmitti sibi brachium postulavit per Antonium Panormitanum (2) inclytum Poetam, qui legatione pro Rege ordinaria apud Remp. fungebatur. Datum id precibus Regis, missum brachium, cui longo post temporis intervallo monumentum statui curavit Jovianus Pontanus, erepto rebus humanis Alfonso, priusquam Neapolim navis appelleret tanto insignis munere, quod avide Princeps erat præstolatus. »

Ridetur Livius a Lancelloto, quod scripsit saxis pluisse.

(1) A. 1541. *Giornale de' letterati d' Italia*, tom. XIV, p. 358.

(2) Idem Panormitanus ad eum Alphonsum, Epist. p. 118 : « Sed et illud a prudentia tua scire desidero, uter, ego, an Poggius melius fecerit : is ut villam Florentiæ emeret, Livium vendidit, quem sua manu pulcherrime scripserat : ego ut Livium (120 aureis) emam, fundum proscripsi ».

Et tamen lapides de cælo subinde cadere testatissimum est, et multis exemplis comprobatum ab Antonio Vallisnerio, in Diario Veneto, *Giornale de' letterati d'Italia*, tom. V, p. 201, et tom. XXVII, p. 173 seq. Alienum Livium fuisse a credulitate superstitiosa, facile etiam testantur hæc loca lib. V, cap. 21 : « Hæc ad ostentationem scenæ gaudentis miraculis aptiora quam ad fidem, neque affirmare neque refellere operæ pretium est ». Et VIII, 6, « nam et vera esse, et apte ad repræsentandum iram Deorum ficta possunt ». Male de religione ac pietate, pessime de Livio meritus est Jo. Tolandus, qui ut illum a superstitionis culpa, quod multi jam ante illum fecere, absolveret, adstrinxit invitum irreligiositatis et ἀθεότητος crimine, veluti nihil possit esse medium inter modestum contemptorem anilium, quales erant pleræque Romanæ, superstitionum, et impudentem atque impium conculcatorem Numinis et omnis in universum religionis. Tolandi liber inscribitur, *Livius ἀδεισιδαίμων, sive de superstitionis culpa Livio falso impacta dissertatio*, Hagæ Comitis a. 1709, in-8. Scripsit adversus eum D. Jacobus Fayus Ultraj. 1709, in-8. Scripsit et Elias Benedictus, gallice, Delphis 1712, in-8; scripsere item alii. Sed non opus puto multis cum eo contendere, cui ita periit frons, ut non erubescat Mosen venditare pro assertore Spinosismi.

Livii alii scriptis clari.

Alius ab utroque fuit I *Livius* patria *Pœnus*, quem Valerius quidam in Epistola ad Rufinum, de non ducenda uxore, quæ legitur inter Opera S. Hieronymi, *gravem et uxoratum historiographum* vocat (forte confundens eum cum T. Livio) refertque his verbis reprehendisse Cannium, a Gadibus Herculis Poetam facundiæ lenis et jucundæ (Martiali, qui ejus sæpe meminit, æqualem), quod multarum gauderet amoribus : « Nostram Philosophiam participare non poteris, dum a tot participaris. Non enim eo jecore Junonem amat Titius, quod multi vultures in multa divellunt ». Hujus Livii

nullam fieri mentionem in præclaro Vossii opere de Historicis latinis, miratur Colomesius notis ad Gyraldum de Poetis, p. 235. Alius II *Livius*, *Poeta Christianus*, sæculo post natum Christum quinto clarus, cujus meminit Honoratus in vita Hilarii Arelatensis. Vid. Casp. Barthii Advers. XLVIII, 16. Præterea III *Livium Andronicum* Tragicum latinum antiquissimum, de quo infra libro IV, et de quorum scriptis nihil constat, ut IV *Livium*, Augusti tabularium Atalianum in veteri inscriptione apud Laur. Begerum V. C. in spicilegio Antiquitatis, p. 78, vel denique recentiores, ut V *Titum Livium Burattinum*, Regis Poloniarum Architectum, cujus literas ad se scriptas exhibet Athanasius Kircherus, tom. II OEdipi Ægypt. parte 2, p. 303. VI *M. Livium Sanutum* cujus Geographia Italice prodiit Venet. 1588, in-8. VII *T. Livii Forojuliensis* librum de vita Henrici V, Angliæ Regis, ad Henricum VI ejus filium, non ita pridem vulgavit V. C. Thom. Hearne, Oxon. 1716, in-8.

Ut Flav. Josephus ab Hieronymo, Epist. 22 ad Eustochium, dictus *Judæorum Livius*, sic Baronium, *Livium Ecclesiasticum* appellare non dubitavit Secundus Lancellotus (1). Hieronymi Suritæ Epitaphium :

Livius Arragonum jacet hoc Surita sepulcro,
Nil magis hoc dignus nomine notus erit.
Historicum studiis, annales nomine vicit
Ipse suum nomen, seque suosque libros.

(1) Oggidi tom. II, pag. 568.

INDEX EDITIONUM

TITI LIVII

POST DRAKENBORCHII, FAB. ERNESTII ET HARLESII CURAS

AUCTIOR ET IN VI ÆTATES SEU CLASSES DIGESTUS.

ÆTAS I. *AUTOGRAPHARIA.*

1469-1518.

Præivere, *princeps* Jo. Ant. *Campanus*, et Jo. *Andreas* Aleriensis Episcopus, ille Romanæ I, hic II curator. Inter hos, qui maxime Andream sequuti sunt, denuo textum recognoverunt, Petrus Justinus *Philelphus*, qui Mediolanensi II, Lucas *Porrus*, qui Tarvisinæ II, tribus post annis repetitæ, præfuit, M. Ant. *Sabellicus*, cujus Livius ad vetustum exemplar collatus inde a Veneta II obtinet edd. et Jod. *Badius Ascensius*, qui Sabellicanas curas suarum edd. basin fecit, sed et ipse collationibus cum X codd. MSS, per Gerhardum *Vercellensem* factis, usum se profitetur in Ascensiana II an. 1513.

1469. *Romana* I, fol. tom. II, sine nota anni, cura Ant. *Campani*, per *Udalricum Gallum*. Hanc esse editionem principem, ut verbis utamur cl. Harlesii, multis probat argumentis Laire in specimine, p. 137-141, et primám quidem Decada 1469, duas autem ultimas decadas non serius, quam ineunte anno 1470 primum vidisse lucem. Anno 1471

assignant illam editionem Maittairius in Annal. typogr. tom. I, p. 72, Gronov. in præf. Drakenb. in syllabo editionum, Ernestius in Fabricii Bibl. Lat. Contra Clericus et Hearne referunt illam ad an. 1472. At Laire destruendo has suspiciones docet p. 141, Campani versus solitos, in hoc quoque exemplo conspicuos

Anser Tarpeii custos Jovis, unde quod alis
  Constreperes, Gallus decidit, ultor adest.
Vuldricus Gallus, ne quem poscantur in usum,
  Edocuit pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die, quantum non scribitur anno:
  Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.

CAMPANUS.

significare, quæcumque editio illos habebat adjectos, eam a medio anno 1469 usque ad finem Decembris a. 1470 prodire debuisse, quia toto eo tempore, nec ulterius, officinæ Ulrici *Hahn* præfuit Campanus, quo profecto, ineunte a. 1471, alia usus est Ulricus formula. Aliud argumentum ducit ex charactere minuto, quo versus Campani in hoc exemplo exarati sunt; quo quidem impressi libri prius exierunt ex Ulrici officina, quam charactere majore descripti, et quem, profecto Campano, atque a. 1471 societate inita, proprium sibi reservavit. Cæterum hanc ed. Gruterus in notis ad edit. suam 1628, vocat posteriorem, uti Romanam, quæ ab Jo. Andrea Aleriensi curata sequitur, priorem putavit.

...∴ *Romana* II, fol. sine anni nota, per Conr. *Schweinheim* et Arn. *Pannarz*, cura Jo. And. Episcopi Aleriensis, qui edit. hanc a se recognitam, addita præfatione, quam pleræque editiones sæculo XV et initio sæculi XVI excusæ servarunt, dedicavit summo Pontifici Paulo II Veneto, et Marco Sancti Marci Cardinali. Hujus editionis 275 exempla excusa traduntur in indice librorum per dictos artifices impressorum, subjuncto epistolæ Jo. Andreæ ad Xystum IV d. 20 Mart. an. 1472, in Maittairii Annal. typogr. tom I,

p. 48, et Bibl. Lat. Fabricio-Ernestiana, tom. III, p. 564 sq. n. (*o*). Eam autem a. 1471 antevertisse, eo argumento probat Jo. Frid. Gronovius in Præf. quod illo anno Paulus Pontifex, cui dicatur, mortalitatem explevit. Hinc Fabricius in Bibl. Lat. eam retulit ad an. 1470, similiterque viri clariss. Thom. Hearne et Jo. Clericus in Indice præcipuarum Livii editionum. Vid. Laire specim. p. 160. Verum Maittairius in Annal. typogr. tom. I, p. 66, et tom. IV, p. 283, potius referendam contendit ad an. 1469, quia Veneta Livii editio, quæ sequitur, et lucem adspexit a. 1470, camdem, quam hæc Romana, Episcopi Aleriensis epistolam præfert, et huic posterior, quam illa, censenda est. Aleriensis enim epistola indicat, eam editioni, quæ Romæ excusa est, dedicandæ conscriptam esse: neque facile credi potest, utramque editionem, alteram Romæ, alteram Venetiis eodem anno exiisse. Sed quoque de ipsius editoris nomine non convenit. Vide Drakenb. in elencho, qui præcipue de nomine Episcopi Aleriensis, quod Ughellus in Ital. sacra, tom. III, p. 503, *Joannem Antonium de Buxiis* perperam scripsit, multus est. Plura et certiora de vero nomine *Jo. Andreæ* tradit Freytag in Apparat. Liter. tom. III, p. 619, sqq. Præterea monendum est, in hac edit. undetriginta libros esse, nempe 1-10, et 31-40, sed sine libro 33, qui et ab omnibus abest, usque ad edit. Moguntinam; etsi in nonnullis exemplis numerus denarius plenus videtur.

1470. *Veneta* I, fol. per *Vindelinum Spirensem*, sive de Spira. In hac editione denuo apparere epistolam Jo. Andreæ, Episcopi Aleriensis, quæ jam in præcedenti Romana data erat, monuit Maittairius in Annal. typogr. tom. I, pag. 69, et tom. IV, p. 289. Ad finem hujus edit. adscribitur annus MCCCCLXX, et subjiciuntur sex et quadraginta versus, quos ex exemplo hujus raro obviæ editionis in Bibl. Senat. Lips. exstante adscribimus:

Proderat haud multum, Livi, abs te scripta fuisse
Maxima, si Romæ facta pari eloquio:

Quæ seu desidiis, alio seu crimine quovis,
  Sive et temporibus cuncta fere occiderant:
Quæque superfuerant opera, hæc tam rara videri,
  Ut pæne ipsorum copia nulla foret.
Et VINDELINO debebis tu quoque, formis
  Egregie impressit has modo qui decadas:
Atque ipsas iisdem scævis (*sic*) velut hostibus acri
  Bello oppugnatas fortiter eripuit.
Hac etenim studiis non tantum Romulidumve
  Historiis opera, quam tibi, consuluit.
Quippe tuo hac in re cum Romæ nomine juncto,
  Alterutrum servans servat utrumque simul.
Ergo tua ut perdens opera est invisus habendus,
  Horum servator sic tibi amandus erit.
Magna loquar, sed vera tamen. Conferre putatur
  Ad famam natos progenuisse probos.
Non parvo majora tamen monumenta putanda
  Sunt opera, excellens quæ parit ingenium.
Nec vero tantum fluxi quia corporis illi
  Exsistunt fœtus, perpetui hæc animi:
Verum etiam nati quia non a patribus omnes,
  Sunt quibus affecti dotibus, accipiunt.
Si qua autem gravis atque ornata oratio, qualem
  Cernimus esse tuam, composita exstiterit,
Huic nihil est prorsus, quod non suus afferat auctor,
  Sive ejus formam, sive alia aspicias.
Ipse hanc effingit, polit hanc, atque induit ipse,
  Ipse, anima tamquam, sensibus instituit.
An natos igitur servanti cuncta putares
  Te debere, nihil hæc opera eximia?
Adde, quod et perpulchra effinxit et optima, cunctis
  Hoc (*sic*) etiam ut placeant, hæc monumenta tua,
Atque tot impressit, totum his jam possit in orbem
  Diffundi, atque ævum nomen in omne tuum.
Sed tua quæ probitas, dignas non ambiget ullus
  Quin habeas grates ipse tuo artifici.
Id superest, quando nulla est tam digna supellex, (*sic*)
  Quæque tot ac tantis usibus esse queat;
Si neque jam magno sumptu magnove labore,
  Sed sibi quam minimo quisque parare valet:
Historias quisquis, quisquis sua commoda curat,
  Impressa hæc frustra non sinat esse opera.

Verum sic etenim sua qnemque industria mnltum
Juverit, ipsa paret, lectitet ipsa diu.

Hanc edit. Augustæ Vindelicorum eodem anno repetitam esse, hujusque exemplum exstare in Bibl. Senat. Lips. falsum est.

1472. *Romana* III, fol. per Conr. *Schweynheim* et Arn. *Pannartz*. Iterata editio *Andreæ*, cujus tamen epistola deficit. Ad finem Livii hi versus leguntur:

Adspicis, illustris lector, quicunque libellos,
Si cupis artificnm nomina nosse, lege.
Aspera ridebis cognomina Teutona, forsan
Mitiget ars Musis inscia verba virum.
Conradus Schweynheim Arnoldus Pannartzque magistri
Romæ impressernnt talia multa simul.

In domo Petri de Maximis MCCCCLXXII, die XVI Julii. Vid. Laire, p. 179, qui idem pag. 230 de versione Ferrarii Italica 1476 Romæ, indeque orta controversia, pluribus disserit.

1478. *Mediolanensis* I, fol. arte et impensis Philippi *de Lavagnia*. In plerisque Andreæ sequitur editionem.

1480. *Mediolanensis* II, fol. per Anton. *Zarothum:* quam recognovit *Petr. Justinus Philelphus.* In fine adscripta sunt hæc verba : « Has tris Titi Livii Decadas Petrus Justinus Philelfus, ut amicis quibusdam suis morem gereret, quam diligentissime recognovit. Impressit autem Mediolani opifex consummatissimus Antonius *Zarothus*, opera et impensis Joannis Legnani, decimo Kalendas Novembres : regnantibus illustrissimis Mediolani ducibus Bona, et Joanne Galeacio Maria Sphortia, anno a natali Christiano millesimo quadringentesimo octogesimo ».

.... *Tarvisina* I, per *Michaelem Manzolinum*, Parmensem. In fine hæc adscripta inveniuntur : « Titi Livii Patavini

historici illustris decadis quartæ libri finiunt, quos Michael Manzolinus Parmensis ductu, impensa, solertique diligentia viventibus posterisque imprimi curavit anno salutis MCCCCLXXX pridie Kalendas Novembres ». Locus, ubi liber impressus est, non additur. Monet autem Maittairius in Annal. typogr. tom. IV, p. 406, librum impressum quidem esse a typographo Parmensi, non tamen, ut Orland. pag. 148, putabat, Parmæ; putat autem eum deceptum esse a Cornelio Beughemio, pag. 85, quem sæpius describere solet. Eodem inductus errore Drakenborchius hanc editionem in notis Parmensem vocavit, sed perperam. Nam ex Maittairii Annal. typogr. tom. I, p. 84, et tom. IV, p. 235, disci potest, Michaelem Manzolinum Parmensem typographiam *Tarvisii* exercuisse, ibidemque ab anno 1477-1481 varios libros emisisse (ut Cæsarem, nobis ad an. 1480 annotatum). Ex his patet, hanc Livii editionem esse *primam Tarvisinam*.

1481. *Paris.* fol. Hanc editionem memorat Maittairius, Annal. Typogr. tom. V, part. II, pag. 532, sed ex aliena et incerta traditione.

1482. *Tarvisina* II, fol. per Jo. *Vercellium.* Ad calcem hæc leguntur : « Has Titi Livii decadas a Luca *Porro* quam diligentissime recognitas, Tarvisii Joannes Vercellius impressit anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo secundo ».

1483. *Tarvisina* III, fol. per Michaelem *Manzolinum* Parmensem. Hanc edit. ex Biblioth. Hohendorfiana laudat Maittairius in Annal. Typogr. tom. IV, p. 450. Ex illis, quæ ad similem editionem anno 1480 excusam, dicta sunt, constat, hanc quoque impressam esse Tarvisii.

1485. *Tarvisina* IV, fol. Titi Livii Patavini Historiarum Decas I, III et IV. Præmissa : 1° Epistola nuncupatoria *Jo.*

Andreæ Episcopi Aleriensis ad summum Pont. Paulum II Venetum, et Marcum Sancti Marci Cardinalem; 2° L. Flori Epitoma Decadum quatuordecim T. Livii Patavini Historici in centum et quadraginta libros distinctum. In fine: « Has Titi Livii Decades a Luca Porro quam diligentissime recognitas Tarvisii Joannes Vercellensis impressit. Anno salutis millesimo quadringentesimo octogesimo quinto ». Perraram hanc edit. diligentius descripsit Cl. *Denis* in *Merkwürdigkeiten der Garell.* Biblioth. pag. 113-114. Maittairius, eumque sequutus Ernestius (cujus tamen in bibliotheca exstabat), hanc edit. quidem memorant, sed nullam *Flori* mentionem faciunt; vid. Annal. Typogr. tom. I, pag. 180, tom. V, part. I, voce *Flori*, et part. II, voce *Livii* et *Flori* pag. 21, 22, 519, 532, 568, 570; cf. Jo. Frid. Gronovii præfat. edit. c. n. var. ap. Elzev. 1679, in-8, tom. I; J. A. Fabricii B. L. Venet. 1728, in-4, tom. I, pag. 194-195 et 204.

.... *Paris.* fol. Memorat hanc edit. Maittairius in Annal. Typogr. tom. V, part. II, p. 532, sed ex aliena et incerta traditione.

1491. *Veneta* II, fol. cum annotationibus *Sabellici.* Hanc ed. ex Fabricii Bibl. Lat. memorat Maittair. in Ann. Typogr. tom I, p. 309. Sed tom. IV, p. 532 addit, ad ejus calcem hanc formulam adjectam esse: *Impress. die V Novembris MCCCCLXXXXI, regnante Augustino Barbadico duce Venetiarum.* Cujus vero typis excusa fuerit, neutro loco memoratur. Ipse Sabellicus in præfatione refert, se Livium ad vetustum exemplar, ex bibliotheca Benedicti *Cornarii* Patricii Veneti depromptum, contulisse, petente Bernardino *Herasmio* Novocomensi, homine fide et industria singulari, ut clarissimam historiam aliquanto integriorem novæ impressioni subjiceret. Verum licet plures circa annum hunc typographi Bernardini Venetiis floruerint, nullus tamen memoratur Bernardinus Herasmius Novocomensis. Habuit hanc ed. quoque Chr. Gottl. Schwarzius, teste indice librorum sæc.

XV impressorum, quos possidet Cl. G. Schw. concinnato a J. C. H. et J. P. R. Norimb. 1727. Part. II, pag. 38.

1492. *Veneta*, fol. Hæc edit. ex Bibl. Adr. Pauw recensetur apud Maittair. in Annal. Typogr. tom. I, p. 314, et tom. IV, p. 545. Suspicio tamen est, hanc et præcedentem eamdem esse, earumque alteram, et quidem hanc, ex solo operarum errore natam esse.

1493. *Veneta* III, fol. per Matthæum *Capcasa* Parmensem. Memorat hanc edit. Maittairius in Annal. Typogr. tom. V, part. II, pag. 23 ex Orland. pag. 418.

1495. *Mediolan.* III, fol. per *Uldericum Scinzenzeller*, impensis Alexandri *Minutiani*. Editionem hanc memorans Maittairius in Annal. Typogr. tom. I, pag. 332, et tom. IV, pag. 590, testatur, ad finem ejus hæc verba legi : « Impressit Uldericus Scinzenzeller, impensis Alexandri Minutiani; ex quam emendato exemplari, si cum cæteris conferes, quam facillime intelliges, candidissime lector; cui etiam librariorum culpam, quantum licuit, idem Alexander præstare conatus est, Mediolani pridie quam Lud. M. SF. Anglus princeps sapientissimus hujus inclyti imperii sceptrum et ducalia insignia a Maximiliano imperatore per legatum acciperet. Anno salutis MCCCCLXXXXV, die XXV Maii ».

.... *Veneta* IV, *Pincii* I, fol. cum figg. ligno satis nitide excusis. *T. Liv. Decades*. Præmittitur: 1° epistola nuncupatoria « Jo. Andreæ Episcopi Aleriensis ad summum Pont. Paulum II Venetum, et Marcum Sancti Marci Cardinalem; L. Flori epitomà Decadum quatuordecim T. Livii Patavini Historici in centum et quadraginta libros distincta »; accedunt « M. Antonii Sabellici ad magnificum et præstant. virum Benedictum Cornarium, Patricium Venetum, epistola præfatoria ». 2° « M. Antonii Sabellici brevissimæ in Livium annotationes, locis suo ordine aut in integrum restitutis,

ant in fronte, ne quid temere offenderetur, brevi indice relatis ». In fine : « Titi Livii Patavini Decades expliciunt. Venetiis per Philippum Pincium Mantuanum summa cura et diligenti studio impressæ. Anno ab Incarnatione Domini MCCCCXCV, III Nonas Novembris. Imperante Serenissimo Augustino Barbadico, Venetiarum Duce felicissimo ». Registrum excipiunt insignia typographica, quibus postea *Juntæ* usi sunt, lilium scil. et literæ L. A. vid. Maittairii Annal. typogr. t. I, pag. 333, et t. V, l. citt. Fabricii Bibl. Lat. Venet. 1728, in-4, et Ernestii edit. qui autem de Floro nullam facit mentionem. Liber XXXI, s. primus quartæ Decadis, qui in superioribus editionibus in duas partes scissus erat, in hac edit. in suum ordinem restitutus est, finiturque verbis : *in Hispania jussit.* Liber igitur XXXIII desideratur. Raritatem h. e. testantur Bauer. in biblioth. libr. rar. univers. tom. II, pag. 297; Biblioth. Schwartz. II, 236.

1498. *Veneta* V, fol. per *Bartholomæum de Zanis de Portesio.* Recensuit hanc editionem Maittairius in Annal. typogr. tom. I, pag. 353, et tom. IV, pag. 662, addens, eam sine notis prodiisse. Hoc falsum : nam exemplar in biblioth. Trajectina servatum Sabellici annotationes habet repetitas. Ad calcem h. e. hæc adscribuntur verba : « Titi Livii Patavini Decades expliciunt, Venetiis per Bartholomæum de Zanis de Portesio summa cura et diligenti studio impressæ. Anno ab Incarnatione Domini 1498, die XX Junii ».

1501. *Veneta* VI, fol. per *Georgium de Rusconibus* Mediolanensem. In fine : « Titi Livii Patavini Decades expliciunt, Venetiis per Georgium de Rusconibus Mediolanensem summa cura et diligenti studio impressæ, anno ab Incarnatione Domini 1501, die 4 Decembris ». Exstat in locupletissima bibl. Leidensi, in Catal. Bibl. clar. J. Aug. Ernesti, Lips. 1782, p. 173, n. 2567; atque eadem continet, quæ ambæ præcedentes.

1505. *Mediolan.* IV, fol. apud Alexandrum Minutianum. Huic editioni præfixa Minutiani epistola data est *Mediolani Idibus Sept.* 1505: ad finem autem libri hic temporis character invenitur: *Apud Alexandrum Minutianum Nonis Quintilibus mense Julii.* Ex his conjicitur, hanc editionem referendam esse ad annum MDV; ac verisimile videtur, excusam esse Mediolani. In ea enim urbe Minutianus tabernam librariam etiam sæculo præcedente exeunte exercuit, et impensas in editionem Livii, quæ anno MCCCCXCV in ea urbe prodiit, contulit, ut supra vidimus. Ipse etiam hoc sæculo XVI ineunte ibidem varios libros typis impressit : anno MDII Justinum (vid. Maittairii Annal. typogr. tom. II, p. 156); anno MDIII Bernardi Corii Historiam Mediolanensem (vid. Maittairium ibid. pag. 163 et 165); anno MDXIII Josephi opera latine, et Hegesippum (vid. Maittair. ibid. p. 247). Livium hunc a se editum Minutianus dedicavit Jaffredo Carolo Jurisconsultissimo, Delphinatus ac Mediolanensis senatus Præsidi sapientissimo, testatus, « se non imitatum esse eorum temeritatem, qui, ut scire videantur, omnia corrigere ac emendare profitentur : sed quæ sibi aut dubia aut obscura visa fuerunt, ea se intentata reliquisse, ut per pristina dictionum aliqua vestigia vera et sincera lectio investigari possit ». Verum ut pateat, quid de hoc sive editore, sive typographo sentiendum sit, adscribamus locum ex Parrhasii Epistola, qua Commentarium in Claudiani libros de Raptu Proserpinæ eidem Jaffredo Carolo dedicat. Ita inquit : « Non est (ne nobis blandiamur) hodie, non est Horatio bene monenti parere, scriptaque vel in paucos menses, nedum (quod illi placet) in annos novem comprimere, nisi laboris sui fructu fraudari quis velit. Adsunt enim ignavissimi quidam fuci, qui favis alienisque mellificationibus insidiantur : et quæ multo longoque studio comperta sunt ab aliis, impudentissime pro suis ostentant. Ut iste vix satis idoneus impressor, qui castigationes in Livium meas ex magna parte subripere, tibique nuncupatim dicare non eruhuit : in quo non minus

existimationi tuæ, quam mihi, fecit injuriam : quasi vero divinus tuus animus interceptis gaudeat rebus, et in hoc etiam Superos non imitetur, quibus (ut Porphyrius auctor est) furta non litant. Ego, vir integerrime, triennio jam Livii bellum Macedonicum, frequenti professus auditorio, singulis lectionibus emendavi, quod ante nos (absit verbo invidia) nemo tentavit : ostendique certissimis argumentis, ab eo, quam dixi, Decada depravatam locis amplius mille. Veritus itaque, ne sua lanieua per nos in publicum proderetur, editione prævenire festinavit : eamque rem dissimulanter me laturum speravit, si sub umbra tui nominis emitterentur : ac si non eadem gratiora tibi futura sint a proprio justoque domino, quam ab inverecundo plagiario. Quum præsertim nusquam ille potuerit afferre correctionis alienæ rationem, quod nos inter legendum fecimus, quæ propediem sub tuis auspiciis exibit in publicum, sex in toto Livio vulnerum millibus a me curatis, aut splenio contectis. »

1506. *Veneta* VII, fol. per fratres Joannem et Bernardinum Vercellenses, c. Sabellici annotationibus (omissa tamen ejus ad Cornarium præfatione). In fine hæc leguntur : « Titi Livii Patavini Decades expliciunt, Venetiis per Joannem ac Bernardinum ejus fratrem Vercellenses summa cura et diligenti studio impressæ, anno Domini MCCCCCVI, XXVII Nonas Januarii imperante Serenissimo Leonardo Lauridano, Venetiarum duce felicissimo ». Cf. Maittair. Annal. typogr. tom. V, part. II, pag. 21.

1510. *Ascensiana* I, fol. impensis Jo. *Parvi* et *Ascensii*. Præfixa est huic edit. Jodoci Badii Ascensii epistola ad Georgium Aloinum, hanc temporis notam præferens : « Ex Chalcographia nostra apud Parrhisios, pridie annuntiationis atque incarnationis dominicæ MDX ». Præterea Sabellici in Livium Annotationes, deficiente tamen ejus ad Cornarium præfatione, tum ipsius Badii Ascensii in Livianam lectionem Isagogen cum prooemii primi expositione. Ad cal-

cem hæc verba reperiuntur : « Diligentiore cura, in ædibus Ascensianis, in illustri Parrhisiorum Academia, impensis Joannis Parvi et ipsius Ascensii. Anno salutis Christianæ MDX ad Idus Martias ». Vid. Maittair. Annal. typogr. tom. II, pag. 216, et Freytag. Apparat. liter. III, pag. 616 sqq. ubi hæc editio uberius describitur.

1511. *Veneta* VIII, *Pincii* II, fol. *T. Livii Patavini Decades cum figuris noviter expressæ.* Adversam tituli paginam occupare incipit « Jo. An. Episcopi Aleriensis ad summum Pont. Paulum II Venetum, et Marcum Sancti Marci Cardinalem epistola »: quam sequitur *L. Flori Epitoma* Decadum XIV T. Livii in CXL libros distinctum fol. II, b-XVI incl. et a fol. XVII-XX incl. *M. An. Sabellici brevissimæ in Livium Annotationes*, etc. Finitur ipsa Liviana historia fol. CCLIII b his verbis : « T. Livii decades fœliciter (*sic*) expliciunt: Venetiis a Philippo *Pincio* Mantuano impressæ Anno Domini MCCCCCXI die XXVII Septembris. Inclyti Domini Leonardi Lauredani Venetiarum Ducis Serenissimi tempestate ». Registrum « Defende nos beate pater Antoni ». Hæc editio a Maittairio in Annal. omissa servatur in bibl. publica Amstelodamensi, et Gymn. Bipontini, cui eam addidit vener. Jo. Christianus *Tatsch*, consiliarius et eccl. A. C. pastor primarius.

... s. l. et a. 2 voll. in-8. Editio exscripta literis currentibus, quales fuere Aldinæ, cum Augustini *Becharii* alloquio ad studiosos. Fuit penes clar. Jo. Aug. *Ernesti*, teste Catal. n. 2860, p. 190. Male vulgo fertur apud Badium Ascensium edita, quum potius Venetiis prodiisse videatur; conf. quæ monuimus ad Justini ed. 1510 in Indice ejus edd. pag. 16. Ernestius in Bibl. Fabr. inter Livii edd. eam memorans inquit : « quam Parisiensem Ascensii faciunt et assignant vel anno 1501, ut Jo. Frid. Gronovius, vel 1511, ut Drakenborchius; sed forma literarum est, quam *cursivam* dicunt,

quæ an. 1501 nondum nota extra Italiam fuit (vid. edd. Virgilii) estque ipsa talis, qualis est in ed. Quintiliani per Jo. Rossellum, et Plauti per Carpentarium, qui Lugduni artem typographicam exercuit ».

1513. *Ascensiana* II, cum L. Flori in omnes libros epitome recognita et annot. M. Ant. Sabellici, fol. Titulus præfert signum Jo. *Parvi*, quem Jod. *Badius* Ascensius socium sibi sumpserat; nempe duo leones, scutum lilio et literis J. P. inscriptum sustinentes, adjecto subtus nomine ejus *JEHANN PETIT*. Sub signo leguntur hæc verba: « Venundantur ab Johanne Parvo et Jodoco Badio Ascensio ». In hac editione, quam etiam Maittairius in Annal typograph. omisisse videtur, continentur eadem omnia, quæ in antea memorata an. MDX exstabant; ita tamen, ut Ascensii in Livianam lectionem Isagoge auctior prodierit, et insuper addatur vocabulorum Livianorum compendiaria explanatio. Præterea, contextum Livianum cum decem diversæ monetæ aut scripturæ codicibus (per Gerhardum Vercellensem Burgundum) collatum esse, nova Ascensii præfatio priori subjecta docet, quæ hanc notam chronologicam præfert: *Pridie natalis Dominici MDXIII.* In calce libri hæc formula adscripta reperitur: « Ex ædibus Ascensianis longe accuratiore, quam pridem, vigilantia, collato videlicet exemplari cum decem venerandæ vetustatis codicibus, et non oscitantis judicio recognito, atque plus quam sexcentis locis illustrato, in illustri Parrhisiorum Academia, impensis Johannis Parvi, et ipsius, qui impressit, Ascensii, anno redemptionis humanæ MDXIII ad Nonas Decembres ». Vid. Catal. Bibl. Bunav. t. I, vol. I, p. 296.

1516. Ascensiana eadem recusa ab Gotfrido *Hittorpio*, (cive et typographo Coloniensi). Quæ editio, a Maittairio in Annalibus typogaphicis non recensita, quum eadem omnia exhibet, quæ Ascensiana Parisina II, eique

quam simillima est, adeo ut utraque totidem foliis absolvatur (absolvitur autem hæc III foliis CCLXXX), tamen a priori differt. Ipsa hæc Coloniensis pro Parisina habetur Drakenborchio, Fabricio seu Ernestio, et Harlesio: sed falsi videntur; quod titulus ipse a Drakenborchio descriptus, et ratio vocum in Parisinis Ascensii omnibus literis exaratarum per compendia scribendi prodit. Titulus præfert enim binos leones, scutum bipartitum sustinentes, in cujus superiori parte conspiciuntur tres coronæ, æquali ordine aliæ ad latus aliarum dispositæ, pars autem inferior pellis murinæ imaginem imitatur, addito subtus nomine LODOVICUS HORNKEN. Infra legitur: « Vænundantur ab Gotfrido Hittorpio ». In fine libri: « Ex Ædibus Ascensianis longe accuratiore quam pridem vigilantia: collato videlicet exemplari cum decem venerandæ vetustatis codicibus: et non oscitantis judicio recognito: atque plus quam sexcentis locis illustrato: in illustri Parrhisiorum Academia: rursus opera et accuratione Ascensiana: Anno redemptionis humanæ MDXVI ad nonas Junias »; conf. Catal. Bibl. Bunav. t. I, vol. I, p. 296. Godofr. enim *Hittorpius*, quod omnibus notum est, Coloniæ librariam rem docte exercuit; Lodovicus vero *Hornken*, cujus insigne in titulo expressum est, bibliopola tum fuit celebris, cujus sumptibus etiam an. 1519 A. Gellius Basileæ apud Andr. Cratandrum excusus est; uti an. 1526 idem Gellius sumptu et ære Godfr. Hittorpii ab Euch. Cervicorno repetitus est. Socii igitur tum fuisse videntur L. Hornken, et G. Hittorp, qui infra ad an. 1528 redibit. Est hujus edd. exemplum sine titulo penes G. C. *Crollium;* unde ordinem edendi huc transcribere lubet: Post folium titulo inscriptum (quod deest), I, *Tabula Alphabetica. Rerum et verborum accuratione. M. Ant. Sabellici in marginibus sequentis operis annotatorum, et industria Ascensiana auctorum index serie alphabetica ab Ascensio recentius recollectus,* fol. 2-7 (a). II, Jod. *Badii* Ascensii in Livianam lectionem Isagoge: cum proœmii primi expositione

ante ipsam ponenda: 1° Regulæ T. Livio observatæ; 2° Vocabulorum Livianorum explanatio Ascens. (aa 5 foliis). III, Tabula in Epitomen L. Flori (bb 4 fol.). IV, Epitome L. Flori (bb-dd f. 7). V, T. Livii Decades, etc. cum marginalibus Sabellici.

1517. *Lipsiæ*, Primæ Decadis Livianæ lib. I, per Jac. *Thanner*, in-4. Memoratur in Sam. *Engelii* Bibl. selectissima, Bernæ 1743 edita, p. 44.

1518. Lipsiensem L. I Dec. I edit. et quidem juventuti dicatam in-4, alii ad hunc annum referunt.

ÆTAS II. *MOGUNTINA.*

1518-1531.

Quamvis enim Ascensianam sequutæ sint maxime Parisinæ, laus tamen prima manet Moguntinæ, quæ ex Cod. Bibl. Mog. præstantissimo lib. XXXIII et XL explevit, et ex eodem varietatem lectionis in XL libros a Nic. *Carbachio* excerptam habet; unde profecere *Aldinæ*, curante Asulano, et Aldinarum simia, *Juntina*. Laudabilis vero etiam fuit cura ab Jac. *Sobio* in Livium collata, qui non solum hac ætate Coloniensibus edd. ornamenta attulit, sed et sequenti ætati bene præivit.

1518 et 1519. *Moguntiæ*, fol. Titus Livius Patavinus historicus, duobus libris auctus, cum L. Flori epitome, indice copioso et annotatis in libros VII, belli Macedonici. Cum privilegio Decennii. In fine: « Moguntiæ in ædibus Joannis Scheffer, mense Novembri anno MDXVIII ». Præmissum est Imperatoris Maximiliani privilegium, datum *die nona mensis Decembris an. MDXVIII* (quod typis renovandum curavit Jo. *Beckmann in Beytrægen zur Geschichte der Erfindungen*, *Gœtting.* et Lipsiæ, part. I, 1780, ubi

p. 85-94 de privilegiis agit). Privilegium sequitur primo Ulrichi *Hutteni* equitis Præfatio ad Albertum Brandenburgensem, Cardinalem, Archiepiscopum Moguntinum et Magdeburgensem, principem Electorem; tum Erasmi data VII Kal. Mart. an. MDXIX ad Misobarbaros atque eosdem Philomusos Præfatio. Post indicem deinde in Livium ejusque epitomas, et consules in Livio et epitomis occurrentes, ordine Chronologico dispositos, sequuntur epitomæ Livianæ, et ipsius Livii contextus. Admodum autem memorabilis est hæc editio, quia prima omnium exhibuit maximam partem libri XXXIII, a cap. 17, § 6, usque ad libri istius finem, qui integer antea pro deperdito habitus est, et ultimam partem lib. XL, a cap. 37, § 3, usque ad finem: quæ operis Liviani particulæ in lucem protractæ sunt ex bibliotheca Moguntinæ, quæ est in æde maxima ac metropolitana (divi Martini) perquam vetusto codice, characteribus Longobardicis in membrana scripto. Quum autem codex ille, omnium hujus partis præstantissimus, qui partem lib. XXXIII ultimam et libros sequentes usque ad finem libri XL continebat, passim a vulgata priorum editionum lectione diversus abiret, Nicolaus *Carbachius* eum dignum censuit, quem diligenter cum olim excusis committeret, ejusque excerptas variantes, quarum 2000 notavit, huic Livii editioni subjiceret, præmissa præfatione, Idibus Mart. an. MDXIX data, qua consilii rationem reddidit. Eo autem facto optime de Livio meritus est, atque hunc thesaurum, aut certe ejus partem nobis servavit; qui utrum hodie adhuc supersit, aut ubi lateat, incertum est. Idem Carbachius cum Jac. Micyllo Livium germ. versum edidit an. 1533 Moguntiæ apud eumdem Jo. Schefferum. De præstantia et raritate hujus editionis vide Maittairii Annal. typogr. t. II, pag. 333, 334; t. V, part. I, voce *Flori;* Bunemanni Catal. MSS et libror. rarissimor. Mindæ, 1732, in-8, p. 31 sqq. Fabricii Bibl. Lat. Venet. 1728, t. I, p. 195-196, et Ernestii edit. t. I, p. 282; *Hamberger zuverlæss. Nachr.* t. I, pag. 532; Harlesii Introd. in

Notit. Literat. Romanæ, t. II, pag. 417; *Harvood's Uebersicht verschiedener Ausgaben der griechischen und Rœmischen Classiker, übersezt von Fr. Carl. Alter, Wien* 1778; Biblioth. Schwarz. I, 105; Bauer. Biblioth. libr. rar. univers. t. II, pag. 297; Catal. Bibl. Uffenbach. t. II, append. p. 105, 106; *Catalogue de la Biblioth. de feu M. le Duc de la Vallière*, Part. I, n. 4859, *et Prix des livres*, etc. n. 4859.

1518, 1521, 1533. *Aldina* I, 5 voll. in-8. *Ex XIV Titi Livii Decadibus, Prima, Tertia, Quarta, in qua præter fragmenta III, et X Libri, quæ in Germania nuper reperta, hic etiam continentur, multa adulterina expunximus, multa vera recepimus, quæ in aliis non habentur. Epitome singulorum librorum XIV Decadum. Historia omnium XIV Decadum in compendium redacta ab L. Floro. Polybii lib. V de rebus Romanis latinitate donati a Nicolao Perotto. Index copiosissimus rerum omnium memorabilium. Ne quis alius, aut usquam locorum Venetæ ditionis impune hos libros imprimat, Senatus Veneti decreto cautum est.* Præmisso hoc titulo, volumen primum exhibet *Francisci Asulani* (vel potius Francisci *Torrisani* seu *Turresani* de *Asula*, Aldi affinis) *Epistolam ad lectores, Inscriptiones II Patavii repertas, Elenchum Regum, Dictatorum, Coss.* etc. *et aliorum quæ hac I Decade continentur. Indicem rerum omnium vel scitu opportunarum vel lectu dignarum, quæ prima hac continentur Decade*, etc. Inde sequitur novus titulus: *Titi Livii Patavini Decas Prima. Francisci epistola ad Andream Naugerium, Patricium Venetum.* Hanc epist. sequuntur *decem libri primæ Decadis, Errata, Registrum*, seu series plagularum. In fine: *Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ (Torresani* seu *Turresani* de *Asula) Soceri, Mense Decembri MDXVIII.* Volumen II præ se fert titulum: *Index Decadis tertiæ: Syllabus Dictatorum, Consulum*, etc. *Index rerum omnium vel scitu opportunarum* (ut supra), *Decem libri Decadis tertiæ*, quibus præmissus est titulus: *Titi Livii De-*

cas tertia. Hunc excipit *Epistola Francisci Asulani ad Jo. Baptistam Rhamnusium.* In fine sequuntur *Errata, Registrum,* et subscriptio: *Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. Mense Februario MDXIX.* Volumen III inscribitur: *Index Decadis quartæ.* Subjicitur *Syllabus Dictorum et Index rerum memorabilium* (ut supra). Tum sequitur novus titulus: *Titi Livii Patavini Decas quarta, Francisci Asulani ad Jo. Baptistam Turrianum Patricium Veronensem epistola,* quam excipiunt *Libri X* hujus Decadis (ut in editione Moguntina), et Registrum. In fine: *Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri, mense Novembri MDXX.* Voluminis quarti titulus est: *Titi Livii Patavini Decadum Epitomæ. Lucius Florus.* Sequuntur: Epitomata. Inde alius titulus: *Lucius Florus.* Hunc excipit *Francisci Asulani ad Raymundum Turrianum Patricium Veronensem epistola,* et ipsius *Flori* textus. Pagina 69 novus titulus occurrit: *Polybii historiarum libri quinque in Latinam conversi linguam, Nicolao Perotto interprete.* Versionem ipsam præcedunt *Francisci Asulani epist. ad lectorem et Nicolai Perotti in Polybii historiarum libros proœmium ad L. Pont. Max.* In fine voluminis separato folio exstat Registrum et subscriptio: *Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. Mense Martio MDXXI.* Volumen V seu appendix hujus editionis. Titulus: *Titi Livii Patavini Decadis quintæ libri quinque* (scil. lib. XLI-XLV). Inde sequuntur *epitomata et textus Livianus,* Syllabus *Prætorum, Consulum,* etc. Index rerum, Registrum. In fine: *Venetiis in ædibus Hæredum Aldi Manutii Romani et Andreæ Asulani Soceri, mense Maio MDXXXIII.* Raritatem editionis hujus præstantis variorum eruditorum, qui eam commemoravere, satis probant errores, nec non bibliothecarum Catalogi, in quibus rarissime integra invenitur. Ex supra dictis, uti ex Catalogo Crevennianæ Bibliothecæ, in quo de hac edit. perquam diligenter disseritur, indice Drakenborchiano, et Ernesti editione Bibliothecæ Fabricianæ corrigi possunt Maittairius, Fabricius, Debure, Harwood,

Alter, Pinelli, Jagemann, Bauer, etc. Vid. *Catalogue*, etc. *de M. Crevenna*, t. V, pag. 127, 128; Ernestii edit. Fabricianæ Bibl. Lat. t. I, p. 282; Maittairii Annal. typogr. t. II, pag. 316, 335, 598, 613, 787, et t. V, part. I, pag. 404, t. V, part. II, p. 22; Fabricii Bibl. Lat. Venet. 1728, t. I, p. 196; Debure, *Bibliographie instructive*, n. 4806; *Harvood, a View of the Greek and Roman Classics*, etc. *the second edition corrected London* 1778, p. 182; *Harwoods Uebersicht versehiedener Ausgaben, übersezt von Fr. Carl. Alter. Wien* 1778, p. 250; *Pinelli, Prospetto di varie edizioni*, etc. Venet. 1780, p. 209; *Jagemanns Geschichte der freyen Künste und Wissenschaften in Italien. Leipzig*, 1777, t. I, p. 343; *Hieron. Tiraboschi, Storia della Letteratura Italiana. Modena*, 1772, t. I, pag. 313; Baueri Biblioth. libror. rar. univers. t. II, pag. 298.

1520. *Venet.* fol. Memorat hanc Maittairius in Ann. typogr. t. II, p. 598; eamque excusam esse dicit per Melchiorem *Sessam* et Petrum de *Ravanis* socios, die III Maii. Sed neque Hearnius, neque Clericus, hanc memorat.

1521. *Aldina* II, Venetiis, fol. apud Aldum. Recensent hanc editionem Hearnius et Clericus, Gesneri Catalogus librorum qui in officina Aldi Manutii Venetiis excusi sunt; t. III Annal. typogr. inseruit Maittairius, in quo p. 245 memorantur Livii omnia, accurate denuo impressa, in folio (1521). Occurrit etiam in Catal. Henr. Hadr. *van der Marck*, p. 21, inter editiones Aldinas fol. ubi tamen et alia an. 1520 edita memoratur, parum curate. Nos inde et ex Indice librorum ex typograph. Aldina editorum, quos possidebat Chr. Gottl. Schwarz, Prof. Altorf. an. 1725 (etiam inserto Frid. Jac. Beyschlagii Syllogæ variorum opusculorum, t. I, fasc. III, n. X, pag. 663), titulum ed. hujus pleniorem damus: « T. Livii Decas prima, tertia, quarta, cujus tertio libro prima pars, quæ desiderabatur, et decimo, quicquid fere

in calce non habebamus, additum est, verum præter hæc veluti fragmenta quartæ Decadi adjuncta. Duplex epitome, quarum altera per singulos XIIII decadum libros summatim explicantur, quæ in illis continebantur; altera est L. Flori qui omnem historiam ex T. Livio excerpsit. Polybii L. V de rebus Romanis in Latinum traducti a Nicolao Peroto, quos in locum secundæ Decadæ substituimus, quia multa in illis leguntur, quæ secunda Decade continebantur. Index copiosissimus rerum magis memorabilium. Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ Soceri. MDXXI ». Præfatio hujus editionis habet plura ad typographicam illorum temporum rationem pertinentia, ut propterea lectu digna sit, inprimis querelas de Juntis, qui et ipsi edidere Livium ex Aldina.

1522 et 1523. *Juntina*, Florent. in-8, *apud hæredes Philippi Juntæ*. Hanc editionem habuit et consuluit J. Fr. Gronovius, qui in Præfatione testatur, eam per Aldina vestigia incessisse, carmine etiam in laudem Asulani præposito. Eamdem recensuit etiam Maittairius in Annal. typogr. tom. V, part. II, pag. 22, qui docet, singulis tomis, Decadas I, III et IV, continentibus, ad calcem adjectam esse hanc formulam: « Florentiæ per hæredes Philippi Juntæ MDXXII, septimo Idus Augusti ». Postea vero repertos quintæ Decadis priores quinque libros, sive eorum fragmenta, itidem ex Juntarum officina prodiisse, hac subscriptione ad finem addita: « impress. Florentiæ in ædibus Bernardi Juntæ, anno XXXIII supra M. et D. duodecimo Kal. Maias ».

1525. *Colon.* fol. apud Joannem *Soterem*, cum Floro. Hujus edit. titulus testatur, Livii libros triginta, qui soli ex centum quadraginta supersunt, auctore Jacobo *Sobio*, castigatiores, quam antehac unquam visi sunt, prodire anno MDXXV, mense Septemb. Dedicatio Sobii subscriptas præfert *Kalendas Septembres an. Domini MDXXV*. Denique ad calcem hujus libri hæc verba adjecta exstant:

«Coloniæ apud Jo. Soterem, impensis honesti civis Petri Quentel anno MDXXV, mense Augusto». Sobium, Livii editorem, laudans Sturmius in Epist. dedicator. ante tom. II Orat. Ciceronis dicit, Coloniæ literas floruisse, quum in ea Sobius aliique docerent, Sobium vero tunc vim morbi abstulisse. Editionem hanc Livianam, quam curavit Sobius, ut cæteris castigatiorem, laudat Rhenanus ad Livii lib. XXVII, cap. 16, § 10, et ad cap. 17, § 11. Ejus conjecturam, quam in contextum recepit, quamvis præter MSStorum auctoritatem, nihilominus ut ingeniosam prædicat Gruterus ad Livii lib. I, cap. 23, § 6. Perperam Fabricius in Bibl. Lat. editionem hanc Basileensem vocavit, dicens «Livium anno MDXXV Basileæ ex Jacobi Sobii castigatione prodiisse».

1526. *Haganoæ*, in-4. T. Livii Patav. hist. Rom. Ex catal. Bibl. S. J. Mont. pag. 139.

1527. *Paris.* fol. ap. Pet. Vidovæum. Recenset hanc edit. Maittairius in Annal. typogr. tom. II, pag. 688, ac testatur, eam venundatam fuisse a Joanne Parvo bibliopola adscriptitio, impressam vero a Petro *Vidovæo* mense Aprili, MDXXVII.

1528. *Colon.* fol. ap. Euch. *Cervicornum.* Huic editioni locus, ubi prodiit, adscriptus non apparet, sed tantum excusa esse dicitur ab Euchar. Cervicorno. Eum vero chalcographiam et ante et post annum 1528 Coloniæ exercuisse, ibique varios libros Godefrido *Hittorpio*, civi et bibliopolæ Coloniensi, typis suis descripsisse constat. Maittairius nullam hujus edit. mentionem in Annal. typogr. facit, eam tamen memorarunt Fabricius in Bibl. Lat. et Hearnius ac Clericus in Indice editionum Livianarum. Eamdem tantum se vidisse, sed consulere non potuisse, Jac. Frid. Gronovius in Præfatione testatur. Præfat. h. edit. promittit textum castigatiorem, et est ille paululum diversus a superioribus,

quod e variis lectionibus is, qui curavit, delegit eas, quæ meliores videbantur. Sed non est id magnum.

1529. *Paris.* f. ap. Nicolaum *Savetier.* Recensuit hanc edit. Maittairius in Annal. typogr. tom. II, pag. 721, et auctor est, ei hanc notam additam esse : « Veneunt in ædibus Ambrosii Girault, in vico divi Jacobi, sub insigni regis David; imprimebat Nicolaus Savetier mense Aprili 1529 ». Contra exemplaris, quod Drakenborchii oculis subjectum fuit, initium hæc adscripta habuit : « Væneunt in Clauso Brunelli apud Nicolaum Crespin, sub signo Divæ Catharinæ »; finis vero : « Imprimebat Nicolaus Savetier mense Aprili 1529 ». Hinc colligitur, vel Nicolaum Savetier Livium, suis impensis excusum, distrahendum dedisse duobus bibliopolis, Ambrosio Girault et Nicolao Crespin; vel ambos illos, inita societate, Livium opera Savetierii imprimi curasse, et quemque eorum recepta exemplaria suis nominibus notasse. Editionem hanc *Levescatium* curasse, J. Fr. Gronovius in præfat. Fabricius in Bibl. Lat. et Hearnius ac Clericus in indice editt. Liv. testantur. Certe ejus Dedicatio ad Jo. de Tartas J. U. consultissimum in capite hujus edit. exstat. Vix tamen aliquid de suo contulit, sed ubique ferme editionem Ascensianam a. 1513 vel a. 1516 sequutus est, et lectiones illis solis proprias adoptavit.

1530. *Paris.* fol. ap. Bad. Ascensium. In titulo libri hæc nota conspicitur : *Vænundantur ipsi Ascensio.* 1530. Dedicationis subscriptio his verbis concipitur : « E Chalcographia nostra apud Parrhisios rursum ad sextum Kalendas Novemb. MDXXX ». Ad finem autem libri XL hæc formula additur : « Sub prelo Ascensiano ad VI Kal. Nov. 1530 ». Quum autem anno sequenti MDXXXI, Simon Grynæus quinque postremos Livii libros, a se in MSto vetusto repertos, opera Frobenii primum Basileæ edidisset, mox eodem adhuc anno Ascensius non modo recens inventos ac publicatos Livii

libros typis suis Parisiis descripsit, hoc temporis charactere post libri XLV finem addito: « Sub prelo Ascensiano anno MDXXXI, mense Julio »: verum etiam Chronologiam Glareani, quæ in eadem editione Basileensi primum lucem adspexit, in ordinem literarum digessit, ac libro XLV subjecit, addita hac subscriptione: « Sub prælo Ascensiano ad Idus Julias anno MDXXXI ». Insuper hæc editio eadem omnia complectitur, quæ editiones priores Ascensianas annorum 1513 et 1516 continere antea suo loco diximus; nec quidquam novi boni habet.

ÆTAS III primo *BASILIENSIS* tum *ALDINA* et *FRANCOFURTENSIS*.

1531-1588.

Quæ ab an. 1531, nova Livio supplementa ex Cod. Laurishamensi attulit præfante Des. *Erasmo* Roterodamo, administrante Sim. *Grynæo*, unde edd. Basilienses Frobenianæ, Episcopianæ et Hervagianæ auctiores, ac simul, primo B. *Rhenani*, Sigism. *Gelenii*, Henr. *Glareani*, curis instructæ; dein etiam opera *Cœlii Secundi Curionis*, qui textum denuo cum melioribus exemplaribus contulit, ab an. 1549 emendatiores, additisque porro variorum notis, ampliores. Profecere hinc etiam Venetæ, Parisinæ, Lugdunenses, maxime Gryphianæ, etiam *Glareani*, Theod. *Morelli* et Jo. *Velcurionis*, Jo. *Saxonii*, etc. vel emendd. vel notis adauctæ, unde rursus Basilienses evasere locupletiores. Sed hos mox superavit Carolus *Sigonius*, felicitate et emendandi et illustrandi Livii, quam Aldinæ ab an. 1555 tres suam fecere. Basiliensium (Grynæi et Curionis) et Lugdunensium Glareani, et Aldinarum cum Sigonii scholiis bona conjunxere tandem Francofurtenses Feyerabendinæ 1568 et 1578, ad quas ornandas etiam noviter contulere Joach. *Grellius* Chronologiam T. Li-

vii post Glareani et Sigonii curas congestam, et Wilh. *Godelevæus* suas in Livium observationes docte conscriptas. Tacemus Jac. *Gohorrium*, qui Parisinæ 1573, cum notis varr. suas præmisit.

1531. *Basil.* I, fol. in sex partes divisa. In fronte legitur: « En magnis impendiis, summisque laboribus damus, amice lector, *T. Livii* Patavini Latinæ historiæ principis quidquid hactenus fuit æditum, (sic) sed aliquanto quam antea, tum *magnificentius*, tum *emaculatius*. Accesserunt autem Quintæ Decadis Libri quinque, *nunquam antehac æditi*, (sic) quos adjecimus ex vetustissimo codice, cujus copiam nobis fecit celebre Monasterium Lorsense. Addita est Chronologia Henrici *Glareani*, temporum supputationem, et personarum nomina, in quibus antehac ingens erat confusio, dilucide commonstrans. Adjunctus est et index copiosissimus. Fruere lector, favens illorum industriæ, qui nec sumptu nec labore deterrentur a provehenda re literaria. Basileæ in officina Frobeniana mense Martio anno CIↃIↃXXXI. Cautum est privilegio Cæsareæ Majestatis, ne quis intra sex annos has T. Livii decadas, aut partem earum, intra Ro. imperii fines excudat, aut alibi excusas importet ». Hunc titulum excipit: « *Des.* Erasmi *Roterodami ad Carolum Montiojum epistola nuncupatoria* (variis postea editionibus adjecta). Sequuntur: 1° *L. Flori Epitome Historiarum T. Livii Patav.* (Libb. I-X). 2° *T. Livii Patav. Historiarum ab U. C. Decadis primæ Libb. I-X*, pagg. 244. Pars II. *T. Livii Patav. Decas tertia.* Hunc titulum excipiunt: 1° *T. Livii Patav. Historiarum ab urbe condita Decadis tertiæ Libri primi Epitome* (Libb. I-X). 2° *T. Livii Patav. Hist. ab U. C. Decadis tertiæ* (Libb. I-X), pagg. 243. Pars III. *Titi Livii Patav. Decas quarta.* Titulum sequuntur: 1° *T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis quartæ Libri primi Epitome* (Libb. I-X). 2° *T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis quartæ* (Libb. I-X), pagg. 210. Pars IV. *T. Livii Patav. Historiarum ab U. C. Decadis quintæ Libri*

quinque, nunc primum excusi. In officina Frobeniana, anno CIↃIↃXXXI. *Cum gratia et privilegio Cæsareo ad annos sex.* Sequuntur: 1° *T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Libri quadragesimi primi Epitome* (Libb. XLI-XLV). 2° *T. Livii Patav. Histt. ab U. C. Decadis quintæ liber primus acephalus* (Libb. I-V), pagg. 91. In fine: *Basileæ, in officina Frobeniana per Hieron. Frobenium, Jo. Hervagium, et Nic. Episcopium,* CIↃIↃXXXI. Pars V. *T. Livii Patav. Decadum XIV Epitomæ* ». Inde sequitur textus epitomatum, foliis XX, sine paginarum numeris. Pars VI. « Chronologia s. temporum supputatio in omneis T. Livii Decadas, multa diligentius expendens, quæ superiores fugerant, per *Henr. Glareanum* Helvetium, poetam laureatum, publicum in celebri Friburgensium Academia honestissimarum disciplinarum professorem. Basileæ ex offic. Frobeniana CIↃIↃXXXI, mense Martio ». Cui præmittitur « Epistola nuncupatoria auctoris ad Rev. et Illustr. Balthasarem Episcopum Constantiensem, etc. *data* Friburgi Brisgoiæ CIↃIↃXXXI ». Volumen claudit: *Index trium cum dimidia Decadum T. Livii,* foliis 16, in quorum ultimo comparent insignia typographiæ Frobenianæ. Folio 15 legitur Allocutio ad Lectorem: « Si forte cupis nosse, quantum quoque loco desit in his quinque recens repertis libris, scito archetypum universum quaternionibus triginta quatuor constare, quorum singuli folia octo habuerunt. Unius folii modum intelliges ex primi Libri duobus deinceps fragmentis, quorum alterius DEDUXIT initium est, alterius MORE: nam ea singulis foliis continentur. Ex eo quaternionum numero primus periit. Proximi duo exstant integri. Ex quarto et quinto supra memorata fragmenta dumtaxat supersunt. Sextus et alii deinceps usque quintum decimum exstant integri. Decimus quintus et tres proxime sequentes interciderunt. Sex ordine proximi habentur integri. Ex vigesimo quinto quaternione perierunt duo extrema, item duo media folia; ex sequenti quatuor media; ex vigesimo septimo duo media; ex sequenti unicum, quo quartus liber clausus fuerat;

atque tot foliis liber is diminutus est. Reliqui sex quintum librum continentes integri sunt, præter trigesimum duobus extremis foliis, et ultimum primo dumtaxat, mutilos. Nam omnium postremum vacaverat ». De hoc codice Laurishaimensi, qui nunc est in Bibl. Aug. Vindobonensi, vid. Lambecius in Comm. de illa Bibl. L. II, p. 493 sqq. qui ostendit, multa adhuc ex eo corrigi posse. Cæterum de edit. hac classica videsis Præf. edit. Gronov. t. I, Amst. 1679. Indicem edd. Drakenborchii, repetitum in ed. Ernestii 1769, tom. III; Fabricii Bibl. Lat. tom. I, pag. 283; Harlesii Introd. in notit. Lit. Rom. II, pag. 421.

1532. *Venet.* fol. ap. Lucam Antonium Juntam. Hanc edit. recensuit Maittairius in Annal. typogr. tom. II, p. 771, et hoc modo descripsit: « T. Livius; accesserunt Decadis V libri quinque, nunquam antehac editi, cum Chronologia Henrici Glareani, in ædibus Lucæ Antonii Juntæ Florentini MDXXXII »; in initio additur, « mense Februario »; in fine « die decima Januarii ».

1532. *Paris.* in-8, ap. Sim. Colinæum prodierunt conciones Livii cum not. Joach. *Perionii* Benedictini Cormœriaceni. Hanc edit. memorarunt Crenius Animadv. philol. et hist. P. VIII, pag. 32, Hulsii aliorumque Catalogi. Vid. etiam Maittairii Annal. typograph. tom. V, part. II, pag. 23.

1532. Juntina (vid. an. 1522) aucta est volumine, quo repertos Decadis V libros V priores s. eorum fragmenta contineri supra jam annotavimus.

1533. Aldinæ volumen V additum, ne quid deesset isti editioni, in-8. Exhibet vero illud Decadis V libros recens editos a Sim. Grynæo in ed. Basil. Froben. cf. supra ad an. 1518-1521.

1535. *Basil.* II, fol. « T. Livii Patavini Latinæ Historiæ

Principis Decades tres cum dimidia, longe tamen quam nuper emaculatiores, quod nunc demum ad vetera contulerimus exemplaria, ubi quantum sit deprehensum mendorum, facile indicabunt doctissimæ in hunc auctorem Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii adjunctæ annotationes. Addita est Chronologia Henrici Glareani, ab ipso recognita et aucta, cum Indice copioso. Basileæ in officina *Frobeniana* anno MDXXXV». In fine : «Basileæ in officina Frobeniana per Hieronymum *Frobenium* et Nicolaum Episcopium mense Decembri an. MDXXXIV». Continet autem hæc edit. ferme eadem, quæ Frobeniana a. 1531, nisi quod in hac jam primum appareant B. *Rhenani* et Sigism. *Gelenii* in Livium notæ; et quod *Glareani* Chronologia, ab ipso recognita, auctior prodeat, a Troja capta usque ad Justinianum Cæsarem. Testatur insuper titulus h. l. historiam Livianam longe, quam nuper, emaculatiorem prodire, quod nunc demum ad vetera exemplaria collata sit.

.... s. l. et a. voll. III, in-8, Livius. Decas III, IV, V; it. Epitomæ historiarum Livii. Acc. Chronologia in omnem Romanam historiam per Henr. *Glareanum* et Gregor. *Haloandrum;* vid. Cat. libr. in Bibl. Gœtt. in duplo exstantium.

1537. Lugd. voll. IV, in-8, part. VII. «T. Liv. Patav. Latinæ historiæ principis Decas prima cum Epit. L. Flori antrorsum appositis : accuravimus Doct. quorumcumque virorum annotationes : subinde indicem adnectere placuit. Pari commoditate reliquas, quæ manifesto exstare creduntur, in omnium gratiam seorsim excusimus : id ante nos nemo unquam. Fruere feliciter. Lugduni apud Hæredes Simonis *Vincentii* MDXXXVII». In fine : «Excudebant Lugduni Melchior et Gaspar *Trechsel* fratres 1536. Titi Livii Patavini Decas Tertia. Cum indice rerum magis insignium ad finem posito», ibid. eod. «T. Livii Patav. Decas Quarta cum Indice, etc.» ibid. eod. In fine : «Excudebant Lugduni Melchior et Gaspar Trechsel

fratres 1537. Titi Livii Patavini Decadis quintæ libri quinque. Index præterea appositus », ibid. eod. In fine, ut supra: « Titi Livii Patavini Decadum XIV Epitome », ibid. eod. In fine, ut supra: « Chronologia sive temporum supputatio in omnem Romanam Historiam a Troja capta ad millesimum ducentesimum octogesimum tertium ab Urbe condita annum, qua auctor ipse Livius, simulque Romana historia multum accepit lucis, per Henricum Glareanum P. L. » ibid. eod. In fine, ut supra: « Annotationes Beati Rhenani, et Sigismundi Gelenii, Doctiss. virorum, in exstantes Titi Livii libros », ibid. eod. Editio hæc satis nitida literis Italicis ad modum Seb. Gryphii excusa est. Annotationibus præmittitur Epistola *Erasmi Roterod.* ad Carolum Montiojum, data ap. Friburgum Brisg. Kalend. Martiis anno MDXXXI (ex edit. Basil. Frobeniana ejusdem anni). Alii ex una hac ed. male fecere duas, alteram Trechseliorum, alteram Sim. Vincentii.

1537. *Francofurti*, in-8. Hæc edit. memoratur in bibliothecæ Crenianæ Catalogo, pag. 68, forsan convenit cum seq.

1537. Livii orationes omnes e Libris de II bello Punico artificio dialectico et rhetorico illustravit Reinhardus *Lorichius Hadamarius*, etc. Francof. in-8. Cf. Crenium animadv. philol. et hist. P. VIII, p. 32.

1537. *Basil.* III, in-8, cum *Rhenani* et *Gelenii* notis et *Glareani* Chronologia. In hac, notante Fabricio, decimo libro subnotata hæc leguntur verba, quæ et alii viri docti in inscriptis Livii codicibus deprehenderunt: « Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symachis ».

1538. *Paris.* in-4, ap. Vascosanum. In una bibl. Hulsiana tom. II. num. 5535, hæc edit. memorata invenitur, et ex

typographia Vascosani prodiisse et tres decades continere dicitur.

1539. *Basil.* IV, fol. ex officina Hervagiana. Editio hæc eadem continet, quæ Basileensis Frobeniana a. 1535. Vid. Catal. Bibl. Bun. Tom. I, vol. I, p. 296.

1540. Henr. *Loriti Glareani*, annotationes in Livii historiam Rom. cum chronologia in Rom. historiam *Vallæ;* acc. *Badii* elenchus et judicium de quibusdam locis apud Livium. Basil. fol.

1540. *Lugdunensis*, *Glareani.* Memoratur hæc edit. in Indice editionum Livianarum Hearnii et Clerici.

1541. *Venet.* fol. ap. hæredes Lucæ Antonii Juntæ. Repet. edit. a. 1532.

1541. *Paris.* in-8, ap. Sim. Colinæum. Editio nitidissima.

1542. *Lugd. Glareani* II, s. Gryphiana, IV voll. in-8, ap. Seb. Gryphium. Tres priores tomi continent superstites Livii libros : quartus *Glareani* notas, præmissa ejus ad Carolum V Imperatorem Præfatione, data *Friburgi Brisgoiæ, anno a Jesu Christi natali MDXL Kalend. Majis;* tum Laurentii Vallæ de Tarquiniis adversum Livium disputationes, ejusque emendationes ad sex libros priores Livii de bello Punico secundo; deinde Glareani Chronologiam per Jodocum Badium Ascensium in seriem literarum redactam; et ultimo loco ipsam Glareani Chronologiam auctam, cum Præfatione ad Ferdinandum Cæsarem, data *Friburgii Brisgoiæ, anno a Christo nato MDXL, Kalend. Septembribus.* Gesnerus in Pandectis lib. de Historiis duodecimo apud Maittairium in Annal. typogr. tom. II, pag. 572 refert, hac editione contineri Annotationes Beati Rhenani, Sigismundi Gelenii, Henrici Glareani. Editio exstat in Bibl. Trajectina : verum Rhenani et Gelenii Annotationes non adsunt.

1543. *Paris.* fol. ap. Mich. Vascosanum. Appositus quidem titulus testatur, Livium hunc prodiisse *Parisiis apud Audoenum Parvum sub Lilio aureo ad Divum Jacobum MDXLIII;* verum privilegium, ut Livius hoc modo imprimeretur, Senatus Parisiensis anno 1542 nono Kalend. Novemb. concessit *Michaeli Vascosano et Audoeno Parvo.* Titulus etiam, qui annotationibus adjunctis præmittitur, desinit hac formula : *Parisiis imprimebat Michael Vascosanus sibi et Odoino Parvo.* Unde colligo, editionem hanc excusam esse typis Vascosani, venditam autem fuisse partim ab eo, partim ab Odoino Parvo. Hæc autem editio non modo continet omnia, quæ præcedens Lugdunensis Gryphiana anni 1542; verum etiam Sabellici pauculas annotationes.

1543. *Basil.* V, fol. «Titi Livii Pat. Latinæ historiæ principis Decades tres cum dimidia, longe tamen quam nuper emaculatiores, quod nunc demum ad vetera contulerimus exemplaria, ubi quantum sit deprehensum mendorum, facile indicabunt doctissimæ in hunc auctorem Beati *Rhenani* et Sigismundi *Gelenii* adjunctæ annotationes. Addita est Chronologia Henrici *Glareani,* ab ipso recognita et aucta : cum gemino Indice, quorum alter, qui est Orationum hujus auctoris, jam primum accessit. Basileæ per Joan. *Hervagium.* Anno MDXLIII ». Ergo est repetitio ed. 1535. Præmittuntur Sig. Gelenii, Erasmi Roter. an. 1531, epistolæ dedicatoriæ, B. Rhenani et Sig. Gelenii annotationes, p. 1-65. Dein quum Flori epitome hist. Livii, tum Livii Decades I, III, IV. Alterum quasi tomum constituunt singulari hoc titulo : T. Livii Patavini historiarum ab U. C. Decadis V. *Libri V. Basileæ per Jo. Hervagium.* Claudit tomum : Chronologia ab Troja capta ad 1282 ab U. C. per Henr. Glareanum Basil. MDXLIII (alteram hujus Chronol. partem ab anno 773 Tib. Aug. IV, ad an. 1287, Justiniani IV, s. annum Chr. 537, ex Greg. *Haloandro* mutuatus erat). Index rerum et verborum est per Nic. *Episcopium* congestus. Servatur

hæc editio in Biblioth. Gymn. Bip. unde eam curatius descripsimus.

1544. *Argent.* in-8, prodierunt Jo. *Velcurionis* Notæ in Livii lib. I et II, quæ postea sæpius aliis editionibus insertæ sunt. Memoravit hanc editionem Fabricius in Bibl. Lat.

1545. *Lovanii.* in-8, lucem vidisse Notas Petri *Nannii* in Livii libr. III testatur Fabricius in Bibl. Lat.

1548. *Lugd.* IV voll. in-12, ap. Seb. Gryphium. Edit. Lugdunensem Gryphianam hujus ejusdem anni, sed in-8, memorant Hearnius et Clericus in Indice Editt. Livian.

1549. *Basil.* VI, fol. ap. Jo. Hervagium. Titulo hujus editionis illa adscripta est formula : *Basileæ per Joannem Hervagium, anno MDXLIX mense Martio*, quæ eadem ferme in fine libri occurrit. Recensuit hanc edit. *Cælius Secundus Curio*, qui in præfatione, data *Basileæ Kal. Jan. MDXLIX* affirmat, se Livium contulisse cum veteribus et novis aliquot melioribus exemplaribus, atque Livii ad ducenta loca emendasse et pristino restituisse nitori. Adjectæ sunt Rhenani ac Gelenii annotationes, et Glareani Chronologia. Perperam Hearnius et Clericus in Indice Editt. Livian. referunt, editionem hanc recensuisse Hervagium, qui eam tantum typis suis descripsit. Quod vero Drakenb. ad annum 1554, quo Frobeniano Curion. editio repetita est cum notis, ut in Fabricii Bibl. Lat. I, p. 284 traditur, L. Vallæ, Sabellici et *Curionis*, negat, Curionem ullas unquam *castigationes*, aut *notas in Livium* conscripsisse, in eo errasse videtur. Saltem in *Athenis Rauricis* pag. 292 dicitur Curio edidisse *in Livium notas et præfationem de mensuris, ponderibus reque nummaria Romanorum et Græcorum.* Basil. 1546, fol. Omittitur tamen ibi in catalogo scriptorum Curionis editio Livii.

1549. J. *Perionii* in omnes Livii conciones notæ. Basil. in-8, rep. ed. Colinæi Paris. 1532.

1552. *Paris.* fol. ap. Mich. Vascosanum. Maittairius in Annal. typogr. tom. III, p. 613 refert, Mich. Vascosanum hanc editionem dedicasse Jacobo Varadeo, in supremo Parisiensi Senatu regio consiliario, epistola data X Kal. Jun. MDLII. Prodiisse autem cum annotationibus diversorum, et in Glareani annotationum fronte legi, typis descriptam esse apud Mich. Vascosanum et Andoenum Parvum. Vascosanum tantum priorem edit. a. 1543 repetiisse, suspicatur Drakenb. et Ernest. affirmat in Fabricii Bibl. Lat. Hanckius jam antea in libro de Scriptt. rerum Rom. P. I, c. IX, p. 59, n. 6, Livium cum Vallæ emendd. Sabellici, Rhenani et Gelenii annott. Parisiis an. 1552 prodiisse retulit.

1553. *Lugdun.* fol. cum *Vallæ* emendd. *Sabellici*, *Velcurionis*, *Rhenani*, *Gelenii*, *Glareani* annotat. Theod. *Morelli* emendd. *Saxonii* scholiis. *Lugduni apud Antonium Vincentium MDLIII.* In ejus fine: *Lugduni, excudebat Johannes Frellonius MDLIII.*

1554. *Lugd.* voll. IV, in-8, ap. Seb. *Gryphium.* Hanc edit. memorat etiam Maittair. tom. V Annal. typogr. part. II, pag. 22, ex quo, ut et ex bibl. Henr. Hadr. *van der Mark*, Toparchæ in Leur, part. II, p. 59 constat, anno sequenti ibidem ex eadem officina, quasi hujus editionis appendicem, novum tomum prodiisse, continentem Rhenani, Gelenii, et Glareani in Livium annotationes. Sed Fabricius in Bibl. Lat. Gryphium eo anno in-8 excudisse refert notas Rhenani, Gelenii, Sabellici, Jo. Velcurionis et Jo. Saxonii, cum Chronologia Glareani.

1554. *Lugd.* voll. III, in-12, ap. Seb. *Gryphium.* Hæc editio recensetur etiam in modo laudata bibl. Marckiana, et ap. Fabric. in Bibl. Lat.

1554. *Basil.* VII, voll. IV, in-8, ap. Nic. *Episcopium* juniorem.

Idem Episcopius anno MDLVI, huic editioni, tamquam appendicem, adjecit tomum V, qui continet Scholia et Chronologiam *Sigonii.*

1554. *Basil.* VIII, voll. II, in-8, ap. Jo. *Hervagium*, cum notis et castigationibus *Vallæ*, *Sabellici* et *Cælii Secundi Curionis.* Vid. edit. a. 1549, et Maittairium in Annal. typogr. tom. V, part. II, pag. 22.

1555. *Basil.* IX, fol. per Joannes *Hervagios.* Hæc editio continet omnia, quæ viri docti ad Livii emendationem vel illustrationem hoc tempore in lucem emiserant; ita tamen, ut Vallæ, Sabellici, Rhenani, Gelenii et Theodorici *Morelli* in Livium Castigationes in ipsis annotationibus Glareani suis locis insertæ sint, atque editor, se illas, quas futiles et nullius momenti judicarat, inde rejecisse testatus fuerit, ne inutili labore lectorem gravaretur.

1555. *Aldina*, *Sigonii* I, fol. ap. *Paullum Manutium*, Aldi filium. Hæc editio prima exhibet egregia Caroli *Sigonii* scholia, quibus Livii historiæ et earum epitomæ partim emendantur, partim explanantur: ut et ejusdem Sigonii in eosdem libros Chronologiam, ipsorummet auctorum verbis confirmatam. Erravit itaque Hearnius, qui scholiis Sigonii Chronologiam Glareani junctam in hac et aliis Sigonii editionibus credidit, quem ejus errorem improvide adoptavit Jo. Clericus.

1556. *Sigonii* scholia in Livium prodiere Basileæ per Nic. Episcopium, in-8, tamquam V tomus s. appendix Basiliensis an. 1554 ap. eumdem, in-8.

1562. *Paris.* fol. ap. Mich. Vascosanum. Repetit. edit. a. 1543.

1566. *Aldina*, *Sigonii* II auctior, Venet. ap. Paul. Manu-

tium, Aldi filium, fol. In hac editione repetita sunt Sigonii scholia in Livium, ejusdemque, non vero, ut Hearnius et Clericus affirmant, Glareani Chronologia Liviana. In scholiis autem Sigonius multa mutavit, meliora sive sponte, sive a Faerno, Robortello, aliisque edoctus.

1568. *Francofurt.* I Feyerabendina s. *Godolevæi,* fol. « Titi Livii Pat. Rom. hist. principis Libri quotquot ad nostram ætatem pervenerunt : una cum doctissimorum Virorum in eos lucubrationibus, post omnes aliorum edd. summa fide ac diligentia et veterum et recentiorum collatione recogniti et artificiosis picturis, præcipuas historias apte repræsentantibus, exornati, inque duos tomos distributi; quibus quæ contineantur, post præfationem patebit. Francofurti ad Mænum MDLXVIII, cum gratia et privilegio Cæsaris ». In præfatione tomi I, Alberto Duci Bavariæ inscripta, Georgius Corvinus et Sigism. Feyerabend consilium historiæ Livianæ a se editæ sic exponunt : « Toties vero ea prelis Variorum excusa, ut exteri Veneti et Galli, cum nostris hominibus in hac edenda certasse videantur, nobis diligens accurataque circumspectio adhibenda fuit, ut eas rationes sequeremur, quibus nostra editio, si non ceteris melior ornatiorque, aliis tamen et bonitate et ornatu par esset. Ideoque omnium quotquot habere potuimus editionum exemplaribus collectis, lectionem quæ omnium emendatissima, ac Livianæ ubertati convenientissima videretur, imitati sumus, nihil in eo facientes, cujus ex diligenti exemplarium inter se collatione probabilis ratio lectori facillime apparere non queat. Deinde quum quam plurima apud hunc Authorem loca essent, quæ erudita enodatione ac diligenti illustratione indigerent, non solum ei, quæ antea doctorum virorum in eum vel Observationes vel Annotationes exierant, adjunximus : sed et cum variis in locis ab iis, quasique aliud agentibus, quam plurima ad sententiam Livii recte assequendam perquam utilia annotata, vel in adversaria relata perspiceremus, ea collecta

atque in unum veluti corpus redacta, tamquam novam accessionem ei adjecimus. Præcipuas historias eximiis picturis effingi, rerumque, quæ a Livio lacteo eloquentiæ fonte illustrantur, expressas imagines, vivamque effigiem eorum oculis subjici curavimus ». Præfationi subjunctus est Catalog. librorum, annotationum, emendationum, observationum, scholiorum aliorumque opusculorum, quæ in duobus hisce Livianis tomis continentur: Priore tomo *Epist.* Erasmi *ad Car. Montiojum;* Sim. Grynæi, *de utilitate legendæ historiæ, præfatio;* Barthol. Marliani, *de Origine Urbis Romæ, caput;* Messalæ Corvini *libellus ad Octav. Aug. in quo Rom. historia ab exordio quam brevissime describitur;* Sexti Ruffi, *de hist. Romanorum brevis libellus;* Tabula *concionum atque orationum omnium T. Livii velut generis divisionem in species complectens, etc.* (*agnationes familiarum ex Comm.* Eliæ Veneti Santonis *in Eutropium scriptis, Scipionis Afr. II, Porcii Catonis, Octav. Cæs. German. Cæs.*); Cœlii Secundi *Curionis libellus de Mensuris, ponderibus reque nummaria Græcorum et Rom.* L. Flori *Epit. in singulos T. Livii libros; T. Livii libri omnes (c. figg.); Historiarum accuratissimus* Index; *Chronologia nova in T. Livii hist. accommodata ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci (a Joach.* Grellio, *qui præfatus est Kal. Nov.* 1568); Franc. Robortelli, *de convenientia supputationis Livianæ ann. cum marmoribus Rom. quæ in Capitolio supersunt.* Tomo posteriore (*cui et singularis titulus præfixus est cum nominibus auctorum*); Pomponii Læti, *de Antiqq. U. Rom. libellus;* Jo. Barthol. Marliani, *Antiquæ Romæ Topographia epit.* Pub. Victoris, *de U. Romæ regionibus et locis;* H. Loriti Glareani *Annott.* Car. Sigonii *scholia, quibus T. L. historiæ earumque epitomæ partim emendantur, partim etiam explanantur cum* Glareani *responsionibus;* ejusd. *Chronologia;* Laur. Vallæ *Judicium de quibusdam Livii locis, etc.* ejusd. *Emendationes in VI libros de bello Punico II;* M. Ant. Sabellici, B. Rhenani, Sig. Gelenii *doctissimæ annott.* Jo. Velcurionis *Introd. in universam Rom. hist.* Jo. Saxonii *Commentarioli*

duo ad L. XXI et XXII; Wilh. Godelevæi *in omnes libros Obss. doctissimæ ex variis auctorum scriptis collectæ*. Hæ vero quum in singulari suo titulo dicantur *nunc primum in lucem editæ*, et ipsa Godelevæi ep. Eusebio Episcopio, typographo Basil. inscripta sit *Midenæ d. XV Jan.* 1568, nihilque a Franc. *Modio*, qui anno demum 1586 advenit, in hanc ed. collatum, eam male inter edd. Modianæ recensionis vulgo referri, potiusque *Godelevæi* ob recens adjunctas obss. dici posse patet. Quin ipse scribit ad Episcopium, se hanc suam opellam ipsi, quippe cui Livii impressio ex Hervagiana hereditate delatam esse compererit, primo transmittere in animo habuisse. « Ceterum, *pergit*, quum Francofurtenses Typographos, viros optimos, studio rei literariæ juvandæ te in ea antevertisse cognovissem, quidquid hujus opellæ fuit, ipsis tradidi ». Unde simul colligimus, Godelevæi Obss. mendose ab aliis ad priores annos referri, ut in Indice Drakenborchiano ad an. 1551. Cæterum quis textum rexerit, aut id temporis a Sigism. Feyerabendio adhibitus sit corrector operarum typogr. nobis haud repertum; nisi is fuerit Joach. *Grellius*, Chronologiæ Livianæ auctor. Franc. certe Modium an. demum 1586 adhibere cœpit Sig. Feyerabendius, teste Melch. Adamio in Vita Modii inter Vitas Philos. edit. III, pag. 198. Servatur autem hæc edit. in Bibl. principali Bipontina.

1572. *Aldina* III, *Sigonii* iterum auctior. Venetiis in ædibus Manutianis, fol. cum *Sigonii* scholiis ab auctore multis in partibus auctis, et Chronolog. Liviana. Continet etiam *Defensiones scholiorum Sigonii contra Robortellum et alios.*

1573. *Paris.* fol. II partes. « Titi Livii Patavini historiæ Romanæ ab urbe condita libri XLV, quotquot ad nostram ætatem pervenerunt, cum commentariis omnium interpretum ad explicationem locorum difficilium, e regione insertis. His

adjecimus, ultra brevem Livii L. etiam Flori epitomen : Sigonii chronologiam, Pomponii Læti de antiquitatibus Romanorum, et pleraque alia ad Romanam historiam pertinentia, quæ pagina VI docebit. Lutetiæ Parisiorum, apud Michaelem Sonnium via Jacobæa, sub scuto Basiliensi MDLXXIII, cum privilegio Regis ». In fine : « Lutetiæ, cudebat, typisque mandabat Joannes *Charron*, Typographus, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, quarto Idus Junii MDLXXIII ». Verso titulo, p. 3, legitur *Jacobi Gohorii ad Reverendum Carnutum antistitem D. Nicolaum Thuanum* epistola dedicatoria data *Lutet. Paris. MDLXXIII Idibus Junii. Itaque* (ait Gohorius) *T. Livius*, meis animadversionibus paucis licet instructus, primum prodit in lucem, *qui si quando iterum dabitur, multo prodibit instructior.* (Hæc Gohorii verba probant, Ernestium in Bibl. Lat. aliam Parisinam edit. 1572 per Jac. Gohorium cum multorum notis memorantem errasse.) Dedicationem excipit *Joannis Charronnii, Typographi, de hujus operis statu et ordine ad lectorem.* Subjicitur, ut in titulo promissum est, enumeratio contentorum hujus edit. scil. *Des. Erasmi* epistola; *Sim. Grynæus,* de utilitate legend. histor. *Barth. Marlianus,* de orig. urbis Romæ; *Messalæ Corvini* lib. in quo omnis Romana historia, etc. complectitur; *Sexti Ruffi* de hist. Romanor. lib. *M. Ant. Sabellici* de laudibus historiæ oratio; *Phil. Beroaldi* oratio continens historiæ laudationem in T. Livium; *Stephani Nigri* præfatio in T. Livium; de historia T. Livii, quod in libros, non in Decades, ab auctore divisa sit, etc. *Laurent. Vallæ* disputatio de Tarquiniis adversus Livium; *Elias Vinetus,* de agnationibus familiarum; *Henrici Glareani* brev. Compend. hist. Romanæ; *Jo. Velcurionis* in T. Livii historiam argumentum; *Car. Sigonii* in sua scholia præfatio; *L. Flori* rerum Romanarum libri IV; *Jac. Gohorii* in III libb. Titi Livii animadversiones; *Titi Livii Patavini* historiæ ab urbe condita libb. qui exstant XXXV, cum annotationibus doctor. virorum insertis e re-

gione ipsius historiæ foliatim: videlicet *Henr. Glareani Loriti* in omnes libros; *Car. Sigonii*, quibus Liv. historiæ et earum epitomæ partim emendantur, partim etiam explanantur; *Laur. Vallæ* in VI primos libb. de bello Punico; *Jo. Velcurionis* in duos primos libros ab urbe condita; *Beati Rhenani et Sigismundi Gelenii* in omnes libb. Tit. Liv. *Jo. Saxonii Hattestedii* in lib. XXI et XXII; *Wilhelmi Godelevæi* in omnes libros T. Livii observationes ex variis auctorum scriptis collectæ. Accedunt ad calcem operis absolutæ cognitionis historiæ Romanæ gratia, ne quid, quod ad rem faceret, prætermitteretur: *M. Ant. Sabellici* annotatt. in Liv. *Chronologia* in T. Livii histor. accommodata ad tabulas Capitolinas *Verrii Flacci*, annott. utiliss. varietatem seu dissensionem auctorum circa consulum Romanorum nomina demonstrantibus illustrata; *Car. Sigonii* Chronolog. in Tit. Liv. historias ab urbe condita; *ejusd.* in Chronologiam Scholia; *Pomponii Læti* de antiquitatt. urb. Romæ libellus; *Jo. Barth. Marliani* de antiquæ Romæ topographia epitome in sept. libb. *Pub. Victoris* de urbis Romæ regionibus et locis lib. *Romanæ* liquorum mensur. mai. in minor. distributæ. Tabula concionum atque oratt. omnium Tit. Livii, etc. Index locupletissimus tam nominum proprior. quam rerum et materiarum, etc.

1578. *Francof.* II, *Feyerabendi* seu *Godelevæi*, fol. apud Jo. et Sigism. Feyerabendt, duobus tomis. In tomi I hujus edit. titulo illa adscribitur nota: *Francofurti ad Mœnum apud Joannem et Sigismundum Feyerabendt*, MDLXXVII: ad finem dedicationis, inverso ordine, memorantur *Sigismundus et Joannes Feyerabendt cognati*. Eodem iterum modo ad finem primi et secundi tomi: *Impressum Francofurti ad Mœnum, apud Georgium Corvinum, impensis Sigismundi et Johannis Feyerabendinorum MDLXXVIII*. Repetitio est mera ed. Francofurt. I Feyerabendinæ.

ÆTAS IV *MODIO-GRUTERIANA.*

1588-1645.

A Franc. Modio, qui ab an. 1586 Corrector typographiæ Feyerabendinæ Livium denuo ad MSS Codd. in his Moguntinos, recensuit, suasque notas Feyerabendinæ III c. n. varr. adjecit, sed et duas alias minoris formæ eodem anno curavit; tum a Jano *Grutero*, qui ab an. 1608 Livium ex Codd. Pal. et edd. principibus suaque doctrinæ ratione recensuit, inque capita divisit, iterum an. 1619, utrumque sine notis, et 1628 tertium recensuit notisque auxit criticis et politicis, quarum primam inepte expressit Parisina an. 1625, tertiam aliæ dein, etiam Elzeviriana 1634, cui Dan. *Heinsius* præfatus est. Novam post illos duumviros recensionem instituit Jo. Frid. Gronovius, novæ ætatis Princeps futurus.

1588. *Francofurt. Feyerabendina* III, seu *Modii* I: T. Livii Pat. Historicorum Rom. Principis Libri omnes superstites, recogniti et emendati ad MSS Codicum Fuldensium, Moguntinensium et Coloniensium fidem a Franc. *Modio*, fol. impensis Sigism. Feyerabendii et sociorum. Ex titulo, Grellii Chronologiæ, et aliorum virorum doctorum Annotationibus præfixo, et ex nota ad calcem operis obvia constat, librum hunc excusum esse typis Joannis Wechelii, et impensis Sigismundi Feyerabendii, Henrici Thackii, et Petri Vischeri, sociorum. Cæterum continet quidem eadem omnia ferme, quæ præcedentes editiones anni 1568 et 1578, nisi quod huic insuper accesserunt notæ ipsius *Modii*, una cum fragmentis vetustiorum historicorum (per Anton. *Riccobonum* collectis) quos Livius sequutus est.

1588. *Francof.* in-8, voll. III, ex *Modii* recognitione. Laudarunt hanc edit. Fabricius in Bibl. Lat. Hearnius et Cleri-

cus. Fuit in Biblioth. Hulsiana. Vid. ejus Catalog. tom. III, num. 5917.

1588. *Francof.* in-12, voll. III. Memorat hanc Fabricius in Bibl. Lat. Exstat etiam in Appendice Biblioth. Leidensis, pag. 519.

1589. *Londini*, in-4, cum Chronologia Verrii Flacci ac notis Robortelli et Godelevæi.

1589. *Lugd.* in-8. Memorarunt hanc edit. Hearnius et Clericus, ac testati sunt, ei additam esse Chronologiam, accommodatam ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci (forte intelligitur illa, quam Joach. Grellius ex prioribus Glareani et Sigonii composuit), et Annotationes Godelevæi.

1592. *Aldina*, *Sigonii* IV, fol. apud Aldi Nepotem. Repet. edit. 1572.

1595. *Antv.* in-8, ex offic. Plantiniana apud Viduam et Joan. Moretum prodierunt Fragmenta Historicorum, dudum ab Anton. *Augustino* collecta, et a Fulvio *Ursino* emendata: quibus subjunctæ sunt ejusdem Ursini in varios historicos, et inter illas etiam in Livium, notæ.

1599. *Francof.* in-8, voll. III. Memoratur hæc edit. in Catal. Bibl. Huls. t. III, num. 5918.

1608. *Gruteri* I, Francofurti ad Mœnum, fol. ex offic. typogr. Joannis *Saurii*, impensis heredum Petr. Fischeri. Titulus alteri operis parti additus refert, prodiisse quidem ex officina Sauriana, sed impensis Jonæ *Rhodii* anno MDCVII. Jonas Rhodius autem a Grutero in præfatione Jonas *Rosa* vocatur. Hanc Livii editionem recensuit Janus Gruterus, et notas virorum doctorum ferme omnium, quas priores editiones continebant, exhibuit, exceptis tamen illis Velcurio-

nis et Saxonii: recenter vero addidit notas *Fulvii Ursini et Marcelli Donati.* Bene etiam instituit Gruterus libros in partes minores secare, quæ *capita* vulgo dicunt.

1609. Eadem. Francof. in-8. Memorant hanc edit. Hearnius et Clericus, testati, adjunctas esse Godelevæi observationes. Præmissa est huic ed. epistola dedicatoria ad Fridericum juniorem Com. Pal. Principem juventutis (Fridericum dein V inter Electt. regni Bohemiæ æmulum), quam in Gruteriana III omissam repetiere Francofurtenses juniores, in iisque illa an. 1659.

1609. *Aureliæ Allobrogum* (Genevæ) apud Petrum la Rovière, fol. in Corpore scriptorum Latinorum veterum Historiæ Romanæ.

1612. *Francof.* fol. Titi Livii Patavini libri omnes superstites recogniti pridem et emendati ad MSS Codd. Fuldensium, Moguntinensium et Coloniensium fidem (a Francisco Modio), nunc vero etiam ad membranas Bibliothecæ Palatinæ Electoralis a *Jano Grutero.* Accedunt in eumdem Livium observationes, emendationes, annotationes denique variæ variorum Laur. Vallæ, M. Ant. Sabellici, Beat. Rhenani, Sigism. Gelenii, Henr. Lorit. Glareani, Caroli Sigonii, Guil. Godelevæi, Franc. Modii, Fulv. Ursini, Marcelli Donati. Quorum interim scriptis admixta plurima e monumentis Cælii Rhodigini, Alex. ab Alexandro, Guiliel. Budæi, Desid. Erasmi, Petri Nannii, Lazari Baifii, Hadr. Turnebi, Lilii Giraldi, Ant. Augustini, Jacobi Cujacii, Franc. Robortelli, Gabr. Faerni, Onufr. Panvinii, Jacobi Revardi, Barnab. Brissonii, Petr. Pithœi, Justi Lipsii. Cum indice rerum ac verborum locupletiss. huic novissimæ editioni adaptato. Cum gratia et privilegio sac. Cæs. Majes. ad decennium. MDCXII. Francofurti ad Mœnum ex officina typogr. Jo. Saurii, impensis Jac. Fischeri. In fine: « Francofurti ex offic. Sauriana, sumptibus Jonæ Rhodii MDCVII ».

Annotationes Sigonii, Godelevæi, Modii, Ursini et Donati in titulo promissæ in nostro exemplo desunt. Unde, et ex diverso in fine adscripto anno suspicamur, hanc edit. nihil novi habere præter titulum, eamdemque esse cum edit. a. 1608.

1613. *Gruteri.* Francof. in-12, ex edit. Jani Gruteri, 3 voll.

1614. *Lugd.* in-8. Hanc edit. memorat Fabricius in Bibl. Lat.

1616. T. Livii historiarum ab U. C. Lib. XXXIII præcipua parte, quæ desiderabatur, expletus ex Cod. MSto. Venetiis, in-8. Memoratur in Catal. Bibl. Uffenbach. 1729, t. I, p. 628, n. 84.

1616. *Romæ,* in-8, apud Barth. Zannettum. Hæc editio continet tantum librum XXXIII Livii, et in ea primum nunc e codice bibliothecæ cathedralis Bambergensis Caspar *Lusignanus* evulgavit principium hujus libri sive XVII priora capita, quæ antea desiderabantur, additis Francisci *Bartholini* Urbinatis, qui ex codice descriptum Romam attulerat, et Antonii *Quærengi* Castigationibus. Observat autem Fabricius in Bibl. Lat. male in fronte atque per omnes paginas inscribi librum XLIII. Error tamen ab editore, libro jam absoluto, deprehensus est, unde etiam pag. ultima sive 79 hæc verba adduntur: *Ubicumque impressum est lib. XLIII lege XXXIII.* Quin etiam, divenditis jam aliquibus exemplaribus, primum folium recusum, et error emendatus est. Liber ille XXXIII etiam separatim editus est Venet. 1616, in-8. Castigatius Paderbonæ 1617, in-8, ab Jo. Horrione cum ejusdem notis, et Parisiis 1616, in-8. Inde post in aliis editionibus insertum hoc supplementum, ut Francof. 1619, in-8, etc.

1619. *Gruteri* II, Francof. in-8. Hanc denuo a se eo tem-

pore recensitam, et a tutoribus Fischerianis impressam esse, testatur Gruterus in præfatione editionis anni 1628.

1621. *Lugd.* in-4, cum Chronologia et Indicibus. Memorant hanc edit. Hearnius et Clericus.

1621. *Ebroduni*, fol. in corp. histor. Romanæ Scriptt. latt. veterum.

1622. *Genev.* in-8.

1623. *Genevæ*, fol. in corp. hist. Rom. Scriptt. latt. veterum.

1626. *Paris.* fol. In calce libri hi quinque bibliopolæ, tanquam socii, memorantur, Josephus Cottereau, Sebastianus Chappelet, Jacobus Quesnel, Dionysius Moreau, et Samuel Thiboust. Hi primam Gruteri editionem anni 1608, et omnia in illam recepta, eo inscio et non consulto, tanta superstitione exprimere conati sunt, ut paginæ paginis responderent. Verum pessime a librariis habita innumeris eorum negligentia commissis erroribus scatet; quos insuper Gruterus in Præf. editionis tertiæ anni 1628 eo nomine traduxit, quod, curis suis secundis relictis, primas sequuti sint, quasi frugibus repertis adhuc glandium amarore delectarentur. Insuper observat, nihil boni in tam vasti operis progressu exspectandum esse de illis, qui in ipso statim titulo, sive, ut loquitur, in frontispicii meditullio tantopere impegerunt, ut ridiculis solœcismis se prostituerint. In fine hujus editionis conspiciuntur *Excerpta ex Livii Decadibus moralia, politica et historica, cum aliis Latinorum et Græcorum scriptorum locis et Eclogis collata ordine Alphabetico, Fed. Morelli Professorum et Interpretum regiorum Decani opera ac studio.* Perperam Hearnius hanc edit. retulit ad annum 1623, quem tamen sequutus est Clericus.

1628. *Gruteri* III, fol. *T. Livii Pat. Historicorum Rom.*

Principis libri omnes superstites recogniti et emendati ad MSS Codd. Fuldensium, Moguntinensium et Coloniensium fidem Franc. Modio. *Nunc etiam comparati cum membranis Bibliothecæ Palatinæ Electoralis, melioresque facti cura tertia Jani* Gruteri. *Cujus accedunt notæ criticæ et politicæ nec non quinquaginta aliquot in Corn. Tacitum discursus, aut auctiores longe prioribus, aut nove vulgati. c. priv. S. C. Maj. Francofurti ad M. Excusi typis Guolphgangi Hofmanni, impensis hæredum Jacobi Fischeri.* In præfatione ad Lectorem Gruterus sic orditur: « Quale fatum fuit Francof. *Modii* in Livio publicando sub annum 1588, tale etiam fere meum, hoc est, tantum non capitale. Bis vulgavimus Patavinum istum an. scil. 1607, fol. et an. 1619; sed utrumque absque notis, quod nunquam aut otii tantum, aut temporis datum fuisset.... Unde factum, ut ante plures annos excitaverim disciplinæ meæ alumnum Janum *Gebhardum*.... ut post me prioresque Criticos Historici hujus non versus modo singulos, sed et verba syllabasque et diligentius et exactius.... ad fidem auctoritatemque MSS Pal. aliarumque Bibliothecarum monumenta examinaret ». (Conf. literas ab ipso Gebhardo ad Chstph. Hœflichium Ictum Reipubl. Norimberg. a secretis, d. 24 Jul. an. 1617 scriptas in doctiss. Jo. Henr. Andreæ Rectoris Gymn. Heidelberg. Iterato specimine de Jano Gebhardo Palatino a. 1780, p. 18, § 8). « Eo in opere dum sedulo versatur; ecce tibi decumana bellorum etiam nunc insanientium tempestas: ea Gebhardum quoque extra patriam longius ejecit (an. 1621). Quare postquam Livium Fischeriani tutores tertium revocare cupiunt sub præla sua, tertioque opem operamque nostram implorant, rejeci eos ad viridia Gebhardi genua, cui tantum non facem meam antea tradidissem, rudem profecto meritus.... Verum quid? dum ipsi hæc atque illa causantur.... id ipsum denegare non potui, quin eisdem præter notas veteres, deproperatas ante annos 20 ad hunc nostrum, polliceor insuper recentiores politicas e naufragio

librariæ meæ adhuc reliquas » Increpata dein Parisina ed. 1625, quæ Gruteri recensionem præ se ferebat, nequidem secundæ, sed primæ traduce totum Livium a se relectum emendatumque a capite ad calcem confirmans pergit: « Multa certe in textu emendavi, plura etiam delevi, sed præeuntibus semper aut libris scriptis, aut edd. omnium primis Jo. *Andreæ*, et Joan. *Campani*, ideoque paribus dignitate autographariis, unde manarunt: parcius nihilominus postremis his aurem præbui; gnarus quantum etiam religiosorum morum Critici ingenio suo permittere soleant. Quæ in Livianis delevi, ea si erant momenti majoris, fideliter semper indicavi in Notis meis: sin erant minoris, silentio involvi. Cui enim bono jactare se de particula aliqua ejecta, quam vel luscitioso appareat natam in officinis interpretum?.... Tales dictiunculas pluribus adhuc locis perstare, non semel queror in notis; sed non etiam ausus sum tollere, nullo velificante codice plutearlo. Quæ in Livio mutavi, pendent aut a libris nostris aliorumve; aut a judicio certissimo excellentium in his literis Virorum, qui lectt. antiquas ad cotem limatæ veritatis serio explorarunt. In nominibus propriis non fui admodum scrupulosus; arbitratus parum referre, exarareturne *Tybris* an *Tibris*, *Æmylius* an *Æmilius*. Ne tamen hæc quis putet me fecisse affinem negligentiæ, is sciat excusisse et Panvinii, et Goltzii et Sigonii et Ursini et Pigii libros: quæque proxime accedere videbantur ad Tabulas Capitolinas, ad cæteros historicos recepisse ultro in contextum. Quid enim superstitiosius, quam recedere nolle a chirographariis schedis, eisque adhærere in omnibus per omnia; quum experientia clamet plerasque depictas, aut ab hominibus linguæ Latinæ tantum non rudibus, aut sæculo illo, quo eadem lingua interpolabatur vel barbariæ fæcibus, vel aliter pronuntiabatur, quam florente imperio, etc..... Hactenus de Livii textu. Simile quid utinam pronuntiare possem de notis ». Incredibile sane est, quantis laboribus et ærumnis conflictatus sit optimus Gruterus, qui in ipso opere

morbo graviori, rursus Heidelbergam migratione, belli tumultibus in iisque facta Amanuensis cæde, etc. interpellatus affectusque tandem ex opere toto ipse notulas requirere ac seligere necesse habuit, quas urgenti typographo daret: cætera tacemus. Ita vero finitur hæc ejus epistola: *Deproperabam animo ac corpore æger, fine Augusti mensis*, cIɔIɔcxxvII *Heidelbergæ*. Neque diu supervixit huic ed. Gruterus; sed obiit d. xx Sept. eodem anno. Maluimus vero Gruteri curam in hac ed. positam ipsius verbis defendere, quam aliorum iniqua judicia huc admittere. Plurimum sane ei debet lectio Liviana, quod cuique pateat, qui eam cum Gronoviana contulerit. Sed et accessere ad hanc ed. (quam nobiscum communicavit optimus Collega Marc. Ern. Henr. Berkmann, Prof.) alia, quorum est post præf. et Elogia Livii Catalogus: *Tabula* concionum, etc. *Cælii Secundi* lib. de Mensuris, etc. *Pomp. Læti* Antiqq. Romæ. *Marliani* de ant. Romæ typogr. Epit. *P. Victoris* de U. Romæ locis ac regionibus; *Epit.* in singulos Livii Libros attributa L. *Floro.* Atque hæc præmittuntur libris Livii. Hos sequitur C. Sigonii Chronol. Index Livii accuratissimus ad libros et capita. Willh. *Godelevæi* Obss. (quas Bibliopolæ suo consilio additas proprio ornarunt titulo). Fragmenta vetustiorum historicorum, etc. quos Livius sequutus est, etc. collecta per Franc. *Riccobonum.* Apparatum hunc claudunt J. Gruteri Notæ in T. Livium. *Gruteri* in Tacitum discursus ed. II auctiores, ibid. apud eosdem eodem.

1633. *Amsterd.* in-12, apud Guil. *Blaeu.*

1634. *Elzeviriana* I, *Gruteri* seu Dan. *Heinsii*, Lugd. Bat. in-12, voll. III. Nihil præfatus est, nec in dedicatione institutum et rationem edendi declaravit *Heinsius.* Enimvero illa ed. est mera repetitio exempli Gruteriani a. 1628, mendis novis aucta.

1634. Gruteri ex recens. Francof. in-8, voll. III.

ÆTAS V *GRONOVIANA.*

1645-1735.

A Jo. Frid. *Gronovio*, qui quum an. 1645 Livium a se recognitum cum notis seorsim excusis edidisset, an. 1679 denuo atque ita curavit, ut in eo exemplum tractandi auctoris ederet; hinc princeps novæ ætatis exstitit. Accessit Supplementorum Livianorum egregius scriptor Jo. *Freinshemius;* quæ primus corpori *Liviano* adjunxere Jo. *Doujatius* in usum Delphini, et J. *Clericus*, quorum operam conjunxit *Veneta* Doujatii melior proles. Francofurtenses interea Gruterianam vel II vel III inconsulti propagarunt.

1645. *Elzeviriana* II, *Gronovii* I, Lugd. Bat. voll. IV, ex offic. Elzeviriana. Prima hæc est editio, eaque portatilis, quæ prodiit ex recensione J. Fr. *Gronovii*. Ejus autem quartus tomus, qui etiam seorsim venit, continet J. Fr. Gronovii notas in Livium. Accessit Ismaelis *Bullialdi* Epistola de Solis defectu, cujus Livius lib. XXXVII meminit. Fabricius in Bibl. Lat. Venet. excusa, p. 200, de hac edit. sic habet: Ex recens. Jo. Frid. Gronovii. Lugd. Bat. 1645, in-12, tribus voll. apud Elzevirium (Elzevirios) emendata et nitidissima editio, capitibus etiam, quod in Heinsiana desideratur, distincta. Et ead. pagina: In editione notarum Gronovii patris ad Livium Lugd. Bat. 1645, in-12, seu tom. IV hujus edit. exstant nonnulla, quæ in posterioribus Livii edit. an. 1665 et 1679 cum notis variorum frustra quæras. Hæc omnia (quo vero instituto, nescio), in *Ernesti* editione Fabriciani operis desiderantur. Vid. Ernestii edit. Fabricianæ Bibl. Lat. tom. I, p. 285. Emendandus est et *Debure* (in nota ad num. 4808), ubi *Heinsiana* edit. an. 1634 *Gronovianæ* an. 1645 præferri dicitur.

1649. Supplementorum Livianorum Jo. *Freinshemii* decas. Holmiæ, in-12.

1654. *Elzeviriana* III, *Gronovii*. Lugd. Bat. voll. III, in-12, apud Elzevirium. Recusus est solus textus ex recensione Gronoviana a. 1645.

1659. *Francof.* apud Joh. Beyerum, Ammonium et Serlinum, in-8, ad fidem vetustiss. MSS Bibl. Pal. castigatus a Jano *Grutero*. Acc. Index copiosissimus. Editio IV et melior. Præmittitur Gruteri dedicatoria ad Fridericum (V) Palatinum principem Juventutis (ex edit. 1609), et separatim additas habet Wilh. Godelevæi observatt. ibid. eod. Mentitur vero editionem meliorem illa Gruteri III an. 1628, eaque ultima.

1661. *Elzeviriana* IV, *Gronovii*. Amstelæd. voll. III, in-12, apud Lud. et Dan. Elzevirios.

1665. *Elzeviriana* V, Amstel. voll. III, in-8, apud Lud. et Dan. Elzevirios, cum perpetuis J. Fr. Gronovii et Car. Sigonii variorumque notis sub textu. Neque tamen Gronovius, summus criticus, sibi aut Livio semper cavere potuit, monente Drak. præf. p. 69 (1).

(1) Titi Livii Patavini historiarum libri, cum notis selectissimis Sigonii, Glareani, Gruteri, Godelevæi, T. Fabri, Gronovii et variorum. Huic novissimæ editioni accesserunt notæ geographicæ Joannis Tillemonii [Nicolaï de Tralage]. *Parisiis, vidua Cl. Thiboust*, 1672, 1675 et 1679, 3 vol. in-12.

Les auteurs qui ont fait le plus de recherches sur les différentes éditions de Tite-Live n'ont point parlé de celle-ci. Elle n'a été mentionnée que par Doujat, lequel paraît s'être trompé sur le vrai nom de l'auteur. Il l'appelle *clarissimus Granus Tillemonius ;* mais en considérant que les notes sont principalement géographiques, j'ai été porté à considérer Nicolas de Tralage comme étant l'écrivain caché, dans cette circonstance

1674. Jo. Freinshemii vetus Rom. historia, seu supplementorum Livianorum lib. LX. Argentorati, in-4, apud Sim. Paulli.

1677. Romæ prodiit Bibliotheca sacra et profana *Latini Latinii:* cujus parti secundæ insertæ sunt ejus observationes et correctiones in T. Livium, in fol.

1678. *Elzeviriana* VI, Amstelæd. voll. III, in-12, apud Daniel. Elzevirium, ex recensione J. Fr. Gronovii. Repet. Gronovianæ a. 1654 aut 1661.

1679. *Elzeviriana* VII, Amstel. voll. III, in-8: « T. Livii historiarum, quod exstat, cum perpetuis Caroli Sigonii et Jo. Frid. Gronovii notis. Jac. Gronovius probavit suasque et aliorum notas adjecit. Amstel. apud Dan. Elsevirium ». In fine tom. I nova paginarum serie sequuntur: Car. *Sigonii* Chronologia in Liv. histor. *Ejusd.* in Chronologiam scholia; *Ejusd.* Livianorum scholiorum defensiones. Secundo tomo, nova pagin. serie subjiciuntur: *Jacobi Jo. Fr. F. Gronovii* Epistolæ, in quibus multa Titi Livii loca geographica emendantur et illustrantur. Tertio tomo accedit *Ismael. Bullialdi* Epistola de defectu Solis, etc. Singulis vero tomis Indices adjecti sunt. Hæc edit. habetur optima, et insigne exemplum scriptorum latinorum diligenter accurateque tractandorum, et tamen sine ostentatione doctrinæ. Addendus autem est *liber novus observationum Gronov.* Daventr. 1652, in-12, sive *liber quartus observationum* in altera Gronovianarum editione, a Frid. Platnero Lipsiæ 1755, in-8, curata: in quo permulta Livii loca copiosius et diligentius excutiuntur et explicantur.

comme dans d'autres, sous le masque de *Tillemonius*. Une note manuscrite du catalogue de la bibliothèque du roi a confirmé ma conjecture.

BARBIER oncle.

1679. *Cantabrigiæ*, voll. II, in-8. Repetit. præcedentis.

1679-1682. *Paris.* voll. IV, in-4. T. Livii Patav. historiarum libri qui exstant, interpretatione et notis illustravit *Jo. Doujatius*, Antecessorum Paris. et regiorum Profess. Primicerius. Jussu Christianissimi Regis, in usum Ser. Delphini. Accessere librorum omnium deperditorum Supplementa per *Jo. Freinshemium*, quæ magna ex parte nunc primum prodeunt in lucem. Paris. apud Fredericum Leonard. Cum privilegio Regis. In hac ed. Freinshemii Supplementa primum corpori Liviano adjecta sunt. Sed Doujatii opera idoneis judicibus parum probata est. Ipse etiam lacunas quasdam librorum posteriorum explere tentavit, non satis feliciter.

1694. *Patavina* I, voll. V, in-12, recensente ad optima exemplaria Jacobo *Giacometto*, qui capitum argumenta, chartasque Geographicas, et Analysin Rhetoricam concionum, M. Ant. Feracii studio compositam, indicesque legum, Magistratuum ac Sacerdotiorum Romanorum adjunxit.

1696. *Francof.* 3 tomi in-8, apud Frid. Knochium : T. Livius Patav. tertia Jani *Gruteri* cura recognitus curante Jo. Gerardo *Arnoldo*, Gymnasii Francofurtani Rectore. In hac capitum quoque distinctio et anni Urbis in ora libri notati comparent, præmissa editoris dissertatione de Livii vita et scriptis.

1703. *Lond.* voll. II, in-8. Fabricius in Bibl. Lat. testatur, hanc edit. ad Gronovianam recensitam, lemmatibus historicis ad paginarum oras notatis, tabulisque Geographicis instructam esse.

1707. *Patavina* II, voll. V, in-12. Memoratur hæc editio in Catal. bibl. Hulsianæ, tom. III, num. 5920.

1708. *Oxon.* voll. VI, in-8, ex recensione Thom. *Hearne.* Singulis paginis subjectæ sunt variæ lectiones e Codicibus MSS, sex recens et aliis pridem collatis, atque ex impressis, tum in suprema paginæ parte semper notatur annus U. C. et ante Christum natum, denique tomo VI subjuncta præter novos satisque locupletes atque accuratos indices, lacunarum in libris quinque postremis supplementa a Jo. Doujatio composita, et novæ editorum in Livium notæ: item Dodwelli dissert. de fragmento Liviano, de quo post. Textus est Gronovianus.

1710. *Amstel.* voll. X, in-8, apud Henr. Wetstenium. Tit. Livii histor. quod exstat, c. integris Jo. Freinshemii supplementis emendatioribus et suis locis collocatis, tabulis geographicis et copioso indice. Recensuit et notulis auxit Jo. *Clericus.* Tomus X habet Geographiam Livianam (XIV tabulis comprehensam) et Indicem rerum locupletissimum in Livii hist. et supplem. Freinsh. Textus est Gronovianus. Notæ haud magni sunt momenti, et editio usibus tironum scholasticis destinata videtur. Freinshemii supplementa paulo minoribus literis, quam in Doujatiana excusa sunt, sed quod multi credo factum nollent, omissa loca auctorum, quæ in marginibus Doujatianis annotata ubique leguntur, e quibus Freinshemius sua repetiit. Servatur in Bibl. Gymn. Bipontini.

1715. *Venet.* voll. VI, in-4. *Doujatiana* in usum Delphini a. 1679-1682 recusa est curante Carolo *Banarrigo.* In calce additæ etiam breves notæ Jo. *Clerici*, indexque locupletissimus Wetstenianus. Ad Freinshemii vero supplementa scriptorum veterum loci diligentius allegati, quam in Parisiensi editione. Tomus vero septimus, quem additurum editor promisit, vocum omnium Livianarum phrasiumque, lucem non vidit. Adest in Bibl. eadem.

1718. *Patavina* III, voll. IV, in-4. Tit. Livii Patavini histor. Romanæ libri, qui supersunt.

1718. *Patavii*, in-12. Livius c. epitome L. Flori, variis lectt. Chronologia, Indicibus, etc. 5 tomi, 4 voll.

1722. *Lond.* voll. VI, in-12, sine nomine editoris. Forte repetitio est editionis Clerici a. 1710 (cura Maittairii).

1727. *Patavina* IV, tomis V, in-12, a Jacobo *Jacobetto* et M. Ant. *Feracio* procurata.

1735. *Lips.* III tomi in-8, omissis supplementis, ad Clerici editionem, sed vitiose expressa cum Jo. Matth. *Gesneri* præf. lectu dignissima de cursoria et stataria auctorum latinorum lectione in scholis, præsertim Livii.

ÆTAS VI *CREVERIO-DRAKENBORCHIANA*.

1735-1784.

1735-1742. *Paris.* voll. VI, in-4. Tit. Livii historiarum ab Urbe condita libri, qui supersunt, XXXV, cum supplementis librorum amissorum, a Jo. Freinshemio concinnatis. Recensuit et notis illustravit J. B. L. *Crevier*, Prof. Rhet. in Colleg. Dormano-Bellovacensi Univ. Paris. sumpt. Gabr. Franc. Quillau et Jo. Desaint. Conf. Catal. Bibl. Bunav. tom. I, vol. I, pag. 297. Textus basis est Gronovianus, sed locis, etsi perpaucis, correctus e MSS et edd. pr. conjecturis in notas rejectis, quæ sunt non adeo multæ, breves et sine ostentatione doctrinæ, interdum tamen leviores et tironibus quam viris aptiores. In iis conficiendis usus est superioribus interpretibus, inprimis Sigonio et Gronovio, sed quæ ab iis sumpsit, sub eorum nomine dedit; ubi longiore et exquisitiore disputatione opus erat, rem rejecit ad cal-

cem operis. Explevit et lacunas, in ipso textu positis suis supplementis. Recognovit etiam Supplementa Freinshemii, nonnullis locis emendavit, et notulas addidit: uno loco etiam aliquid addidit lib. CXXII. Indicia denique auctorum in margine sæpe correxit. Accessere Indices, Geographicus et rerum in textum Livii et Suppl. Freinshem. qui e Clerici editione sumptus est. Indicem Latinitatis, promissum in præfatione, non dedit. Sed de instituto viri doctissimi qui velint diligentius cognoscere, adeant præfationem, in qua et de Livio et ejus editoribus et interpretibus dixit.

1738-1746. *Amstel.* in-4. T. L. Patavini historiarum ab urbe condita libri, qui supersunt, omnes, cum notis integris Laur. Vallæ, M. Ant. Sabellici, Beati (Bildii) Rhenani, Sigism. Gelenii, Henr. Loriti Glareani, Car. Sigonii, Fulvii Ursini, Franc. Sanctii, Jo. Frid. Gronovii, Tanq. Fabri, Henr. Valesii, Jac. Perizonii, Jac. Gronovii, excerptis Petri Mannii, Justi Lipsii, Frid. Modii, Jani Gruteri, nec non ineditis Jani Gebhardi, Carol. Andr. Dukeri, et aliorum, curante Arnoldo *Drakenborch*, qui et suas adnotationes adjecit. Accedunt Supplementa deperditorum T. Livii librorum, a Jo. Freinshemio concinnata. Tomi VII. Amstel. ap. Jac. Wetstein, et G. Smith, Lugd. B. ap. Sam. Luchtmanns. Tom. I et II, 1738; III, 1740; IV, 1741; V, 1743; VI, 1744; VII, 1746, in-4 maj. In longa doctaque præfatione, volumini ultimo præfixa, diligenter persequitur Drakenb. Vallæ vitam, interpretes atque editores Livii, suique instituti rationem. Basis quidem est contextus Gronovianus, at quam plurimis locis vel purgatus a mendis typographicis, vel ad optimos Codd. quorum plus triginta contulit, atque editiones correctus atque emaculatus. Quidquid ad emendationem melioremque expositionem Livii tam criticam, quam grammaticam atque historicam conferre potuit, id sedulo congessit et largissima manu effudit Drakenb. atque reliquit in notis exquisitæ latinitatis artisque criticæ thesau-

rum, conjunctis animadversionibus Sigonii, Gronovii, Perizonii, et Dukeri. Neque tamen diffitendum est, immensam Gronovii ac Drakenborchii diligentiam studiumque maxime laudabile nondum effecisse, ut nulla omnino ulcera residerent: immo vero multi quædam viderunt, iisque sanandis admoverunt manus. Ultimus tomus, præter præfationem Drakenb. et multorum superiorum editorum præfationes atque dedicationes, nec non indices utiles et copiosos, habet varios libellos, partim ad historiam Livii, partim ad loca quædam illustranda pertinentes: quorum significationem nonnullis, qui caro illo carent exemplo, haud ingratam fore arbitramur. 1-3° Vita Livii ex G. J. Vossii Historicis Latinis, et ex Balth. Bonifacii historiæ Romanæ Scriptoribus, tum Jac. Phil. Tomasini Livius Patavinus; 4° Sertorii Ursati interpretatio inscriptionis monumenti Liviani; 5° Laur. Pignorii defensio Liviana; 6° Chr. Gottl. Jœcher de suspecta Livii fide; 7-9° Dan. Georg. Morhof, Jo. Buherius, et Jac. Facciolatus de Patavinitate Liviana; 10° Jo. Henr. Bœclerus de Polybii Liviique diversa scribendi ratione et hujus imitatione; 11° Carol. Sigonii Chronolog. Liviana; 12° ejusdem Livianorum scholiorum aliquot defensiones adversus Glareanum et Robortellum; 13° Gabr. Faerni censura emendationum Livianarum Car. Sigonii; 14° Car. Sigonii ad epist. Faerni responsio; 15° Jac. Gronovii Epistolæ, in quibus multa Livii loca geographica emendantur et illustrantur; 16° Laur. Vallæ disput. duo Tarquinii, Lucius et Aruns, Prisci Tarquinii filiine, an nepotes fuerint; 17° Perizonii cap. VII Animadversionum historicarum; 18° Jo. Frid. Gronovii cap. XIV ex libro IV Observationum; 19° Henr. Dodwelli diss. ad fragmentum e MSto Landino, Livii lib. XXII, cap. 18, § 5. memoratum; 20° Jo. Frid. Gronovii nota ad Livii libr. XXIX, cap. 18, § 9, excerpta ex prima editione notarum ejus in Livium; 21° Henr. Glareani genealogia Scipionum; 22° Ism. Bullialdus de defectu Solis, cujus meminit Livius lib. XXXVII, cap. 4; 23° Matth. Ægyptii

explicatio SCti de Bacchanalibus; 24° Variorum annotationes ad Livii lib. XXXIX, cap. 19, § 5; 25° Excerptum ex Petri Lambecii bibl. Vindobonensi de antiquissimo Livii codice MSto; 26° Excerptum ex Livii editione Basileensi a. 1531 de lacunis ejusdem codicis; 27° Excerptum ex Henr. Leon. Schurzfleischii notitia bibliothecæ Vinariensis, ad Livii lib. XLV, cap. 29, § 5 pertinens. Post nubem dedicationum, etc. sequuntur 1° præfatio Henr. Leon. Schurzfleischii ante specimen notarum Gebhardi in Livium; 2° elogia et judicia auctorum de Livio; 3° et 4° syllabus MStorum, qui in hac editione adhibiti sunt, atque præcipuarum editionum, quas diligentissime recenset; 5° collatio fragmenti, ut existimatur, Livii et particulæ Polybii ex libr. I interprete Leonardo Aretino; 6° Addenda et emendanda.

1740. *Patavii*, in-12, ap. Jo. *Manfré*, V tomi. Opera quæ supersunt, periochis insuper, variis lectt. chronologia et rhetoricis exercitationibus illustrata. Accedunt capita XVII, quæ hactenus desiderabantur. Adnotationes variorum excerptæ ex ed. Oxoniensi an. 1708 cum mappis.

1740. *Basil.* voll. III, in-8, ap. E. et J. R. Thurnisios fratres. Repet. Gronovianæ a. 1679. Est in Bibl. Gymn. Bip.

1743-1748. *Heidelbergæ*, fol. in collectione scriptorum veterum latinorum historiæ Romanæ : curante Bennone Caspare *Haurisio*, tom. I. Is vero suo consilio lib. XI-XX ex Suppl. Jo. Freinshemii adjecit, et lacunas hinc inde ex Suppl. Jo. Doujatii explevit; sed post lib. XLV cætera Freinshemii supplementa omisit. Textui subjecit lectionum quamdam varietatem, passim notas adspersit; fastos præmisit; opus figg. æneis nummisque ornavit. Neque tamen sic editionem suam approbavit.

1747. *Paris.* voll. VI, in-8, ex priore recensione Creveriana 1735-1740, cum notis usui scholarum accommodatis.

23.

1751. *Venetiis*, V voll. Repetitio Creverianæ per Remondinium, additis Chronologiis, Rhetoricis Exercitationibus, universæ Romanæ historiæ Epitomis, XVII capitibus Livio adscriptis, nec non variorum, præsertim Jo. Clerici, adnotationibus.

1751. *Patavii*, typis Seminarii: T. Livii Pat. Opera, obscuriorum locorum interpretationibus et selectis adnotationibus illustrata, cum supplementis in postremos libros, ex rec. Arn. Drakenborchii. VI voll. quorum postremum prænotatur: Exercitationes Rhetoricæ in Orationes T. Livii, quibus accedunt Jo. Clerici animadversiones, et ex aliis auctoris Patavinitas, Vita et Elogia.

1751. *Berolini* (Ulmæ), voll. III, in-8, curante Jo. Petro *Millero*.

1752. *Edinburg.* in-12 maj. voll. IV. T. L. historiarum ab urbe condita libri, qui supersunt, cum omnium Epitomis, ac deperditorum fragmentis: ad optimas editiones castigati, accurante Tho. *Ruddimanno*, A. M. Edinburgi, in ædibus T. et W. Ruddimanni. Prostant autem Amstelædami, apud Jacobum a Wetstein. MDCCLII. De accurata et nitida hac edit. videsis Harlesium, p. 427, et Harwood a View (edit. II), p. 183, item *Alterii* versionem primæ edit. Harwoodiani operis l. c. Ex typographi præfatione ad lectorem tomo I hujus Livii editionis præmissa, hæc delibamus: « Ad illam (*edit.*) Drakenborchii præcipue... editionem quam damus exigere visum est... Non adeo tamen arcte nos constringi passi sumus, ut ne latum unguem quidem ab eo recedere auderemus, ubi ratio id poscere videbatur: quædam enim mutanda monuit et ostendit cl. Kennethus Mackenzie causarum patronus in collegio Edinb.... quæ absque hæsitatione in textum recepimus ». Inde confitetur typographus id factum esse partim « ex aliorum emendatt. jam publicatis, partim ex varr. MSS codicibus per ipsum Drakenborchium notatis ».

1759. *Patavii*, in-8 min. VI voll. T. Livii Opera quæ supersunt, obscuriorum locorum interpretationibus et selectis annotationibus illustrata, cum Suppl. in postremos libros, J. B. L. *Crevier* editio postrema. Vol. V et VI præter indicem rerum continentur: Index descriptionum, Index legum, Tabula omnium magistratuum P. Rom. eorumque ministrorum, Tabula omnium Sacerdotiorum, Exercitationes rhetoricæ in Orat. T. Livii, Index locorum communium ex quibus oratt. argumenta desumpta sunt, Index affectuum juxta Aristotelis præcepta, Index morum, Variæ Lectt. ex duobus MSS Mutinensibus, T. Livii fragmenta, Jo. Clerici Animadversiones, Adnotationes in T. Liv. partim excerptæ ex ed. Oxon. 1708, partim nunc additæ a F. A. Z. Car. Sigonii Chronologia, alia Chronologia, Compendiaria expositio ponderum mensurarumque, Car. Sigonii Ordo hist. Lat. T. Livii Vita, libri, editiones, etc. ex Jo. Alb. Fabricii B. L. Laur. Pignorii defensio Liv. Jo. Buherius et Jac. Facciolatus de Patavinitate Liv. Elogia et Judicia auctorum de T. Liv.

1759-1761. *Halæ*, voll. III, in-8.

1768. *Paris*, voll. VI, in-12, ex rec. et c. not. *Creverii.*

1769. *Lipsiæ*, voll. III, in-8. T. Livii Patavini historiarum libri, qui supersunt omnes, ex recensione Arn. *Drakenborchii* cum indice rerum locupletissimo. Accessit præter varietatem Lectt. Gronovianæ et Creverianæ Glossarium Livianum curante Augusto Guil. *Ernesti.*

1771. *Lemgov.* in-8. Livius pro prima classe Gymnasior. scholarumque latinarum ita excerptus, ut intra anni spatium prælegi possit, a M. Mart. *Særgel;* v. ad a. 1784.

1773. *Hamburgi*, fol. Fragmentum ex libro XCI historiarum T. L. primum erutum ex cod. MS Vaticano, quon-

dam Palatino, a cel. Paul. Jac. *Bruns;* quod eodem anno prodiit Lipsiæ, in-8, cum præfatione J. A. *Ernesti.* Item Romæ cum scholiis *Giovenazii* (s. Juvenatii) cura Franc. *Cantellerii.*

1775. *Paris.* voll. VII, in-12, cura Lallemandi, typis Jo. *Barbou.*

1778. *Bamberg.* voll. IV, in-8. T. Livii Patav. histor. libri, qui supersunt omnes, ex recensione Drakenborchii edit. Ernesti.

1778. *Wirceburgi*, in-8.

1779-1783. *Manhemii,* voll. XII, in-8, ex recensione Drakenb. cum variis lectionibus ex Gronov. et Crever.

1780. *Lips.* in-8. T. Livii operum Pentas I, II et III, scholarum in usum animadversionibus illustravit Fr. Andr. *Stroth*, Gothani Gymnas. Rector. Basis est edit. Drakenb. interdum tamen discedit Strothius, et dissensus rationem reddit in notis, in quibus præterea de lectione aut sensu verborum modo parcius, modo liberalius, disputat.

1784. Livius excerptus a M. Mart. Frid. *Særgel*, Prof. P. Ord. Coll. Carolini et Gymn. Brunsvic. Rectore dirig. Editio novissima totum Livium comprehendens. Tom. I et II, in-8. Tomus I ex ed. 1771 recusus XX libros priores habet, alter cæteros excerptos, ita ut series historiæ servata sit; qua de causa non solum consules, et argumentum eorum, quæ prætermissa sunt, sed et epitomæ librorum deperditorum, fastique Liviani additi sunt. Ita quidem Liviana lectio curriculo annuo in scholis absolvi potest, quo consilio ipse editor quædam de operis usu magistros maxime in præf. monuit; sed quod adolescentum pecuniæ s. inopiæ quam oculis parcendum magis videbatur, typis justo minoribus excusus est hic Liviolus. Sic Comm. Gœttingenses dicti Ge-

lehrte Anzeigen. partic. 178 d. 6 Nov. 1784, p. 1784. Sed vide, quæ in Notitia lit. p. LXXXI adversus Jensianam epitomen monuit Ernestius.

ADDITIONS

Par MM. Barbier, oncle et neveu.

1694. *Salisburgi*, in-8. Titi Livii Decas prima, cum notis historicis, ethicis et politicis, curante Ottone Aicher, Benedictino.

1784-1786, vel 1806. *Biponti*, 13 voll. in-8. Titi Livii Patavini Historiarum libri qui supersunt omnes, cum integris J. Freinshemii Suppl. Præmittitur vita a Jac. Ph. Tomasino conscripta, cum Notitia literaria. Accessit Index studiis Societatis Bipontinæ.

1785. *Lipsiæ*, 5 voll. in-8. Ex recensione Drakenborchii, curante A. G. Ernesti.

1791. *Venetiis*, 6 voll. in-8, cum notis Creverii.

1794. *Londini*, 8 voll. in-8. Ex recensione Drakenborchii (ed. H. Homer).

1796-1813. *Gothæ*, 6 voll. in-8. Opera omnia, animadv. illustrav. F. And. Stroth, rec. et suas observ. adspersit F. Gu. Doering.

1800 vel 1813. *Oxonii*, typ. Clarend. 6 voll. in-12. Ex recensione Drakenborchii, cum Ernesti Glossario Liviano.

1801-1804. *Lipsiæ*, 5 voll. in-8. Historiarum libri qui supersunt omnes, ex rec. Drakenborchii. Accedit præter varietat. lectt. Gronov. et Crever. Glossarium Livianum, curante A. G. Ernesti (et G. H. Schæfero).

1807-1809. *Gottingæ*, 6 voll. in-8. T. Liv. Patav. histor. libri qui supersunt omnes, prooemio, breviariis libror. ind. rer. tabulis chronol. et hist. et commentario illustrati a G. Alex. Ruperti.

1813. *Londini*, 6 voll. in-8. Repetitio edit. Crever.

1814. *Oxonii*, 4 voll. in-8, cum notis Drakenborch. et Crever.

T. LIV. PATAVINI

VERSIONES.

GERMANICÆ.

1505. *Ræmische Historie uss Tito Livio gezogen.* In fine: « Gedruckt und geendet in der loblichen Stadt Mentz durch Vleiss Johan Schœffers Buchtrucker daselbst am sechsten Tag des Monedts Marcij Nach Christi unsers Hernn Geburth tausend fünffhunderth und im fünfften Iare ». III Part. fol. c. figg. ligno incisis. Prima pars continet versionem prioris Decadis Liv. auctore Bernh. *Schœfferlin* J. U. D. Cæs. cum præmissa dedicatione ad Maximilianum Imp. Secundæ insunt Supplementa in T. Liv. ab eodem Schœfferlinio germanice conscripta: qui quum operi immortuus esset, versionem absolvit Ivo *Wittigius* J. C. D. et Canonicus apud St. Victorem Moguntiæ, cujus præfatio legitur in fronte Part. III. Rarissimum hunc librum possidet perill. Heideggerus, Trib. Tigur. Cæterum Fabricius adnotat, quædam ejus exempla excusa esse in membrana. Exstabat quoque in Bibl. Uffenbach. Cat. t. II App. n. 230, p. 80.

1514. « Rœmische Historie Titi Livii meniglich kurzweilig und dienstlich zu lesen. Mentz, bei Joh. Schœffer », fol. c. figg.

1523. « Rœmische Historien Titi Livii mit etlichen newen translationen, so kurtzuerschienen jahren in hohen thum zu Mentz im latein erfunden, und vorhin nit mehr gesehen

sein. Davon such im endt des Registers », fol. c. figg. Præfixum habet privilegium Maximiliani Imp. datum a. cIↄIↄxviii. In fine legitur : « Gedruckt und geendet zu Mentz durch Johann Schœffer: nach Christi unsers hernn geburt: tausent fünffhundert und zwanzig drey jare ». Hæc eadem continet, quæ superior an. 1505, addita tamen nunc primum versione librorum recens Moguntiæ repertorum, auctore Nic. *Carbachio*, cum ejusdem Epistola ad Lectorem, in qua queritur de difficultate vertendorum auctorum Latinorum, unde particulam huc transcribere libet: « Wie ich auch vornæmlich entpfunden hab in disen zweyen teyln des hochberümpten geschichtschreibers Titi Livii, under welchen das erst begreifft schier das ganz XXXIII buch der Rœmischen historien von Livio beschriben. Das ander inhelt das hinderst und letst stück des XL buchs, die inwendig in vier jaren erstmals, und vor nie, ussgangen sein im truck, und im hohem thumstifft hie zu Mentz newlich gefunden sein worden. Dan in dem ursprünglichen exemplar vil wort also unfleissig geschriben stehn, das man jnnemer muss nachgedencken, und sich uff sie besinnen, wan sie zu lesen sein, zu zeiten etlich wort, etwan auch viel zeil ussgelassen sein, von denen die meynung und verstandt gantz verdunckelt würt. Derenhalben niemant mich verdencken mag des unfleiss, etc. Gegeben zu Mentz uff Mitwochen nach dem tag der gebererin gots Marie im fünftzehen hundertsten und im drei und zwentzigsten jar Christi unsers Heylandts ». Servatur in Bibl. Ducali Bip. Cf. Joh. Gottl. Schummels Uebersetzer Bibliothek. Wittenb. u. Zerbst. 1774, pag. 240 sq. et Cat. Bibl. Uffenb. t. II App. II, n. 328, p. 110.

1533. Eadem auctior: « Titi Livii des aller redsprechisten und hochberümtesten Geschichtschreibers Rœmische historien mit etlichen neuwen translationen, etc. durch *Nic. Carbachium* und *Jac. Mycyllum. Getruckt zu Meynz durch Joanem Schœffer* MDXXXIII », fol. Eadem in Bibl. Uffenbach.

Catal. t. II App. II, n. 333, p. 111 sq. additur incunabulis artis typogr. ob insigne de ejus inventione testimonium, quod in fine dedicationis ad Reg. Rom. his verbis legitur: « Solch Werck, allermechtigster König das zuvor an ewer Königlichen Maj. zu Ehren, dazu Fürsten und Herren auch Gemeynden und Stetten Deutscher Nation zu Nuze in Teutsch bracht und in der lœbl. Statt Meynz gefertiget und gedruckt ist, woll Euwer Kö. Ma. genediglich aufnemen, in welcher Statt auch anfangklich die wunderbare kunst der Truckerey und im ersten von dem kunstreichen Johann Guttenberg do man zalt nach Christi unsers Herren geburt tausent vierhundert und funffzig Jar erfunden und darnach mit Fleiss, Kost und Arbeyt Johann Fausten und Peter Schoeffers zu Meynz gebessert und bestændig gemacht ist worden. Darumb dieselb Statt nicht allein bey Teutscher Nation, sonder auch bey aller Welt in ewige Zeyt (als wol verdienet) gebreist und gelobt sol werden, und die Burger und Einwoner daselbst des billich geniesen ».

1541. Ead. repet. ibid. fol.

1546. Ead. ibid. fol.

1551. Eadem : « Titi Livii dess aller Redsprechisten und Hochberümptesten Geschichtschreibers Rœmische Historien jetzundt mit gantzem fleiss besichtigt, gebessert und gemehret. Welche allen Rittermessigen, Gewaltigen, Regierern der Landt und Stett, so sich inn Tugent, Mannheyt, oder Ritterlichen thatten understehn zu üben, nit alleyn zu lesen lüstig, sonder jnen, auch eynem jeden menschen gemeynes stands, vast nützlich und zu wissen noth seindt. Getruckt in der Churfürstlichen Statt Meyntz, durch Ivonem Schœffer, im Jare cIↃIↃLI », fol. c. figg. in IV Part. divisa. In fine: « Vollendet am neundten tag dess Winthermonats, Als mann zalt nach der Geburt unsers lieben Herrn Jesu Christi cIↃIↃLI ». Exstat in Bibl. Ducali Bip.

1562. Argentor. fol.

1568. Livius et Florus Germanice per Zachar. *Müntzerum*, Francof. fol.

1571. Eadem, ibid. fol.

1574. H. a. Argentoratensem memorat Fabricius, forte eamdem cum sequente.

1575. « Titus Livius und Lucius Florus von Ankunfft und Ursprung des Rœmischen Reichs, der alten Rœmer herkommen, Sitten, Weissheyt, Ehrbarkeyt, lœblichem Regiment, Ritterlichen thaten, Victori und Sig gegen ihren Feinden, etc. Jetzund auff dass newe auss dem Latein verteutscht, und mit ordentlicher verzeychniss der fürnemsten Historien, Jarrechnung, kurzer Livischen Chronica, Register, und schœnen Figuren gezieret, dessgleichen vorhin im Truck nie aussgangen. Mit Rœmischer Key. Majest. Freiheyt ». fol. charta maj. In fine : « Getruckt zu Strassburg, durch Theodosium Rihel, 1575 ». Præmittitur dedicatio ad Max. II Imp. in qua Rihelius agit de consilio suo, complures veteres historicos, germanice versos, edendi; data d. 18 Martii, 1574. Exstat in Bibl. Duc. Bip.

1594. Argentor. fol.

1605. Argentor. fol.

1616. Argentor. fol.

1776-1782. T. Liv. Rœmische Geschichte, aus dem Lat. übersezt von Joh. Fr. *Wagner*. Lemgo, 4 Th. in-8 maj.

1777-1779. T. Liv. Rœmische Geschichte übersezt von M. *Cilano*, mit Anmerkungen von *Adler*. Hamb. 8, Th. in-8 maj.

Singulas particulas s. orationes T. Livii ex Latino in Germanicum sermonem transtulerunt Jo. Petr. *Miller*, Jo. Mich. *Heinze*, Jo. Eust. *Goldhagen*, *Schwabius*, *Lindnerus*, *Kinderlingius*, Auctor libri inscripti *der Lehrmeister*, et *Mayus*; de quibus vid. si placet, *Schummelius* l. supra cit.

ADDITIONS.

1789-1796. *Lemgo*, 6 voll. in-8. Röm. Geschichte aus dem lat. von J. Fr. Wagner; vom 6n. Bde an fortgesetzt, von G. Ch. Erh. Westphal.

1789-1795. *Halle*, 7 voll. in-8. Autre traduction par G. Grosse.

1790-1798. *Franc. ad Mœnum*, 10 voll. in-8. Nouvelle traduction par J. Ph. Ostertag.

GALLICÆ.

1486 et 1487. Les Décades de Tite-Live, translatées en françois (par Pierre *Bercheure* ou *Berchoire*). Paris, 3 voll. in-fol.

Le 3e volume est sans date.

1515. Les grandes Décades de Tit. Livius, translatées de latin en français (p. Pierre *Bercheure* ou *Berchoire*), nouvellement corrigées et amendées; et en suivant les faits dudit T. Livius aucunes additions de plusieurs grands historiographes si comme Orose, Salluste, Suétone et Lucain. Paris, *Guillaume Eustache* 1514, et *François Regnault* 1515, 3 voll. in-fol.

1530. Les grandes Décades de Tite-Live, avec des additions de plusieurs grands Historiographes, si comme Dion,

Salluste, Suétone et Lucain. Paris, X Livres in-fol. (charact. Goth.)

1553. Primæ Decadis liber secundus interprete Henr. *Sallenovano* prodiit Pictavii.

1553. Idem ex versione Jac. *Gohorrii*, Lugd.

1562. T. Livius, Claudio *Guichardo* interprete. Paris.

1568. Les concions et harangues de Tite-Live, traduites en français par J. de *Amelin*. Paris, *Vascosan*, in-8.

1582. Les Décades de Tite-Live traduites en français par Vigenère, *Hamelin* et Antoine de *La Faye*, à Paris, in-fol.

1583. Eadem versio rep.

1583. T. Livius Gallice versus a Blasio *de Vigenere*. Paris, 2 voll. in-fol. Præter Livii textum continet notas Vigenerii in primam Decadem.

1584. Ant. *Fayi* versio rep. 3 voll.

1606. Blasii *de Vigenere* versio rep. Paris. 2 voll. in-fol.

1617. Eadem, ibid. 2 voll. in-fol.

1653. Les Décades de Tite-Live, depuis la naissance de Rome jusqu'à la réduction de la Macédoine, avec les Suppléments de Freinshemius, traduits du latin en français par Pierre du *Ryer*, à Paris, 2 vol. in-fol.

1653. Eadem versio rep. Lugd. 14 voll. in-12.

1700. Eadem rep. Roterod. 8 voll. in-12.

1723. Traduction du XXXIIIe livre de Tite-Live par François *de Malherbe;* vid. ej. Opp. Paris. in-12, t. II. Hanc Malherbii interpretationem pro insigni exemplo commendat Sorellus in Bibl. Gallica.

ADDITIONS.

1739. *Paris*, 10 voll. in-12. Histoire romaine de Tite-Live, trad. en fr. par Guérin, Professeur de l'Université.

1741. *Paris*, 3 voll. in-12. Traduction nouvelle de Tite-Live par l'abbé Brunet, curé de Bernières au pays de Caux (1).

1769-1771. *Paris*, 10 voll. in-12. La traduction de Guérin, retouchée par Cosson, Professeur de l'Université.

1784. *Paris*, 2 voll. in-12. Morceaux choisis de Tite-Live trad. par l'abbé Paul.

1810-1812. *Paris*, 15 voll. in-8. Traduction nouvelle par Dureau de la Malle, revue par Noël, avec le texte latin.

1824. *Paris*, 2 voll. in-8, ou tomes XVI et XVII de la précédente traduction, contenant les Suppl. de Freinshemius trad. en français par M. Noël.

ITALICÆ.

.... Per Christoph. *Landinum*. Memorat hanc Fabricius t. I Bibl. Lat. p. 289 ed. Ern. sed sine a. et l. nota.

.... Diece libri della prima Deca di Tito Livio, tradotti di latino in lingua volgare, con epistola dedicatoria da Luca di Giovani Bonacorsi Cartolajo Fiorentino (*in Firenza*, *Luca Bonacorsi*), in-fol. circa annum 1472.

1476. Interprete Rugero *Ferrario*. Romæ, 3 voll. in-fol. Vid. Lambecius, lib. II de Bibl. Vindob. pag. 947. Sed du-

(1) Ce traducteur n'a donné que la première Décade de Tite-Live.

bitavit Maffeius, num hic auctor esset Italicæ versionis, an potius exscriptor. Interpretem Maittairius fuisse docet.

1478. Eadem per Ant. de Bononia. Venet. in-fol.

1481. Eadem, ibid. in-fol.

1481. Eadem : Le Deche di T. Livio. In Vinegia, per Octaviano Scoto, a di XXIII de giugno, in-fol.

1490. Eadem, ibid. ap. Barthol. de Zanis, in-fol.

1493. Eadem : Le Deche, cioe la prima, terza et quarta di T. Livio vulgare historiate; con uno certo trattato de bello Punico, composto da M. Leonardo *Aretino*. In Vinegia, per Zouane Vercellese, in-fol.

1511. Eadem, ibid. in-fol. una cum Leohn. Aretini libro de bello Pun.

1535. Le Deche di Tito Livio. Vinegia, in-4.

1544. Interprete Jac. *Nardi* Florentino, Venet. in-fol. ap. Juntas.

1547. Eadem, ibid. ap. eosd. in-fol.

1554. Eadem : Le Deche di T. Livio delle historie Romane, tradotte nella lingua Toscana da Jac. *Nardi*, cittadino Fiorentino, et nuovamente dal medesimo già la terza volta rivedute et emendate, etc. In Vinegia, nella Stamperia de' Giunti, in-fol.

1562. Eadem, ibid. ap. eosd. in-fol.

1574. Eadem : Le Deche di T. Livio Padovano dell' Istorie Romane, divise in due parti. Tradotte in lingua Toscana da M. Jac. *Nardi*, cittadino Fiorentino. Con le Postille, che dichiarano secondo i nomi moderni, i paesi, le città, i fiumi, i luoghi, le monete e molte altre cose degne d'esser notate,

per intelligenza del Lettore. Con la tavola de' Re, Consoli, Tribuni, Dittatori, Pretori, Edili curuli, Censori, Auguri, Pontefici, Interregi, e delle cose notabili. Dichiaratione di molti vocaboli Toscani, dal Traduttore in molti luoghi usati, con l'indice delle Sentenze che nell'opera si contengono. In Vinegia, al segno del Seminante. II voll. in-4.

1575. Eadem : Deche di Tito Livio, già tradotte da M. Jac. *Nardi*, cittadino Fiorentino : et hora, oltra quello che è nella seguente faccia notato, rivedute, corrette, accresciute de' Sommarii a ciascun libro, et degli anni della città nelle margini d'esso, et del Supplemento della seconda deca, da M. Franc. Turchi Trevigiano. In Vinegia, dai Giunti, in-fol. Versio excellens, eoque multum æstimata; vid. Fontanini Bibl. dell' eloquenza Italiana, etc. Venez. 1753, t. II, pag. 287.

ADDITIONS.

1734. *Venezia*, in-fol. Traduction italienne de Nardi et Fr. Turchi.

1774. *Napoli*, 6 voll. in-8. Nouv. édit. de la même traduction.

1800. *Milano*, 10 voll. in-8. Nouvelle édition.

1804-16. *Brescia*, 33 voll. in-12. Storia Romana, trad. de L. Mabil.

1824. *Milano*, in-8. Nouv. édit. de la trad. de Nardi, avec la trad. des Suppl. de Freinshémius, par Fr. Ambrosoli, tome 1er.

BELGICÆ.

1541. Antwerp. in-fol.

1562. Colon. ap. Jo. Gymnicum, in-fol.

1571. Ibid. ap. eumd. in-fol.

1614. Titi Livii Romensche historien. Amst. in-fol.

1635. De Romensche historie door Titus Livius. Amst. in-fol. c. figg.

ANGLICÆ.

1600. The Roman History, written by Titus Livius, translated by Philemon *Holland.* Lond. in-fol.

ADDITIONS.

1745. *London*, 6 voll. in-8. A new and accurate translation by Hayes.

1761. *Edinburgh*, 8 voll. in-12. Nouvelle édit. de la même traduction.

1797. *London*, 6 voll. in-8. The history of Rome, translated by G. Baker.

1812-14. *London*, 6 voll. in-8. Nouvelles éditions de la même traduction.

SUECICA.

1626. *Holmiæ*, in-fol. Erico Benedicto *Schrædero* Nycopensi interprete.

HISPANICÆ.

1550. Compendio de las catorze decadas de Tito Livio Paduano. Argent.

1553. Colon. ap. Arn. Birkmannum, in-fol. ad Philippum Principem.

GRÆCA.

Livium Græcum lingua vulgari fecit *Maurocordatus de Scarlati*, interpres et Consiliarius Portæ Ottomanicæ, qui a. C. 1712 diem obiit : sed necdum edita est illa interpretatio.

ARABICA.

De Arabica versione dictum supra pag. 294.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HAC PRIORI PARTE DUODECIMI VOLUMINIS CONTINENTUR.

FINIS PRIORIS PARTIS DUODECIMI VOLUMINIS.